# HIATVS IACOBI CASSANI OBSTRVCTVS.

*Vbi immensa illius totam Europam scriptione deuorantis ambitio nullo Iure niti demonstratur: ditiones Belgicæ Iuri Regis Catholici asseruntur: fœderum regiorum vis atque virtus comprobatur: hodierni deniquè belli Hispano-Gallo-Belgici iustitia ostenditur. Quibus illapsa est disceptatio de pace Pragensi* CIↃ IↃC XXXV. *aduersus Deplorationem Iusti Asterij: accessitq; caput Posthumum super Vindicijs Gallicis.*

AVCTORE

FRANCISCO ZYPÆO

I. C. PROTONOT. APOST.

CANONICO, OFFICIALI,

ARCHIDIACONO ET VICARIO

GENERALI ANTVERPIENSI.

Nabuchodonozor habuit mysterium consilij sui, vt omnem terram suo subiugaret Imperio. *Iudith.c.2.*

*Editio postrema ab Authore aucta & emendata.*



ANTVERPIÆ,

Apud Hieronymum & Ioan. Bapt. Verdussen.

M. DC. LXXV.

*Cum gratia & Priuilegio.*

# INDEX TITVLORVM LIBRI PRIMI.



# LIBRI SECVNDI.



# LIBRI TERTII.

# APPROBATIO.

TRactatum admodum Reuerendi & Clarissimi D. FRANCISCI ZYPÆI Archidiaconi & Officialis Antuerpiensis, in quo IACOBI CASSANI nimius, & inordinatus erga Regem suum affectus detegitur; & argumenta, quibus nititur, solidè refutantur; pro veritate stabilienda opportunè typis euulgandum censeo.

*P. COENS S.T. Licent. Canon. & Lib. Censor Antuerp.*

# HIATVS JACOBI CASSANI OBSTRVCTVS.

## LIBER PRIMVS.

### CAPVT I.

*Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*



MANDVCI à veteribus dicebantur famelici, quibus, vt qui fame canina laborant, nihil vnquam satis est quod deuorent, crudum excoctumuè sit, non tam inspiciunt, quàm vt abundè sit quod edant, nec vlla eos capit saturitas, nulli sunt gulæ termini. Metaphorica autem significatione manducum vocabant eum, qui malas immane expandebat, dentibusque collisis crepitabat, terrendis infantibus: vnde apud Plautum in Rudentibus ita Charmides parasitus; *quid si in aliquo ad ludos pro manduco me locem? quapropter? quia pol clarè crepito dentibus*: enatarat enim parasitus è naufragio, totusque horrebat præ frigore, vnde paulò post dicit se omnia corusca loqui. Festus Pompeius tradit in pompis olim, inter cæteras ridiculas ac formidolosas imagines, ire solere effigiem, magnis malis, latè dehiscente rictu, & ingentem dentibus sonitum facientem, eam manducem appellabant, de cuiusmodi effigie Martialis;

*Sum figuli lusus, rufi persona Batavi;*
*Quæ tu derides, hæc timet ora puer:*

& Iuuenalis;

*—Tandemq; redit ad pulpita notum*
*Exodium, cum persona pallentis hiatum*
*In gremio matris formidat rusticus infans.*

Personatis igitur hisce simulacris metus pueris incutiebatur, vltra insuetum humanumque modum quid spectantibus, quasi à tam immaniore absorbendis. qui & viros cuiusmodi phantasmata præsertim è longinquo aspecta turbant. eoque consilio veteres deorum simulacra vltra humanum modum descripserunt: vnde illud Satyrici;

*— tua sacra, & maior imago*
*Humanâ, turbat pauidum, cogitq; fateri.*

Inde & Liuius *lib. 5. Galli*, inquit, *venerabundi intuebantur in adium vestibulis sedentes viros, prater ornatum habitumq; humano augustiorem, maiestate etiam, quam vultus grauitasq; oris præseferebat, simillimos diis.* quin & spectra habitum vocemque humana maiorem assumere assueuerunt: vnde Plinius *offertur ei*, inquit, *mulieris figura humana grandior.* & Liuius *d. lib. 5. in noua via vocem noctis silentio audiuisse clariorem humanâ*: & Virgilius:

*Neque vox hominem sonat: ô dea certè.*

Nuper incidi in Jacobi Cassani consiliarij & aduocati Regij librum, quem inscripsit: *La recherche des droicts du Roy & de la Couronne de France, sur les Royaumez, Duchez, Comtez, villes & pais occupez par les Princes estrangers appartenans aux Roys tres-chrestiens par conquestes, successions, achapts, donations, & autres tiltres legitimes, ensemble de leurs droicts sur l'Empire.* Frontispicium etiam erat humano throno augustius, figura sub ingenti conopæo ostentabatur, quasi Ludouici XIII. Regis Christianissimi, bina sceptra binis manibus portendens, hinc Francica lilia, inde Romanas aquilas, aliorumque plurium vndequaq; regnorum insignia complectens: steti ad simulacrum, vt Galli illi, mirabundus, terruit me ingens operis hiatus, vt infantem illum rusticum occurrebat & illud immensum regni sancti. *Psal. 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*: & illud vastum profani Nabuchodonozoris; *Habuit*, inquit, *c. 2. Indith mysterium consilij sui, dixitq; cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio.* Cùm nonnihil ad me redij, remouere cepi lacinias conopæi, subducere lintea, reuelare manducum: ergo opus ipsum introspexi: vidi simulacra modis pallentia miris, spectra, personas, vmbras, fumos vendi: deprehendi artem Cassani esse compositam ad terriculamenta puerorum, ignarorumque hominum, vt à speciosa figura titulorum, qui rebus ipsis maiores ampullatis verborum lenocinijs, & plausibili crepitu proponuntur, mente moueantur, ac rationis deliquium patiantur: vt debilibus ingenijs illudatur, vt grandis imago pauidos turbet, cogatque fateri id, quod cùm nihil habet rei, præter non imperiti figuli lusum; siue chimericas Cassani fabricas dicam, an fabulas? habet tamen hoc vitij, quod verus manducus, qui fame quasi canina perpetuò laborat: quippe cui ita famelico in hac coquina totius Europæ phantasma, imma-

nis abdominis esca, adparatur, quem adeo rectè scripserimus manducum Europæum, siquidem Africanum Scipionem agnominatum ab ea prouincia debellata, aliosque ab alijs non victoria pares dicit Liuius l. 3. d. 40. sub fin. ita ergo hunc manducum ab immani oris hiatu, quo totam Europam spe scriptionis ambitiosissimæ deuorarit, dixerimus Europæum. titulo tamen suauiori, ne indignatur, Hiatum illius obstruere est visum. Sic vocauit Nabuchodonozor Rex Holofernem principem militiæ suæ, & dixit ei: *Egredere aduersus omne regnum Occidentis. d. cap. 2.* quæ autem ad tam Cyclopæum cibum condimenta accersuntur, nihil verorum aromatum, aliarumve specierum habent, nullamque vim condiendi, præter papauera; quibus somnolenti spectatorum oculi reddantur, vt conniuentes verum non videant; sed huiusmodi artibus ac præstigijs obcæcentur. Visum ergo & alijs huiusmodi cortinas nonnihil recludere, & phantasmata perlustrare.

## CAPUT II.

### *Quod propius Cassano propositum?*

Familiare est politicis vt rebus etiam iniquissimis florida nomina, & speciosos titulos prætexant, vt in priuatis etiam negocijs *colorem quæri*, ac *fraudem fieri* ait Julianus *l. 7. D. ad Maced.* adeo vt nec etiam in bello Catalinario nomen legitimum prætendi omissum fuerit, *apud Salustium*: sic & res Ottonis multum firmabat quod ab illo stabat Senatus: *numquam* inquit Tacitus *l. 18. obscura nomina*, etsi aliquando obumbrentur; ideoque & longinquas ei prouincias adhæsisse; quia, inquit *l. 17. grande momentum in nomine Vrbis, & prætextu Senatus*, sic & auorum nostrorum memoria plerorumque in Gallia proceerum, maiorisque populi bellum, aduersus Regem, *Bonum publicum* vocatum fuit, & maximè quidem ea vsurpari solent ab ijs, qui res nouas meditantur. quare & Flauianus trahitur studiosè ad partes Vespasiani, *vt consulare nomen*, inquit *Tac. l. 19. surgentibus tum maximè partibus honesta specie prætenderetur.* Sic emendicata aut extorta est seu ab Augusto, seu à Vespasiano lex regia, qua *populus ei, & in eum omne Imperium suum & potestatem concessit*: ita Sylla legionibus in vrbem admissis dictatorem se in annos l.iij. lege Valeria creari iussit: ita Augustus admoto hostiliter ad Vrbem exercitu consulatum inuasit: missis tamen ad Senatum qui sibi nomine exercitus illum deposcerent, Cornelio etiam centurione, legationis Principe, qui cunctante Senatu reiecto sagulo, ostensoque gladij capulo, in Curia dicere auderet, *hic faciet, si vos non feceritis*. nec absimiliter pridem Cosmus Medicæus, post Alexandri cædem, Senatum Florentinum coëgit, vt illum perpetuum Ducem crearet. Et quamquam Marcus Tullius legem Valeriam negat fuisse legem, ac omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis; tamen talem dum prædicant assentatores, anxius distinetur populus, nouatores per fraudem irrepunt, aut per vim irrumpunt. nec verò vllum vmquam adeo iniustum bellum est gestum, quin aliqui iuris prætextus præferrentur. Gallorum etiam Dux Brennus, cum veteres possessores pelleret nulla iniuria lacessitus, naturæ ius prætendit esse, minores vt crederent maioribus. Tamberlanus, vt Attila, se missum à Deo impiorum flagellum, Solimannus denique Turcarum Imperator iustam sibi repetendæ Romæ causam superesse dicere solitus refertur, quod Constantinus prodiga donatione inualidè eam alienasset ab Imperio, in quod ipse successisset. Artabanus *apud Tacitum l. 6. Ann.* reposcebat *veteres Persarum à Vonone & Macedonum terminos: seq; inuasurum possessa Cyro, & post Alexandro per vaniloquentiam*, inquit, *& minas iaciebat.* Ad eum ergo morem Iacobus Cassanus Regalis throni frontispicium, titulum, inscriptionemque libri nuper in vulgus dedit, *Inquisitionem*, inquam, *iurium regiorum & coronæ Franciæ ad regna dominatusque à Principibus exteris vsurpatos competentium Regibus Christianissimis per titulos legitimos, etiam ad Imperium.* Colorem sanè quæsiuit Cassanus, paulo minus longè quam Solimannus, in plerisque titulis, quos speciosè legitimos vocat: nec alio, quantum colligo, sanè proposito, ex tam abstrusis recessibus vmbras iuris extraxisse videtur, quam vt præludat votis earum Intelligentiarum, quæ cælum Gallicum nunc mouent, quibus animus est totam Europam turbare, quæ priuilegium libro regium, & præmium, vt rumor dicit amplum scriptori curarunt. Cyneam futurũ rati, à cuius lingua Pyrrhus plures quam à lancea sua vrbes sibi quæsitas gloriari solebat. &, vt occasionem quærit qui discedere vult ab amico, ita ne iniuria fecisse diuortium videantur, ne per nefas aliena Imperia, regna, ditionesque inuadere; scrinia situ obsita reserantur, antiquæ membranæ, obsoleti apices, exesti characteres allegantur, quos nec legerint qui prima litetarum elementa finxerunt: hæreditates, familiæ erciscundæ sistuntur, quæ ad Carolum Magnum, Pharamundum, Brennum, Franconem, Iapethum, Noëmum vsque pertingant. Ex his aranearum telis Iura Coronæ Francicæ speciosissimè concinnantur à Cassano: ab his olim visa oppida, lustratæ prouinciæ repetuntur, quid ni etiam mille auri pondo inter quæ appendenda Galli sunt cæsi à Camillo: & tamen in Dedicatoria Cassanus ac toto passim opere quasi structis solidè basibus classicum sonat, vt de Behemoth *Job cap. 41. halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur:* Regi suo ad vindicanda aliena sceptra animos contendit attollere, populo aures oculosque inficere, colorem prætexere, iuris speciem fraudi imponere, vulgus ignarum vmbris fallere, ac decipulis irretire.

## CAPUT III.

### *Regnorum Europæorum delatio Romanis an quibus legibus obnoxia?*

REgna orbis Europæi pleraque ſunt orta ſub occaſum Imperij Romani, cum barbararum gentium, præſertim Septentrionalium, exundationes illud, vt mare continentem perruptis vndique littoribus, inuaſerunt. quippe finibus ſuis egreſſæ, vt apum examina, dum ſua illas aluearia non ampliùs capiunt, nouas quæque ſedes quæſituræ, ferro alienas terras ſibi aperuerunt, expeditionumque Duces, quorum ſucceſſores plerique regio nomine exinde donati, qui virtute præcellerent, fortiori dextra præſtarent, ſibi ſumpſerunt: nullo alio iure, quàm quod barbaries domeſtica fortè duxerat, aut in armis conſiſteret, conſtituto; nullis legibus, quibus res priuatæ publicæue dirigerentur, præſcriptis. Soli indignantur Franci ſi quis illos neget principio rerum leges habuiſſe: Salicas tabulas commentantur, neſcio quibus dictatoribus ſcriptas, Salicam terram buccinant, Saliorumque gentem, verùm vt Iſraelitæ poſt rubri maris tranſitum & ingrata murmura per annos quadraginta in deſerto infeliciter errarunt, terram promiſſionis veſtigantes; ita Franci per decem & amplius nunc ſæcula terram Salicam quærunt, nec niſi tenebras & vocabulorum coniecturas aſſequuntur, vt ex ſcriptoribus illorum doctiores ipſi tradunt, *Paſquier recherches* l. 1. *c.* 6. *qua de re infra latius.*

Igitur hæ gentes, quocumque eas fortuna detuliſſet, prout lubitum erat, aut temporum opportunitas ſuadebat, res ſuas moderabantur; mortuis cæſiſue fortè regibus alios ſufficiebant, ſelectione plerumque initio fortiorum virorum, vt ferè omnes Septentrionales domi aſſueuerant, morituri Ducis deſignatione, ferè ex regia ſtirpe, ſi officio pares erant; aut aliorum adoptione, ſi deerant: filiarum collocatione cum ijs quos virtus bellica maximè commendaret; qui propenſo omnium animo poſſent ſuccedere: denique ſedibus conſtantius fixis, rebuſque magis conſtitutis, alia alijs magis placita fuerunt: aut vſu ſunt introducta, generatim quidem regna condita non ad leges Romanas, ſed ad gentium iura referuntur: *l.* 5. *D. de Iuſt. & Iur.* quanto magis quæ in excidio Imperij iuriſque Romani nata ſunt, apud pleraſque primis ſanè temporibus non niſi mares electi, vel ex ſucceſſione admiſſi ſunt: pacatis rebus pleraque regna dominatuſque ad liberos vtriuſque ſexus tranſierunt: nonnullibi interdum reſumptæ electiones; admiſſæ, excluſæue fæminæ, ſi temporum ratio fortes Duces poſtularet, muliebribus nænijs contenta non eſſet, nonnullibi ambitio valuit, & callidi gratioſiue regna obtinuerunt, excluſis proximioribus, fortè infantibus aut imbellibus fæminis, etiam alicubi nonnunquam legitimi nothis poſthabiti ſunt, quod & per Francos non ſtetit quo minus apud ſe fieret cùm voluerunt Carolum Martellum ex pellice natum in Regem aſſumere, & mallet ipſe Regibus imperare quàm Rex eſſe, quod tamen Pipinus II. & Carolus Magnus ex eo natus admiſit, & poſt illos Ludouicus & Carlomannus Ludouici Balbi filij ex pellice aut repudiata nati imperarunt. denique vt res priuatæ ita regna dominatuſque ex teſtamento, donatione, emptione, alijſque contractuum voluntatumue vltimarum formulis ſucceſſores habuerunt, & quod alio in genere ex D. Hieronymo ait Clemens III. *in c.* 9. *x. de ſepult. vnaquæque prouincia in ſuo ſenſu abundauit. Nec veto vincitur vno.*

At verò, quod ſæpius in huiuſmodi caſibus vſurpatum eſt, cum actus ſint ſupra omnes inſignes, ſi populus tacitè, expreſſèvè conſenſerit, pro more, pro conſuetudine, pro iure ciuili iſtius gentis recipiendum eſt. *l.* 32. *& ſeqq. D. de leg. & venerab. in fin. x. de elect. c. ita nos.* 25. *q.* 2. *cap. Moyſes*, 8. *q.* 1. vt in huiuſmodi varietate rationabilem pro locorum diuerſitatibus conſuetudinem attendi iubet idem Clemens, vt rectè Bald. *in* l. *ſi conſulari. D. de Senator.* conſuetudini acceptum refert, quod Philippus Valeſius in regnum Franciæ iudicio Ordinum prælatus ſit Eduardo Regi Angliæ, cum iam olim conſtituiſſet proximiores fæminas remotioribus agnatis maſculis fuiſſe poſthabitas. conſentitque Bart. *in l. de quibus. D. de legib. & in proam. D.* §. *& antea. & dd. in* l. 1. *C. de iur. dot.* quod iudicium quia prono totius gentis plauſu exceptum eſt, vtique facile creditur ius nunc Francicum eſſe. alioquin Eduardus non ineptas negotio leges Romanas pro ſe aduocabat: ſed eorumdem Ordinum decreto, vt refert Caſſanus *Rech.* l. 2. *c.* 5. *p.* 140. *& Papon Arreſt lib.* 4. *cap.* 1. *art.* 2. reſponſum fuit, Romanas leges in ſceptra Francica non habere dominatum, non eo iure illa deferri; ſed ex domeſtico diſceptandum eſſe.

Qua de cauſa cum & de aliorum regnorum delatione controuertitur, non aliter eſt dicendum, ſiquidem alia in Europa omnia, præter apicem Imperij Romani, alio quam Romano iure inſtituta ſunt; imo omnia aduerſus Romanas leges, quæ Imperatorem mundi dominum faciebant, nec alios ſuo in orbe Reges, quam ex beneficio Populi Rom. agnoſcebant, cuius qui dominatum excuſſerit, leges in regio iure deferendo ſtabiliuiſſe credi non poteſt. nemo ita vincit, vt vinculis velit inſeri deuictorum. quinimo nonnulli olim rebus ſuis conſulere ſe exiſtimantes, capitis pœna ſanxerunt, ne quis deinceps Romanas leges pro iure allegaret. quæ tamen vt in priuatis negocijs obtineant, in regnis ſanè deferendis conſiſtere non poſſunt. & quamquam Caſſanus ex ijs argumentetur l. *l. c.* 8. *p.* 282. *& alibi paſſim*, vt propoſito ſuo commodum eſt, tamen nec ipſe *lib.* 1. *c.* 1. *p.* 51. Romanas leges admittit, quæ ſucceſſiones non deferunt vltra decimum gradum, ſed & centeſimo locum facit, ne Franci Caſtellæ ſucceſſione, alijſque excludantur.

Siquidem ad Romanum Imperium, vt auſpicia tyrannica Iulij Cæſaris, Auguſti, ab eoque factam Tiberij deſignationem omittamus: Imperatores ſoliti magis fuerunt per electionem aſſumi, idque primum à Senatu, donec vulgatum eſt arcanum, etiam ab exercitu Imperatorem eligi poſſe. ex quo deinde tot bella ciuilia, ac toties diuiſa Imperia.

peria. Et quamquam ſucceſſores multi, etiam Conſtantinus, hæreditarium Imperium reddere conati ſint, vix admodum id vmquam durauit. Vnde tot cædes Imperatorum, præſertim Byzantinorum, ſi itaque diceremus Reges hodiernos iure Romano vti debere in regni delatione, ſequeretur, vel Populi Rom. vel Imperatoris beneficio, vel per electionem eſſe ritè aſſumendos in eam partem Imperij olim Romani, quam nunc vt regnum poſſident. quomodo iuris regulam recitamus, eum *qui in ius ſuccedit alterius, eodem iure vti debere.* quod nolint verum eſſe illi ipſi, qui has ampullas in medium proijciunt. Id quidem verum eſt, in negotiijs lege domeſtica non decisis, ius Romanum, vt bonum & æquum, rectè allegari, & vt tale vbique ferè gentium nunc eſſe receptum: quinimo nonnullibi edictis placitiſque Principum ſeruari iuſſum: ſed vtique auctoritate domeſtica Principum, non vt legis olim Romanæ: adeoque coniecturata Principum voluntate, vt diximus, qui ſibi ſceptriſque ſuis leges eas poſitas nolunt, ſed ſcito, inſtitutoque maiorum locum eſſe: quinimo, ſi quid illæ non ſatis deciderint, more gentis Ordinumque iudicio, vt olim poterat, etiam tunc tum caſus offertur, decidi poſſe. quemadmodum diuerſis ſubinde temporibus aliæ atque aliæ leges, ſacris prophaniſque Ordinibus adſtipulantibus, etiam quoad regnorum delationes ſucceſſioneſve ſunt paſſim conſtitutæ. Vt in Concilio Nationali Toletano *Can.* 3. dicitur, *Si quis ad regia dignitatis ambit peruenire faſtigia, quem electio hominum non præficit nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc apicem trahit, ſit conſortio Catholicorum priuatus, & diuino anathemate condemnatus.* & in regno Caſtellæ à Ferdinando, aſtipulantibus Ordinibus, vt impoſterum repræſentationi foret in regni ſucceſſione locus, decretum refert Caſſanus *l.* 1. *p.* 40.

Ad modum iuris Romani hodie etiam ad quæſtiones regales vocantur maximè vſus feudorum. ſed vſus tantum ſunt: ijque Longobardorum, & quatenus bonum & æquum continere videntur, probabilitati cauſæ ſuffragantur, ſed non aliam auctoritatem habent, quàm ſi ipſi Longobardi nobiſcum loquerentur, quorum vtique imperandi auctoritatem domum ſuam relegaremus, æquitatem admiſſuri. Sed quia in actionibus humanis plerumque rationes vtrimque probabiles ſe offerunt, multumque in omnibus locus, tempus, perſonæ momentum adferunt; euenit, vt adeo diuerſimodi atque contrarij plerarumque gentium mores emerſerint, & inſtituta: adeoque & omnis vſuum feudalium auctoritas ſumenda eſt ab vſu cuiuſque domeſtico, inſpiciendumque an ab eo recepti firmatique ſint, ſeu lege aliqua expreſſa, ſeu tacito vtentis populi aſſenſu, etiam quo caſu de regia ſucceſſione, regnique delatione agitur.

Ad leges regnorum expreſſas refero inueſtituras quibus olim regna quædam atque dynaſtiæ ſunt conceſſæ, ita tamen vt quidquid ijs non eſt expreſſum priori gentis illius iuri aliquando vſurpato cenſeatur relictum.

Hæc cum ita ſe habeant mirari ſæpius lubuit nuperos quoſdam Francicos ſcriptores, qui aliarum omnium gentium regnorumque vſus, conſuetudines, leges, inſtituta non æqua cum ſuis lance, expendunt; omnia ſalictis ſuis alligant; Salicis legibus obligant; Salijs populis vniunt: quos, etſi antipodes non fuiſſe conſtet, tamen vbi verè illi olim habitarunt non magis aſſequuntur, quàm Apollo ille Virgilianus *quibus in terris tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.*

Interim ſuis legibus alienos iudicant, iuraque negant ſibi lata, quibus alios oppugnant. nunc Romanas leges aduerſus ſe vim habere negant, nunc aduerſus alios ad eaſdem prouocant, nunc Francicis conſtitutionibus non ſua tantum, ſed & extera regna dominatuſque quaſi ſubiecta vindicant, hæc nec ſuis ſtare concedunt, abſit vt alienis quippiam ipſi cedant, paſſim iura in alios ſtatuunt quibus vti ipſi nolunt: & quamuis iuſtitia ſemper ſit conſtans, & eadem veritas ſemper, non obiectu colorum alteretur, non acceptione perſonarum offendatur; ita ipſis tamen pruriunt affectus, vt non merito cauſas diſcernant, ſed perſonarum gratiâ: idque in ſummis rerum, in monarchiarum, regnorum, dominatuumque controuerſijs, vt ſi non ratio, ſed perſonæ mutentur, aliam iuſtitiam, aliam veritatem mox concinnent. ſi de Francis agatur, omnia ſint iuſta, ſint æqua: ſi de Hiſpanis, de Auſtriacis; ipſum nomen cauſæ adferat iniquitatem.

At æterna Sapientia aliter iudicandum decreuit Sap. cap. 9. *Conſtituiſti hominem vt diſponat orbem terrarum in æquitate & iuſtitia*: conſtante vtique atque æterna. Sic Ioannes Baptiſta, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, cum, vt ait Gregor. *Hom.* 7. *in Euang.* tantæ virtutis eſſet vt Chriſtus credi potuiſſet, veritati inhæſit tamen conſtanter, *confeſſus eſt, & non negauit quod non eſſet ipſe Chriſtus. Ioan.* 1. obtinuit elogium à Chriſto *Matthæi* 11. quo vix maius dari poſſit, *quid exiſtis in deſerto videre, arundinem vento agitatam? quod non aſſerendo*, inquit idem Gregor. *Hom.* 6. *in Euang. ſed negando intulit. arundinem quippe mox vt aura contigerit, in partem alteram inflectit. & quid per arundinem niſi carnalis animus deſignatur, qui mox vt fauore vel detractione tangitur, alteram in partem inclinatur?* Non ergo ita Baptiſta ſummæ veritatis præco, ſed conſtanter confeſſus eſt, & non negauit, quod non erat.

---

## CAPUT IV.

### *Antinomiæ Caſſani.*

Videamus nunc an Caſſanus veritatis præco ſit, ad eum morem conſtans, cum iudicium ſumit monarchiarum, Imperiorum, regnorum, dynaſtiarum Europæarum: an *diſponat orbem terrarum in iuſtitia & æquitate*: an quod in Dedicatoria ait, *iura quæ allegat firma ſint, & conſtantia, deſumpta ex iuſtitia ſanctiorum legum, & maximè legitima poteſtate rationis.* Videamus quam conſtans ſit eius voluntas, & perpetua ius ſuum

suum cuique tribuendi: quam causæ merita, & ratio apud eum diuersis personis applicata, vniformiter operentur. atque imprimis inspiciamus libri illius frontispicium atque inscriptionem, *Inquisitionem in iura Corona Francia in regna, ducatus, comitatus, vrbes, prouincias occupatas per Principes exteros competentes tamen Christianissimis Regibus per conquisitionem, successionem, emptionem, donationem, & alios titulos legitimos*: ecce una phrasi omnes illos titulos pro legitimis habet ad regna, ducatus, prouincias Regibus Christianissimis asserendas: conferat cum hac thesi Lector omnes eius dissertationes, vnam non inueniet, in qua non aliquem alijs Principibus ex aduerso competentem reijciat, vt inualidum. Sic de bello quæsitis nullibi pro Gallis ius belli non laudat, vbi bella gesserunt feliciter, vbi victi sunt, prouincias, vrbes amiserunt, latrocinia, mox, rebelliones, inuasiones vocantur. Ita hominem, quamuis non vulgariter eruditum, aduocati regij titulus, beneficiaque regia, sperata acceptaque, vt rumores nunciant, scriptionis præmia obcæcarunt: vt, quod ipse de Alciato & Bartholo, qui tamen auctores habebant *leges depracatio. D. ad L. Rhod. de iact. l. bene à Zenone C. de quad. prascript. Nou. 105. l. pen. C. de bon. qua lib. 3. quaris de Nat. rect. l. inter claros. C. de sum. Trin.* ait *l. 1. c. 1. p. 23.* obligarit calamum magis passioni suæ, suorumque, quàm veritatis defensioni. Iure quidem Romano solo consensu Cæsaris in distrahendis rebus Cæsaris opus est *l. 1. D. de off. procur. Casar. l. aufertur §. actores D. de iur. fisc.* quioquid à Principe quocumque titulo concessum erat plena securitate possidebatur, siue per ipsos Principes, siue eorum procuratores, ex eorum tamen epistalmate foret assignatum, vt nullis possessores iudicijs liceret afficere, vt nec vlla insinuatione opus foret. id enim inter culmen regalis maiestatis & priuatam formam interest, *l. 1. 2. 3. C. de quadrim. prascrip.* cum omnia Principis esse intelligantur, siue ex sua substantia, siue ex fiscali fuerit alienatum. *d. l. vlt. vers. qua enim*, nam hæc in priuilegijs suis æquiparantur, *l. 6. c. de iur. fisc.* at Cassano omnes tituli, qui Francis fauent, causæ sunt idonei; qui alijs competunt inepti. Videamus imprimis.

## §. *De bello quæsitis*

Sacrosanctus hic est Cassano titulus, ac lapis angularis quoties de armis Francicis felicibus quæritur, omnia penè libri capita, quibus vlla loca Francis vendicare vult. vbi Caroli Magni aut veterum Francorum arma peregrinata fuerint, eo titulo Francis ea adscribit, quamuis sociorum iuuandorum causa, aut Christianissimi protegendi finibus sint egressa, ne Brennus quidem omissus est, quamuis à Camillo victus, quin Francis ob Bremiensem deberi Italiam æstimarit *lib. 2. c. 2. p. 19.* etsi aduersus Aragonios *l. 1. c. 5. p. 243.* cum lege Christiana conuenire neget, armorum vim sine iustitia, solum video illum omisisse Græciam, Asiamque, quo & Galli olim penetrarunt, consederuntque, donec à Romanis victi fuerunt: cum æquè facile esset, vt de Brenno, ita ibi dicere iure belli ea loca Gallis cessisse, Romanos nullo iure Gallos inde pepulisse, nullis fœderibus alienati semel quæsita potuisse, nulla præscriptione regnorum vindicationes impediri; vt de suis aliàs semper, sed cum illa à Turcarum Domino pacificè possideantur, noluit illi litem mouere; maluit, turbata quamuis tota Europa, Græciæ Asiæque pacem dari, quasi Turcarum Francorumque fœdera cariora illis sanctioraque sint Veruiniana pace, omnique alia Christiana a tametsi & laudabile cum hoste fidei esset bellum, & iustissimo titulo nixum: cum ipse recitet *lib. 1. cap. 5. p. 262.* Carolum VIII. à Pontifice Alexandro VI. Romæ triumphantem, coronatumque fuisse Imperatorem Constantinopolitanum, ei successisse Ludouicum XIII. qui adeoque aduersus Turcas tam gloriosè bellare posset, quàm Carolus Magnus Occidentis Imperator à Pontifice Leone adsumptus. cuius Caroli mentio in omnes penè periodos ab illo ingeritur. de qua re seu Caroli VIII. iure prosequendo acturi paulò latius sumus *libro 3. cap. vltimo*. Igitur vt è multis pauca designemus Castellæ, Aragoniæue loca à Carolo Magno, ab Alphonso Castellæ, & Garcia Nauarræ Regibus in auxilium vocato, armis capta, Francici iuris facta, Coronæque Francicæ vnita contendit Cassanus *l. 1. cap. 1. p. 60. pluribusque seqq.* quamuis ipse Carolus Magnus pro suis nec ea agnouerit, nec inter filios vt sua diuiserit. De Cathalonia prioribus similia ait, *eod. c. p. 64. & seqq. & p. 68.* huiusmodi bello captorum titulum, iure probari & sacris literis, quin *p. 69.* nec dari titulum acquirendi iustiorem quam victorias. quippe quæ res sint iudicatæ quoad sceptra, diademata, supremitatesque Imperiorum, regnorum dominatuumque. *qua de re latius dicemus infra. l. 2. c. 11.* Interim eo supposito Cassanus Francica eo nomine passim facit quæ armis Francicis aliquando cessere, perinde ac si quod olim Israelitis dictum erat. *Deuter. c. 1. omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit*, ad Francos æquè spectaret: vbi autem alijs victoria cessit, & fortunæ supremum arrestum, nullam apud illum Mars auctoritatem, nullam Fortuna, nullam Victoria habet: omnia mox Numinum vocabula, Acherонticis commutat promptus nomenclator; Violentiam, Inuasionem, Occupationem indigetat. Ita *lib. 1. c. 4. p. 189. c. 5. p. 220. c. 5. p. 228. 233. c. 5. p. 239. 240. 241. 143. c. 5. p. 263. 264. 265. c. 4. p. 372. lib. 2. c. 2. p. 56. 59. l. 2. cap. 5. p. 163. 165. atque alibi passim, qua Lectori nimium erunt obuia.* Id tantum lubet meminisse, quod vt historiarum scriptores vulgares multi gentium suarum Origenes olim solebant ad Troianos referre, illudque prudentiores ridere: ita Cassanus ex veterum Francorum Carolique Magni bellis iura sua depromere: dum id magis comedis, populi plausum risumque ambientibus, quam Iure consultis, quorum solida laus est disponere Orbem terrarum in æquitate & iustitia, conuenit, quin & ipse Cassanus *l. 1. c. 1. p. 53.* refert Castellanos Reges sæpius armis Francicis in regna restitutos; tantum abest, vt quod paulò ante de Castella diximus, ipse maiores sue pro vero habuerit: aut belli iure sibi vmquam Castellam

stellam quæsitam fuisse, vel testamentaria etiam institutione ab Alphonso Rege Carolum Magnum liberosue hæredes factos fuisse: quod vult Cassanus *l.* 1. *c.* 1. *p.* 5. 6. 7. cum & Alphonsum sui consilij pœnituerit, & proceres Hispaniæ ægrè tulerint Francorum Imperio subdi: gentis, inquit Mariana *de reb. Hisp. l.* 7. *c.* 11. insolentis, (vti ipsi loquebantur) & ferè non Maurorum seruitutem depelli, sed grauiori propemodum seruitute mutari. adeoq́ue Carolum narrat Mariana communibus Hispanorum barbarorumq́ue viribus prælio victum, totaq́ue deinde Hispania exclusum.

## §. *Successione*

Quæruntur hodie pleraque Europæ regna: sed quanam? latè satis diximus *c. proximo* legum Romanarum necessitatem illorum delationi non incumbere, sed ex domestico instituto, consuetudinarioue iure Regni, quod singulis proprium ab extero peruerti non potest, deuolui. & quoniam humana prouidentia non omnes prospicit, casus postmodum obuenturos, cum se illi offerunt, eodem iure decidendi sunt, quo idem populus aliquando vsus est. cum se offerunt primi, instituto gentis Ordinumq́ue iudicio id recipi potest, quod primi legumlatores, si eum casum præuidissent, verisimiliter creduntur statuturi fuisse. vnde prærogatiua sexus, & ætatis, repræsentatioq́ue parentum & auorum, nullis vbique certis legibus astringi potest, nec ex suo domestico quisquam ad extera vindicanda aduersus horum vsum dissertare. quare sexus masculini prærogatiua remotioris quamuis lineæq́ue transuersæ aduersus sobolem femininam recta linea descendentem, nemo iam Francis præter Anglos controuersiam facit. alioquin liberi Mariæ Burgundicæ, Caroli Audacis filiæ iam sceptra Gallica possiderent. & ante controuersiam ab Anglis motam filiabus Caroli Lotharingiæ Ducis, quem regno Capetus exclusit, extincta Caroli linea masculina, debita fuissent: &, cum altera illarum nupserit olim Duci Brabantiæ, altera Comiti Namurcensi maioribus Regis Hispaniarum, in quorum ille ius successit, competiissent: &, si regales actiones numquam præscribantur, vt vult Cassanus, quod mox videbimus, etiamnum deberentur. Sed vt æquis oculis hæc aliaq́ue Francorum scita alij aspiciunt, ita Francos aliorum mores oporteret non dedignari. In contrarium Cassanus quamuis in Aragoniæ regnum per ducentos quinquaginta & amplius annos fœmina nulla successisset, vt fatetur *lib.* 1. *c.* 8. *p.* 382. contendit tamen ad regnum assumi non potuisse Ferdinandum ex prærogatiua sexus, omissa matris repræsentatione, exclusaque matertera illo seniore *l.* 1. *c.* 1. *p.* 21. *& seqq.* l. 1. *c.* 2. *p.* 123. *& seqq.* neget Dionysium Alphonsi filium rectè ad regnum Lusitaniæ euectum, exclusa sorore ex priori matrimonio nata extra regnum, & antequam pater ad regnum esset euectus: cum ille in regno & post adeptum regnum natus esset, & ordinum regni assensu prælatus, nam de natalibus ei restitutis dicimus infra *c.* 6. l. 3. quinimo post motam controuersiam arbitrorum à Papa delegatorum sententia Ferdinando Regnum adiudicatum fatetur, illamq́ue à Papa confirmatam: sed mox & Papa, & arbitri *p.* 106. Cassano sunt desertores rationis, & æquitatis; qui ob malignum aduersus Francos animum contemplari non potuerint causæ iustitiam, quin non bilancem iustitiæ, sed Canaan expenderint: de qua Ozias *statera eius, statera dolosa.* iterumq́ue Cassanus *p.* 108. eiusmodi sententiam contrariam dicit legi Dei, gentium, & naturæ, quæ filijs assignat hæreditatem parentum, ideoq́ue regnum Aragoniæ debitum fuisse Iolentæ filiæ Joannis excluso nepote Ferdinando: id si verum, contra legem Dei, gentium & naturæ est lex Salica, quæ filiabus à regno seclusis nepotes vocat, vt Franci volunt, non descendentes tantum, sed & laterales. Denique in huiusmodi controuersia *p.* 110. legitimum titulum esse contendit iudicium Ordinum Comitem Andegauensem vt regem recognoscentium, quod in Dionysio negat, alijsque: *vt mox infra videbimus §. Miscellanea.*

Non minus contra supremam feudorum legem, vt extantibus masculis non sit locus fœminis (quam ipsemet alibi *c.* 5. *p.* 383. agnoscit) contendit Ludouicam Philippi VII. filiam intrudere in successionem Sabaudiæ exclusis duobus fratribus *L.* 2. *c.* 2. *p.* 47. quia ex secundis nuptijs nati Philiberto coniuncti non essent ex vtroque latere, vt Ludouica; ob Romanas leges: *Auth. de consang. col.* 6. *t.* 13. *Nou.* 84. Iterum patrem ex iure Romano vult facere successorem filiorum in Ducatum Lotharingiæ: *l.* 2. *c.* 3. *p.* 81. cum ex descendentibus illorum non sit, quibus olim feudum illud concessum sit.

Plura sunt alia quæ in successionibus regnorum controuersa facit toto opere Cassanus; & cum Romanarum legum tela iecit, alibi eadem aduersum se non admittit, &, vt admitteret, ineffiacia sunt, vt mox diximus, *c.* 3. ad regna dominatusque supremos deferendos: nisi quatenus illæ, domestico scito olim probatæ sint, atque vsurpatæ. Quam varient autem mores in regnorum dominatuumue delationibus plenis feudistæ veteres hodiernique libris ediderunt: congerit non pauca Grotius *de iure belli* l. 2. *c.* 7. mihi hic non est illud persequi institutum.

## §. *Testamento*

Regna olim data fuisse omnium sæculorum gentiumq́ue historiæ protestantur, scribunt veteres Alexandrum Magnum hæredem nuncupasse eum, qui optimus esset: Pyrrhum; qui ensem acutiorem haberet: verius sacræ literæ Mach. *l.* 1. *c.* 1. Alexandrum pueris nobilibus secum enutritis diuisisse regnum, cum adhuc viueret; morte tamen præcognita. Romanos Imperatores sæpius designasse successores, fortunæ imaginem misisse, aliasve regni tesseras ex historiis est notum. laudat testamenta etiam pro Francis Cassanus *lib.* 1. *c.* 1. *p.* 5. 6. 7. vbi ab Alphonso Rege Castellæ Carolum Magnum fuisse ait institutum hæredem, atque hunc in vim testamenti posses-

sionem

ſionem iniiſſe, & ad Ludouicum XIII. tranſmiſiſſe. *eod. c. p.* 24. Henricum Regem Caſtellæ fideicommiſſo oneratum, *p.* 26. Henricum Caſtellæ Regem hæredem inſtituiſſe, D. Ludouicum Franciæ regem, *p.*42. Alphonſum in Coronam Caſtellæ hæredes inſtituiſſe liberos Reginæ Blancæ, Reges Franciæ ſubſtituiſſe, regnum in plura diuiſiſſe. cum paolo ante *p.* 21. regna dicat indiuiſibilia *l.* 1. *cap.* 2. *p.* 88. Reges Franciæ ad regnum Aragoniæ vocatos eſſe teſtamento Renati Andegauenſis: *l.* 1. *c.* 2. *p.* 103. Alphonſi *c.* 3. *in fin. p.* 157. Reginam Margaretam hæredem familiæ Boloníenſis, cui comperat regnum Luſitaniæ; teſtamento ſcripſiſſe hæredem Ludouicum XIII. adeoque Portugalliam illius eſſe. qua de re dicimus *l.* 1. *c.*10. deinde *c.*5. *& p.*261. ait Alphonſum inſtituiſſe in regnum Aragoniæ hæredes Equites Ieroſolymitanos *l.* 1. *c.* 2. *p.* 89. *& c.* 5. *p.*250. Robertum ſcripſiſſe Joannem hæredem in in regna Siciliæ: à Ludouico II. Ludouicum III. *c.* 5. *p.* 255. Bertrandum à Bernardo in alios dominatus *c.* 6. *p.* 306. Ludouicum XI. à Carolo Mainio ſcriptum hæredem in vim teſtamenti ſucceſſiſſe in Coronam Siculam & Neapolitanam: *eod. c. p.* 257. Renatum Ducem Andeganenſem ſucceſſiſſe in regna Siciliæ, Neapolis, Aragoniæ, & Ieruſalem ex teſtamento tam Ludouici III. fratris ſui quàm Reginæ Joannæ: *p.* 257. 259. Ludouicum à Joanna *p.* 260. Carolum Mainium inſtitutum à Renato *p.* 26t. Ludouic. XI. illiuſque filium à Carolo ſubſtitutum, & in vim illorum teſtamentorum illa regna ad Ludouicum XIII. eſſe deuoluta, *p.* 262. in vim einſdem inſtitutionis etiam comitatum Prouinciæ Regibus Franciæ acquiſitum: *p.*279. in vim horum teſtamentorum Carolum VIII. Ludouicum XII. & Fraciſcum I. arma tuliſſe in Italiam, iura in ijs fundaſſe, quibus illa regna repetebant. *p.* 280. Reges Franciæ ſubſtitutos in iura Neapolitana à Germana de Fuxo: *c.* 6. *p.* 317. eadem repetendo ait in illorum teſtamentorum vim Reges Galliæ non ſucceſſiſſe tantum in ſceptra Sicula, & Neapolitana, ſed etiam Maioricæ *c.* 7. *p.*331. Valentinam eo iure ſucceſſiſſe in Ducatum Mediolanenſem, per ſubſtitutionem *lib.* 2. *c.*3. *p.*82. *l.* 1. *c.* 3. *p.* 132. *& ſeqq.* Ludouicum XI. in vim teſtamenti Caroli Mainij ſuam dixiſſe Lotharingiam, pluresque alios ducatus: & iterum *p.* 207. *l.* 2. *c.* 7. Prouinciam aliaſque ſucceſſiones vendicat in vim teſtamenti Berengarij, inſtituentis Beatricem, quam tranſmiſerit ad Andegauenſes, & hi ad Ludouicum XIII. & *c.*8. *p.*391. teſtamentum Renati Andegauenſis inſtituentis Dncem Mainium nepotem in omne ius in quo etiam Aragoniæ comprehendatur, excluſis proprijs filiabus, vnde Principes Lotharingi deſcendant, eaque volnntate excluſiua prolium probata, locum facit Ludouico XI. Carolo VIII. continuis teſtamentis, denique *l.*1. *c.*8. *p.*373. in regnis vt alijs bonis generaliter liberum facit vltimæ voluntatis ſtylum.

Quibus aduerſantur, quæ ſæpius inculcat Caſſanus reges tantum eſſe vſufructuarios: vt *l.* 1. *c.* 1. *p.* 33. 34. *ac alibi pluries*: ius auctoritatemque illorum cum vita finiri, ſed nec alienare quicquam poſſe, *ibid. & mox h. c.* §. *ceſſione latius videbimus*, quo argumento & Caſſanus vtitur *l.* 1. *c.* 7. *p.* 334. ideoque extra hæredes ab inteſtato nec ex alle, nec ex vncia regnum alienare poſſe, extraneoſque inſtituere; adeo quidem vt nec ingratos liberos exheredare poſſint *l.* 1. *c.* 1. *p.* 25. *Omnes*, inquit, *Monarchiæ & imperia iam olim hereditaria ſunt, & ſucceſſiones neceſſariæ, vt teſtatur Ariſt. l.*3. *polit.* adeo vt nec liberi à parentibus ijs priuari poſſint: vt & Franci cenſuerunt in Carolo VII. quem pater exhæredauerat, vocato ad regnum genero rege Angliæ, eoque hærede inſtituto.

Hæc ita cum aduerſus Francos teſtamenta recitantur, quare *l.* 1. *c.* 8. *p.* 389. negat potuiſſe Joannem inſtituere fratrem in regnum Aragoniæ omiſſa filia, obſtante iure natiuitatis, & prouidentia maiorum: & *c.* 3. *p.* 141. reijcit Alphonſi teſtamentum quo ille filium Dionyſium, de quo mox egimus, inſtituit, & Philippi Marij Ducis Mediolanenſis, qui Alphonſum Regem Aragoniæ hæredem in ducatum ſcripſerat, cui eſſet Valentina ex fratre neptis, quam natura & leges vocabant: habitumque illud teſtamentum tam irrationabile, vt à populo publicè ſit combuſtum: *eod. c. p.*130. & in quæſtione Sicula, quam tam operosè exagitat, non immemor ſubticuit Corradini, qui vltimus ex familia Sueuica fo pro Rege Siciliæ geſſit, teſtamentum: quo ille à Carolo Andegauenſi in publico theatro expoſitus, ac capite per carnificem minuendus, cognatos Aragonios regnorum hæredes nuncupauit, cædiſque ſuæ vindices, ac ceſſit tum Sueuus, ac ſæpius deinde Aragonij victrici fortunæ Andegauenſi, ſed reciprocauit illa vices, &, in poſteris præſertim, iuxta Aragonios firmiter hactenus conſedit.

## §. *In dotem datione*

Generis, affinibus, maritis, plurima regna dominatuſque obuenere. Laudat Caſſanus Alphonſum Portugalliæ regnum in dotem dantem Henrico Franciæ Principi cum Tereſia filia *l.* 1. *c.*3, *p.*117. Ludouicum XII. cum Germana nepte regnum Neapolitanum iuxta diuiſionem quam recitat Ferdinando Catholico *l.* 1. *c.* 5. *p.* 265. *eodemque c. p.*280. *& ſeqq.* laudat pacta ſucceſſoria in eadem conuentione nuptiarum expreſſa. Ripuaris leges *tit.*39. *de dota mulier. ſi quis*, inquiunt, *mulierem deſponſauerit quidquid ei per tabularum ſeu chartarum inſtrumenta promiſerit, perpetualiter inconuulſum permaneat*: & Paulum *l.* 1. *ſent. tit.* 10. *tabularum*, inquit, *nuptialium inter coniuges maneat æterna auctoritas, & inconcuſſa fides*: & Gallum *q.* 83. quia *alias*, inqnit, *forte non fuiſſet matrimonium factum, & ideo ſi non adimplerentur conuentiones iniquum eſſet*: & *l.* 1. *cap.* 7. *p.* 324. pacta Valentinæ Ludouico Aurelianenſi Ducatum Mediolanenſem in dotem adferentis, conuentamque ſubſtitutionem, *p.* 336. *& ſeqq.* ſtudiosè probat obſeruanda pluribus legum ſcriptorumque auctoritatibus, *l.*2. *c.* 5. *p.*169. Philippum Alſatium Flandriæ & Hannoniæ Comitem Philippo Auguſto cum Jſabella nepte in dotem dantem

dantem Comitatum Artesiæ. In contrarium *l.* 1. *cap.* 1. *p.* 32. *& seqq.* reprehendit S. Ludouicum, Blancam filiam in matrimonium dantem Ferdinando Alphonsi Regis Castellæ filio, & dotis loco eis cedentem quidquid iuris pretendere poterat in regnum Castellæ. vbi multis prosequitur non potuisse S. Regem cedere regia iura, non alienare Castellam Franciæ Coronæ iam vnitam: *p.* 36. & masculinæ tantum successionis deinceps factam: *p.* 35. veniam precatur *p.* 36. à S. Ludouico, quod nimis facilem fuisse dicat in huiusmodi cessione, quod animaduertat hanc eclipsin in pulchra stella, hanc maculam in vultu pulchro, hunc pallorem in splendido diamante: Proh! quantum eum adfectus distrahunt, vt non Hispani tantum ei odio sint, sed & Reges Franciæ, alijque etiam, & diui vapulent, vt soluere possit argumenta aduersus Francos obiecta, mirum quomodo abstinuerit à mentione iuramenti, quod Reges Franciæ præstant de non alienandis iuribus Coronæ, atque in hoc etiam non garriat incidisse sanctum. Sed hic norat auctoritatem iuramenti, inefficacitatemque chymericæ vnionis, ac terminos regiæ potestatis: malebat Christiani nominis hostibus bella indicere, quàm cum regibus suæ religionis de tricis altercari, à præpostera nostrorum temporum inuidia alienus.

### §. *Adoptione*

Naturam imitante, ciuiles liberos in Imperia successores non pauci habuere. Cassanus probat adoptionem à Joanna Regina Neapolitana factam, qua Ludouicum I. & II. adsciuit in regnum Neapolitanum *lib.* 1. *c.* 5. *p.* 252. *& seqq.* & iterum ab altera Joanna quæ adsciuit Jacobum Burbonium, Ludouicum III. & Renatum Andegauensem, *qui, inquit p.* 271. *tituli sunt authentici in commodum Francorum, cùm per actus illos regna sua dederint adoptatis, qui ea transmiserunt ad Ludouicum* XIII. eodem tamen capite Cassanus impugnat adoptionem Alphonsi Regis Aragoniæ, ab eadem Joanna II. iam ante factam, qui eandem armis defenderat, aduersus Ludouicum Andegauensem *p.* 256. & quamuis huic iuri Joanna præiudicare non poterat, tamen Cassanus probat reuocationem adoptionis, quasi ex ingratitudine Alphonsi, qui aliquid ex auctoritate Joannæ minuere voluerit, quasi durius eam Alphonsus habuerit, vt qui duo loca munita in pignus ab illa acceperat, vt ait *p.* 292. quam Ludouicus; qui bello presserat, vt regno eijceret. sed si Cassanus æquis oculis inspiceret an Franci benignius cum ijs agant hodie, quibus in Germania, Italia, Sabaudia, ac alibi suppetias tulerunt, an non plura eorum munita loca præsidijs teneant, nec ingrati tamen velint dici, non tam abrupto iudicio Alphonsi vt ingrati reuocatam iure adoptionem mox inferret. quid quod ipse Cassanus *lib.* 2. *c.* 4. *p.* 106. asserat Metrenses, Tulenses, Verdunenses, in protectionem à Francis susceptos, iure merito, quod consilia cum Hispanis agitassent, in ordinem subiectorum esse redactos? cur non eodem iure Alphonsus Joanni diffidere potuit, securitati, & expensis suis cauere, cum sciuit Joannam cum Ludouico hoste consilia habere? quo cum dicit *p.* 256. mox pacem iniisse, adoptasse, & in regnum sociasse? sed & Cassanus *d. c.* 5. *p.* 272. eadem aliaque regna Jacobo Burbonio marito ab eadem Joanna donata recitat ex instrumento, & *p.* 278. eum tamen successorem eiusdem Joannæ facit, tametsi diuortium ab ea fecerat, eaque deserta in Galliam abierat, quasi donatio aut institutio tam mobilis fæminæ, cum tanta etiam iniuria, immobilis perseuerarit, vt omittamus Ludouicum III. à Joanna II. adoptatum mortuum esse ante adoptantem, & sic ante conditionis superuiuendi euentum, vt nulla est viuentis hæreditas, mansit ius omnino Alphonso, inuestitusque est ab Eugenio IV. qui ante Ludouicum inuestiuerat, inuestituram eandem reuocando, ac derogando omni prætenso iuri Andegauensium, ex plenitudine potestatis, pro statu & beneficio Romanæ Ecclesiæ, ita vt & ex inuestitura eiusmodi & adoptione Alphonsi potius ius fuerit in regna Sicula, adeoque & Comitatum Prouinciæ, pridem per Beatricem Prouinciæ comitissam Carolo I. Comiti Andegauensi Regi Siciliæ ab Vrbano IV. vocato, à Nicolao III. inuestito nuptam, in dotem allatum: tametsi illum Andegauenses vicinia & auxilio Francorum potentius retinuerint.

### §. *Donatione*

Francis competere Cassanus asserit regna dominatusque plures ex donatione Joannæ III. regna Siciliæ, Neapolis, aliaque Iacobo Burbonio, quo cum secundas nuptias contraxerat, nomina recitat, & instrumentum. *l.* 1. *c.* 5. *p.* 272. Burbonijque successionem deuolutam ait ad Ludouicum XIII. neque iustos magis aut legitimos titulos inueniri posse ex ordine naturæ, aut regulis iustitiæ: *p.* 271. Iterum *cap.* 6. *p.* 315. probat donationem regni Maioricæ factam à Joanna regina Ludouico Andegauensi: Sardiniæ Ludouico Andegauensi à Marchionissa Montis Ferrati *cap.* 8. *p.* 378. Comitatus Russilonensis, Luxemburgi à dominis Marcanis Francisco I. *l.* 2. *c.* 5. *p.* 173. Prouinciæ à Philippo Pulchro, Carolo Claudo Regi Neapolitano *l.* 2. *c.* 7. *p.* 208. vrbis Arausianæ à Rege Roberto Bertrando *l.* 2. *c.* 8. *p.* 247. donationem regni Neapolitani à Ferdinando Rege Neapoli coronato factam Frederico patruo: quasi eo bello victo plus iuris Franci obtinuerint: à Guilielmo Trincauello Comitatus Bezieres & carcassonæ factam D. Ludouico *l.* 1. *c.* 8. *p.* 370. Enimuero in contrarium *l.* 1. *c.* 8. *p.* 402. legem fundamentalem esse dicit; ne quid ex Domanio Coronæ per Reges possit cedi, vendi, donari, aliásve alienari, vtpotè re sacra, quæ non cadat in commercium, quam thesim etiam *p.* 403. prosequitur, aitque & Salicis legibus nixam *l.* 2. *c.* 5. *p.* 155.

§. *Em-*

## §. *Emptione*

Sardiniæ regnum Francis Caſſanus *l.* 1. *c.* 9. *p.* 420. vindicat. emptum vtique per Philippum Franciæ Regem à Jacobo rege Maioricæ. neque alias conditiones requirit, quam quæ *tot. tit. de contr. empt.* tres proponuntur, mercem, pretium, conſenſum contrahentium. Vrbem Montiſ-Peſſulani per eundem Philippum ab eodem Jacobo *l.* 1. *c.* 6. *p.* 309. maieſtatis iura ſiue Soueranitatem regni Maiorici ab Eccleſia Mageloneñſi eo tranſlata: *ead. p.* Comitatum Perpignannum ab eodem, *c.* 8. *p.* 374. Comitatum Ruſſilonenſem oppignoratum, *eod. c. p.* 392. Ludouico XI. per Joannem Aragonium, itemque Sardiniam: *c.* 9. *p.* 423. regnum Arelatenſe ab Henrico Imperatore per Philippum Valeſium: *l.* 2. *c.* 1. *p.* 21. illiuſque ſupremitatem, qua in alias ſe ditiones extendat: *l.* 2. *c.* 2. *p.* 38. 39. 40. *& ſeqq.* quam *p.* 41. vel ideo vendi potuiſſe contendit, quod non ſit de antiquo patrimonio Imperij: Luxemburgum per Ludouicum Andegauenſem: *l.* 2. *c.* 5. *p.* 172. ſupremitatem vrbis Auenionenſis, Arelatenſis, & Arauſianæ, & Comitatus Prouinciæ, tamquam comprehenſorum ſub regno Arelatenſi: *l.* 2. *c.* 7. *p.* 214. & iterum *c. vlt. p.* 245. 246. partem vrbis Arauſianæ per Regem Robertum ab Equitibus Ieroſolymitanis, ſupremitatem vrbis Aurelianenſis per Ludouicum XI. à Guilielmo Cabillonenſi, Taranti à Jacobo Burbonio, & Ioanna Neapolitana Arauſiani principatus *l.* 2. *c. vlt. p.* 246.

Ex aduerſo negat potuiſſe Carolum VIII. reſtituere vrbem Perpignanam, non recepto pretio quo fuerat oppignorata, eo quod proueniſſet pecunia ex domanio Regio. ecce vt is nec fructuum liberam Francicis regibus permittit adminiſtrationem, *c.* 8. *p.* 402. quem mox diximus, etiam regna vendi permittere, quæ non ſint de antiquo patrimonio, & mox ingerit non poſſe cedi quidpiam, vendi, donari, alienari, ex domanio per Reges: eademque rurſus repetit, quoad regnum Sardiniæ, & Comitatum Ruſſionenſem, vt reddi non potuerit, niſi recepto pignoris pretio *l.* 1. *c.* 9. *p.* 423. 424. 425. emptionem etiam vrbis Auenionenſis à Ioanna Neapolitana per Pontificem Clementem negat validam: *l.* 2. *p.* 7. quamuis factam ex ſumma neceſſitate, & ad neruos belli ad regnum defendendum intendendos, quod obſtantibus legibus & edictis ex domanio nihil alienari potuerit, vt pluribus ibi proſequitur. quin *l.* 2. *c.* 7. *p.* 233. negat illam validè contractus vllos inire potuiſſe, vtpotè fæminam, & tamen §. *prox.* docuimus quanta & quot regna ex Ioannæ Neapolitanæ donatione pro Francis prætendat plureſque *eod. cap.* nullitates exagitat *pluribus ſequentibus paginis*, ad quas oculi illi caligant cum pro Francis regna dominiáue ſunt empta: ijſdem argumentis nullam Caſſanus dicit, pluribuſque proſequitur *l.* 2. *c. vlt. p.* 248. 249. venditionem ſupremi iuris in vrbem Arauſianam à Rege Renato factam Ludouico Cabilonenſi, eiuſdemque iuris remiſſionem Florentinis à Rodulpho, numeratis decem florenorum millibus, Senenſibus ab Henrico V. etiam minori ſumma accepta, factam: *l.* 1. *c.* 1. *p.* 34. ſed & *d. c.* 6. à Francis ſupremitatem regni Maioricæ ait ab Eccleſia Magalonenſi potuiſſe comparari, eoque magis quod reges Franciæ ſummum ſoueranumue ius habent in bona temporalia Eccleſiarum ſui regni: ſed vtique intra fines regni, intra quos ipſa maieſtas coërcita eſt, ſed extra illos eam ad Garamantas vſque extendere eſt affectus cæci argumentatio, quæ geometriam omnem prætergreditur.

## §. *Ceſſione*

Deberi Francis Siciliam, & Neapolim arguit Caſſanus *l.* 1. *c.* 4. *p.* 269. quod Jacobus Aragoniæ Rex *an.* 1291. Terraſconæ tractatu ſolemni regnis iſtis renuntiarit, & Fredericus Jacobi frater abdicato regis Siciliæ titulo, Trinacriæ tantum retento, & vt poſt mortem illius, ad Carolum illiuſque liberos regna illa deuoluerentur, confirmantibus vtrumque tractatum Pontificibus: *d. c.* 4. *p.* 249. 270. ceſſionem per Duces Lotharingos factam regni Aragoniæ, Comitatus Prouinciæ, aliorumque dominatuum accepto titulario iure regni Ieroſolimitani probat itidem Caſſanus, *l.* 1. *c.* 8. *p.* 391. Denique Ferdinandi ſuper regnis Siculis promiſſa Hiſpanos Reges obligare multis iterum Caſſanus contendit, *l.* 1. *c.* 8. *p.* 206. *& ſeqq.* vt velit etiam ſucceſſores teneri priorum regum promiſſis non tantum, ſed & inuaſorum, aut tyrannorum, quà rem publicam continent. denique laudat Caſſanus *l.* 2. *c.* 5. *p.* 209. 210. ceſſionem Stephanæ filiæ Guiberti neptis Berengarij, & aliam Raimondi filij Guilielmi de Baux, quoad ius ſuper regno Arelatenſi, & Auenione, ab ijs prætenſum; denique probat ceſſionem iuris ſupremi in regno Caſtellæ factam Carolo Regi Franciæ ab Henrico Caſtellæ, *l.* 1. *c.* 1. *p.* 53. *& ſeqq.* Genuenſibus à Carolo IV. *l.* 2. *c.* 4. renunciationem iuris in regna Siciliæ prætenſi à Jacobo Arragoniæ Rege in gratiam Caroli Andegauenſis. *l.* 1. *c.* 5. *p.* 247.

In contrarium improbat renunciationem regni Arragoniæ ab Iolenta Ioannis vltimi Regis filia factam, licet cum iuramento, quod minorum contractus etiam aſtringit. *Auth. ſacramenta. C. ſi aduerſus vendit.* vt remittentibus actiones ſuas non ſit regreſſus dandus: *lib. quæritur. D. de ædil. edict.* præſertim iuratis etiam quoad ſucceſſiones paternas, *c. quamuis pactum de pact. in* 6. negat tamen Caſſanus huiuſmodi Iolentam promiſſa aut iuramenta obligaſſe: *l.* 1. *c.* 8. *p.* 385. item ceſſionem factam à S. Ludouico iuris ſuper regno Caſtellæ prætenſi impugnat: *l.* 1. *c.* 1. *p.* 32. *& ſeqq. & c.* 2. *p.* 84. *& ſeqq.* ceſſionem ſupremitatis factam à Philippo Rege Franciæ quoad Cataloniam, qua Francicos Reges teneri negat, tametſi validam habeat ceſſionem ſupremitatis Francis factam quoad Tholoſam, Narbonam, aliaque loca ibidem expreſſa, eodem quamuis tractatu 1260. Claro-monte factam: vt Francis id, quod eodem ceſſere, velit remanere, idque, quod ceſſum eſt, nihilominus acquiri: quale leoninum commercium ne barbaræ quidem leges hactenus probarunt: & addit tamen *p.* 86. linguam ei præciſam Tholoſæ

Tholosæ fuisse, qui dicere ibi ausus fuerat, quod Rex Aragoniæ ius haberet super comitatu Tholosano: & causam vlterius repetit *p.* 85. ex Petro Iacobi *in tractatu de success. reg. vers. Rex Arragon.* quod Rex ille excommunicatus à S. Sede, status illius confiscati erant, & dari S. Ludouico. *Rex*, ait Pet. Iac. *Arragonum si ius habebat in Comitatu Tholosano, illud amisit: quia fuit fautor hæreticorum, & venit in propria persona in adiutorium Comiti Tholosano, quare Papa notauerat eum de hæresi.* magnificè certè Cassanus, vt Francis his ex causis regna asserat: sed viderit an conueniat cum hodiernis Francorum theorematibus, vt qui hæreticis suppetias ferunt, regnis excidant, & de hæresi notentur: aut secum ipse: cum eædem causæ aduersus Francos allegantur, *qua de re mox paulò latius.* Iterum Carolum Claudum filium Caroli Andegauensis bello nauali captum ab Aragonijs, intercedente Eduardo Angliæ rege, & pro eo paciscente, vt captiuitate solueretur, dummodo regni iure cederet, in vim eius tractatus dimissum, negat teneri: *lib.* 1. *c.* 2. *p.*100. *& lib.* 1. *c.* 4. *p.* 263. à Ferdinando factam cessionem regni Neapolitani Frederico patruo inefficacem habet.

## §. *Transactione, pace, fœdere*

Restituendam Francis Nauarram Cassanus contendit: *l.* 1. *c.* 4. *p.*197. quod ita Carolus V. promiserit tractatu Nouionensi 1516. non ipsi Henrico Albreto, sed Francisco I. cum Carolum illum Andegauensem, de quo mox diximus *pag.* 101. neget obligari sponsione Eduardi, quam ipse non fecerit, cum tamen illius in vim carcere egrediens ratam habuerit, & ratihabitio non secus, quam si ipse initio contraxisset illius negotium fecerit, vt loquuntur leges, præterquam quod Pace Madriliana contrarium fuit conuentum, vt Henricus Albretus titulo Regis Nauarræ pro se successoribusque suis in perpetuum cederet. vt omittam rursus Iconinum commercium, quo pacis capita quæ pro Francis faciunt Cassanus vbique acceptat, & vrget; quæ contra illos, spondere illa negat in potestate Regum Francorum fuisse. Iterum Cassanus *l.* 1. *c.* 5. *p.*265. fœdus probat inter Ferdinandum Catholicum & Ludouicum XII. quo de plurium regnorum partitione, supremitate, fidelitate, & homagio multa spondentur, eodemque *capite p.*270. Fredericus III. & Ioanna Neapolitana conueniunt super regnorum pactitia successione, regnique Trinacriæ supremitate, fidelitate, hominio. Iterum *p.* 279. conuentionem Ferdinandi & Ludouici: atque iterum *p.*403. *& seqq.* Ducis Nemurcij Reginæ Nauarræ *c.* 4. *p.* 195. *& lib.* 2. *c.* 2. *p.* 57. aduersus Sabaudum ex fœdere Veruiniano, Cameracensi, Turinensi, Lugdunensi argumentatur, ad loca, supremaque iura per illud promissa, cum toties alibi ex ijsdem fœderibus debita impugnet.

Alia solemnia fœdera reprobat Cassanus, vtpotè *lib.* 1. *c.* 1. *p.* 41. inter Sanchium & Ferdinandi liberos, quamuis arbitris duobus Regibus *c.* 2. *p.*78. Claremontanum 1270. quo Philippus cessit iure supremo in Cataloniam prætenso, aliud quo Carolus Claudius 1289. captiuitate solutus fuit. *l.* 1. *c.* 2. *p.* 100. *& l.* 1. *c.* 5. *p.* 246. regnoque Siciliæ, & Neapolitano cedendum erat. Madrilianum quo Franciscus I. iuri omni in regnum Siciliæ & Neapolis renuntiauerat, *p.* 266. Nouiomense *an.* 1516. Cameracense, & Madrilianense. *p.* 293. 294. *& seqq. &* iterum *lib.* 1. *c.* 6. *p.* 353. quo negat Franciscum I. renuntiare potuisse Ducatui Mediolanensi *lib.* 2. *c.* 2. *p.* 51. restitui non debuisse Sabaudiam, promissa irrita fuisse fœderis Cameracensis: & iterum perperam restituta ex fœdere loca diuersa ad Sabaudum spectantia *p.* 54. iterum idemque quoad Comitatum de Lisse. *p.*63. quoad supremitatem in Flandriam prætensam tractatu Madriliano remissam, Cameracensi, & Veruiniano quoad hoc, cæteraque non excepta, confirmante, *l.* 2. *c.* 5. *p.*147. *& seqq.* 158. *& seqq.* 161. *& seqq.* vbi tamen *p.* 152. extollit potestatem Regis Franciæ absolutam, quod etiam se ipsum in contrahendo læsum possit in integrum restituere. quod si verum est, cur idem negetur alijs Regibus, qui pariter non alium agnoscunt superiorem? qua via facile est soluere omnia fœderum vincula. quis enim est aliquando Regum, qui non bello aut pace læsum se existimet, adeoque in arbitrio cuiusque erit pacis quantumcumque solemniter initæ legibus solutum se profiteri, in integrum à se ipso restitutum esse? non eo inficias Reges contrahendo cum subditis circumuentos, eodem se iure, quo subditos, in pristinum statum posse restituere: ea est capitis cum corpore connexa potestas. nego duos Reges contrahentes vt tales, alterum in alterum contractumve mutuum potestatem habere, nexum huiusmodi soluere posse: quia neutrius termini subordinata est potestas. *vt diximus latius l.* 1. *c.* 4. sed & Reges sic paciscentes iure gentium, belli, pacis, fœderum, contractuum, pactorum, *l.* 5. *D. de iust. & iur.* tantum tenentur, neque edictis prætorijs, vllive iure Romano in inuitos locus est: *vt latius diximus c.* 3. & vt foret non apud se quisque Regum, sed apud aduersarium de restitutione disceptare deberet. *l.* 1. *&* 2. *C. vbi & apud quem restitutio in integrum agitanda sit*, vt inter Imperatorem Henricum & Siciliæ Regem decidit Clemens V. *in c. pastoral. de sent. & re iudicat. in Clem. §. vt illud.* eoque magis quod ordinis sit naturalis vt actor sequatur forum rei. *d. §. vt illud.* qui ea propter etiam Ecclesiam obligat. *c.* 5. *x. de for. compet.* Denique huc spectat pars magna eorum pactorum quæ citauimus *h. c. §. cessione.* nam plerumque renunciationes huiusmodi fieri solent, cùm bella quæ vigent componuntur, vel de causis vnde timentur, transigitur. spectant huc etiam, quæ contraria inuicem Cassanus scripsit de pactis Regum captiuorum. *qua discutimus infra l.* 2. *c.* 8.

## §. *Præscriptione*

Creditum hactenus etiam regna acquiri: sæculari saltem, & qualem etiam per leges & canones patitur ipsa Ecclesia Romana: cuius iura priuilegiaque indignum est infra sæcularia Regum iura collocare: sed Cassano nulla sæcula sufficiunt ad præscribendas regales actiones; quamuis

hodierni

hodierni poſſeſſores ſuos laudent auctores ad bellum vſque Troianum. *ita l.1.c.1.p.9.* 47. 48. 49. *c.3.p.*143. 145. *c.4. p.*382. *c.8. p.*407. *l.2. c.4. p.*95. *l. 2. c. 6. toto* exarchatus ſupremitatem Francis competere contendit, nec alio iure quàm ex Caroli Magni contra Lombardos victoria, quamuis tot ſæculis non agnitam, ſed quam tacitè in donatione Pontifici facta, vt vult Caſſanus, reſeruarit Carolus. magni tamen facit ſæpius Caſſanus alibi diuturnam poſſeſſionem à maioribus in poſteros continuatam, *l. 1. c. 5. p.*268. *c. 8. p.*408. 9. 10. 411. *l. 2. c. 5. p.* 50. & abſtinet argutè à vocabulo præſcriptionis, rem tamen dicit *d. p.* 10. de Carolo Magno & ſucceſſoribus agens, ait, quod centum & viginti annorum poſſeſſio, quibus Imperium in familia fuit, cum iuſta cauſa, eis acquiſiuerit ius, & titulum certum, & legitimum, quod tranſmiſerint in deſcendentes: An non hoc eſt deſcribere vim præſcriptionis? in eaque Francica iura fundare, quàm ab alijs reijcit? ſic & *lib.2. c. 4. p.* 91. dicit Genuenſes fuiſſe *ſuæ* poteſtatis, eo quod multis annis ita egerant, nullum Principem recognoſcentes, ideóque dedere ſe Francis potuiſſe: non id eſt argumentari ex virtute præſcriptionis? Et de viribus præſcriptionis Regiæ videbimus quidem infra *cap.* 15. ſed non poſſum hic cæcutientem Caſſani affectum prætere, qui non videt non admiſſa viſorum ſæculorum præſcriptione, tota Francis Gallia cedendum eſſe: vtpotè quàm illorum maiores finibus ſuis ingreſſi, nullo iure, nulla laceſſiti iniuria olim inuaſerint, ſi fides vllis debetur hiſtorijs: eademque adeo reſtituenda eſſe ijs, qui in Imperium ſucceſſerunt Romanorum, qui per quadringentos eoque amplius annos illas poſſederant.

## §. *Alienatione*

Comprehendi omnes quos iam recenſuimus titulos, nemo ignorat: & clarè decidit lex *fin. C. de reb. alien. non alienand. L. in quorum. D. de pignor. l. alienationis. D. de V. S. & ibi Alciat. & c. nulli. §. alienationis. X. de reb. Eccl. non alien.* quoties ergo Caſſanus hoc capite citatus eſt, probat improbatque regnorum alienationes, prout rebus ſuis variè conuenire exiſtimat. quoties agitur de acquirendo Francis dominio, validos hos atque ligitimos titulos exiſtimat; & in frontiſpicio proſtituit: quoties autem illis aliquid decederet, nulli ſunt, irriti ſunt, in poteſtate Regum non ſunt, nullo eis illorum prætextu alienare quidpiam licet, nec ciuitatem vnam, *quanto magis regna.* inquit, *l. 1. c. 5. p.* 269. integra? quod præter citata *h. c.* loca etiam variè contendit pro & contra, vt res ſuæ ferunt. *l. 1. c. 4. p.*197. *c. 5. p.*265. 270. 299. *c.6.* 304. 308. 353 *c.7. p.*352. *l. 2. c. 1. p.*28. *c. 4. p.*91. 92. *l.1. c.2. p.*80. 82. 84. 100. *l. 2. c. 3. p.* 72. 73. &c. Quid iure liceat ediſſerit Menoch. *conſil.* 1003.

## §. *Inueſtitura*

Pridem obtineri conſueuere regna Siciliæ, Neapolis, nominatuſque inde pendentes: nec hic Proteum agere Caſſanus deſinit: mirum in modum poteſtatem Pontificiam extollit in deponendo Frederico Imperatore, regniſque exuendo, vt locum faciat introducendo in Siciliam Carolo Andegauenſi: condemnatio eius extat *in c. ad apoſt. de ſent. & re iudic. in 6.* vbi electoribus facultas fit alium ſurrogandi in Imperio: de regnis autem Siculis ſtatuendi ſibi ſeruat Pontifex poteſtatem. Caſſanus ergo *l.1. c. 5. p.* 213. *& ſeqq.* dicit eum excommunicatum à Concilio generali Lugdunenſi, Imperio deiectum, regniſque priuatum, vt ſæpè alios ſummo iure, & prudentia: illicitum eſſe dubitare de iuſtitia & firmitate decretorum Conciliorum generalium; vbi Spiritus Sanctus præſidet; indignè vexaſſe Eccleſiam, deſpexiſſe auctoritatem, infregiſſe leges, turbaſſe populos; obſediſſe vrbes, fugaſſe Papam Roma; in carcerem egiſſe Prælatos; in mortem religioſos, vaſallum fuiſſe Eccleſiæ, meritò regnis feudalibus excidiſſe, iure feudo priuari vaſallum iniurias domino inferentem. Iterum *l.1. c.2. p.* 91. *& ſeqq.* Petrum Arragoniæ Regem inimicitias cum S. Sede ſumentem iure priuatum Corona, ac Statibus ſuis, inueſtitumque Carolum Franciæ: regnumque Aragoniæ eidem Sedi feudatarium facit ex literis alterius Petri Aragonij, quas recitat *p.* 96. quas ſi Franciæ aliquis Rex dediſſet, mox Caſſanus negaret eius in poteſtate fuiſſe; qui ne quidem D. Ludouico pepercit *vt mox diximus h. c. §. in dotem dat.* & quamuis Clodouæus Hormiſdæ, & Sedi Apoſtolicæ coronam auream miſerit, quaſi ſubmiſſionis teſſeram, & Carolus Magnus alijque annuos denarios S. Petri per Galliam colligi permiſerint; Caſſani tamen ſimiles nihil inde obligationis regno contractum facile dicunt. Petrum tamen Caſſanus etiam ex crimine ingratitudinis, læſæque Maieſtatis Pontificiæ reum facit, ſæculari etiam feudorum lege priuari potuiſſe mox infert: & *p.* 299. & ſpiritualem, & temporalem Pontificum poteſtatem in priuandis huiuſmodi Principibus extollit, idemque in Manfredo Neapolitano probat, *l.1. c.5. p.* 219. *& ſeqq.* & Coradinum tamen à Manfredo occultatum vbique omittit, qui moriturus Aragonios inſtituit; inueſtituraſque *p.* 245. *& ſeqq p.*255. 258. 262. *l.1. c.9. p.* 416. 417. 418. priuationeſque ſimiles in Francorum commodum vergentes ſæpius laudat.

Eis autem contrarias omni quæſitorum colorum genere impugnat: nam (vt omittamus quod *d. c. 5. p.* 278. honoris tantum, & dicis cauſa, Sedis Apoſtolicæ beneplacitum inſeri ait, & contra tenorem inueſtiturarum, quæ de inueſtitis & poſteris loquuntur, laudat regnorum illorum in alienam familiam tranſlationem) factam inueſtituram Alphonſo ab Eugenio Ferdinando Alphonſi à pio II. Alphonſo Ferdinandi ab Innocentio VIII. improbat: ibi mox in angulum reiecta eſt S. Sedis vtraque auctoritas, iudicijque firmitas, ibi mox in promptu eſt, *quod noſtrum eſt, à nobis ſine noſtra cauſa auferri non poteſt*: ibi Aragonij in præiudicium Francicorum procerum inueſtiri non poſſunt, ius ſemel acquiſitum alicui ab eo inuito vlterius auferri non poteſt: ibi vaſalli ſine cauſa feudo priuari non poſſunt, ibi Francorum inueſtituræ ſunt irreuocabiles, alijs præferendæ, quia anteriores, quia remuneratoriæ, iterum

rum irrevocabiles: & quamuis causa Francici iuris in Mantuano oecumenico Concilio fuerit proposita *an* 1459. & aduersus Francos Aragonijs Sicilia relicta, ægritudini affectuum id ascribit Cassanus: quem iam paulò ante memorauimus alibi credere oecumenicis concilijs præsidere Spiritum Sanctum, veritatem dictare, ab errore tueri, quæ ita latè prosequitur Cassanus *à p.* 281. *vsque ad p.* 291. Vbi tandem noui generis catapulta oppugnat inuestituram Caroli V. quod lege fundamentali regni Siciliæ ea Corona incompatibilis sit cum diademate Imperiali. at si Imperij apex in concursu obtigisset Francisco I. credi non potest eundem Cassani iudicio incompatibilem in illo futurum fuisse. qui non patitur ab eo posterisue ius in ea regna prætensum auelli fœdere Nouiomensi, Madritiano, Cresipiensi, alijsque intermedijs, denique Cameracensi ac Veruiniano, & vt concederemus post depositionem. Frederici Imperatoris quibusdam ex causis Carolum Andegauensem, aliosque, non ex lege regni fundamentali, quæ priores Fredericos non impediuerat, sed ex voto deinde Pontificum promisisse dignitatem non ambire, aut suscipere Imperialem, neque se, neque posteros; non id afficeret illos, qui non ex eorum persona illis regnis admouentur: vt Aragonij: & vt afficeret; non nescit Cassanus Principem impedimenti gnarum, alicui tamen magistratum imponentem, legem soluere. *l.* 57. *D. de re iudic.* adeoque Pontificem Carolo V. inuestituram regnorum concedentem, electionemque Imperatoriam confirmantem, lege illa, si qua fuisset, soluisse. vt omittamus Ieronimum Suritam in Histor. Reg. Cathol. C. II. Julium Cerrium, alios referre Leonem X. Carolo V. conditionem illam veterem expressè remisisse. Sed & iterum maximè sibi contrariatur Cassanus, quod tam iustè Fredericum Imperio regnisque exutum describat: non idem tamen admittit in Ludouico XII. Rege Franciæ, cui multis ambagibus omnia iura Sicula deberi contendit, qui non tantùm bellum gessit cum Julio II. & Ecclesiæ exercitum in ipso die Paschatis prostrauit, sed etiam Concilium aliquot Cardinalium Pisas coëgit, eoque diem Iulio dixit, vt tamquam fœdifragus (an in Francis talem exuendæ dominationis causam Cassanus admitteret?) Pontificatu spoliaretur: quod non cogitauit Fredericus vmquam ille, aut alij Siculi tyranni: iustissimè ergo Iulius, ea necessitate pressus, ad Alphonsum Aragonium recurrit, auxilia postulauit, accepitque promptissima; ac omne ius sceptri Siculi in Aragonium ex remuneratione irreuocabiliter, si cum Cassano argumentemur, transtulit. à quo in Ferdinandum Catholicum, Carolum V. & Philippos Hispaniarum Reges continuatis iam tot inuestituris etiam deduxit. De potestate Iulij Cassanus dubitare non cupit, qui nec alios dubitare permittit. *l.* 1. *c.* 5. *p.* 268. nec de causis, qui easdem in Frider. ante Carolum Andegauensem, ac alijs regno priuatis probauit. At, inquit, Iulius homo turbidus magis bellatorem egit, quam Pontificem; magis gladio quàm Petri clauibus dexteram onerans: sed ideóne vasallo aduersus eum fœdera inire, bellum inferre, Concilium indicere impune licuit? at iniustas causas Iulius habebat, iniustum bellum gerebat: ita semper Cassanus pronunciat de eo, quod vmquam aduersus Francos gestum est: quod nostri non est nunc instituti prolixius refutare, id tantum obliuisci non possum, quod Cassanus *d. c.* 5. *p.* 207. ait Fredericum toto Christianismo proclamatum vt fidei desertorem, & Ecclesiæ hostem, quod Sultano Ægypti suppetias tulerit, cum eo inducias pepigerit: at eos qui nostro sæculo Turcas, in fines Christianorum immiserunt, Ariadenum tot millium Christianorum abductorem aduocarunt, hæreticis Ecclesias vastantibus auxilia, vires, arma, pecuniam dederunt, ad ea Ecclesiæ feudataria, vt ait, regna vult reuocare, ex quibus ideo iustè Fredericum exutum probat.

Sed quoniam ad regnum Siculum nos hæc dissertatio duxit, placet simul meminisse, quod Cassanus ait regna non præscribi, *vt supra hoc c.* 6. *præscript.* iniustè occupata à restitutione numquam excusari, armis, repeti posse: & Pontificem aliena temporalia sui iuris facere non posse. *l.* 1. *c.* 4. *p.* 176. *& seqq. ac alibi sæpius*, neque cum præiudicio tertij inuestituram dare: *l.* 1. *c.* 4. *p.* 283. *ac alibi sæpius*, constat autem Siciliam omnem sub Imperio Romano comprehensam fuisse. Normannos circumacto mari eò delatos occupasse. *Pasquier Recherches*, *l.* 7. *c.* 53. & fatetur Cassanus *l.* 1. *c.* 5. *p.* 204. eo vsque Pontifici eam detulisse: *p.* 205. *p.* 220. illum Ducem illorum de ea inuestiuisse: ex axiomatibus Cassani aliena Pontifex acceptare, in feudum dare cum præiudicio Imperij non potuit: adeoq; nec ex vllo temporis lapsu Carolo. Andegauensi firmare. quo Cassani argumento viden', vt excidatur radix iuris omnis Francorum in ea regna? Cassano quidem non dissimiliter argumentatus credi potest Imperator Henricus, *ex c. pastorali de sent. in Clem.* & olim Fredericus: quem iustè tamen damnatum contendit *d. c.* 5. *p.* 213. *& seqq.* & causa fortè inde sumpta est iurisiurandi, quod præstat Imperator *in Clem. Romani. de iureiurand.* vbi formula Imperatorij iuramenti etiam hoc complectitur. quod numquam Imperator in controuersiam vocabit eiusmodi terras ab Ecclesia possessas. & Frederici quidem I. verba de Imperio ex Frisingensi refert Cassanus *lib.* 1. *c.* 1. *p.* 18. non Romano beneficio, sed maiorum sanguine emptum superbè desentientia: quis de Sicilia sensus animo sederit satis ea explicant.

Et vero Carolus Andegauensis, qui fama clementiæ nouum dominatum firmare debebat, Thracibus Schytisque crudelior Coradinum ex tot Imperatoribus Regibusque natum, sanguinis Sueuici stillam vltimam, carnificis gladio subiecit, publico in theatro, vna cum Archiduce Austriæ, & duodecim primæ nobilitatibus proceribus: Henricum autem Castellæ Regis filium ferreæ caueæ inclusum tota Italia ignominiosum spectaculum circumduxit, vt Francicus Tamberlanes alterum Baiazetem: insolentiam verò militum, Regis in morem sæuientium, adeo non compescuit, vt incolæ desperato consilio omnes trucidarint: quod consilium tot auribus commissum prodi necesse erat ab aliquo nisi crudelitas omnium

omnium ora clauſiſſet, veſperiſque Siculis ſilentium impoſuiſſet. Nam & Siculi inueſtituram Pontificis reuerebantur, veniamque deprecati Caroli Imperium non detrectabant, dummodo Franciæ nationis præſidijs impoſterum carerent: quam conditionem reiecit Carolus, & armis vindicare ſe, ſuoſque voluit: deſperabundi ergo iterum Petrum Aragonium pro auxilio interpellant, ille amicis oppreſſis, ſociali iure, quin & ſanguine Coradino iunctus, & hæres ab eo in theatro nuncupatus, in ſignum traditionis regni proiecta in populum chirotheca, quæ ab equite quodam excepta eſt, & ad Petrum delata, auxilia tulit; adeo ſelicia, vt Franci numquam armis regnum recuperare potuerint: vt Caſſanus hæc fatetur: *l.* 1. *c.* 5 *p.* 228. 229. 230. 235. 215. at vero oppreſſis auxilia præſtare, ius eſt gentium: Reges ſubditis vt brutis abuti non poſſe, ius eſt naturæ: bello quæſita (ceſſantibus etiam omnibus alijs Aragoniorum hic titulis) victori cedere, ſanctiſſima Caſſano lex eſt: *vt demonſtrauimus b. c. §.* 1. Quæ ratio etiam proſternit dubium Caſſani *d. c.* 5. argumentum quod *p.* 298. deſumit ex auctoritate Baronij: cuius quæ ibi citat verba, ſuam ſingula ſolutionem habent ex his paucis vltimis noſtris lineis, & Aragoniorum inueſtituris, quas mox citauimus, & ipſe Caſſanus fatetur *d. p.* 282.

## §. *Miſcellanea*

Antinomiæ totum Caſſani opus vt formicæ peruagantur, ſed longum, nec operæ pretium eas hic perſequi. diſſertatio tamen proxima exigit ne prætercam, quàm ſanctè de auctoritate Pontificia loquatur, in priuandis regibus ob hæreſim, & Eccleſiæ contemptum. *lib.* 1. *cap.* 2. *p.*85. 86. *c.* 2. *p.*91. *c.* 5. *p.* 207. 209. 210. 213. 214. 219. 224. *c.* 8. 374. *c.* 9. *p.* 416. *l.* 2. *c.* 7. *p.* 208. quando res pro Francis diſponuntur: ſi quid aduerſus illos dirigatur, mox non videbitur illi Pontifex habere in temporalia poteſtatem vel de regnis ordinare non poſſe, claues Petri ad animas ſpectare, non ad alligandos Reges eorumue regna in compedibus decretorum Eccleſiaſticorum: fore alioquin regna precaria omnia reddere Papis, & ad eorum lubitum habenda, euertere fundamenta monarchiarum, deijcere auctoritatem, viam ſeditionibus aperire, contra Dei præceptum Regibus omnes ſubiiciens, ne Eccleſiaſticos quidem eximens, *l.* 1. *c.*3. *p.*136. *l.*1. *c.*4. *p.*170. 172. 173. 174. 175. 176. 179. 181. 182. 185. 186. 191. 192. in transferendis imperijs Occidentis in Carolum Magnum Orientis in Carolum VIII. ac aliàs *l.* 2. *c.* 1. *p.* 9. *p.* 16. 20. 21. *l.*1. *c.*5. *p.*262. regno Aragoniæ Templarijs ab Alphonſo relicto Franciæ Regi dando, *l.*1. *c.*2. *p.*90. confirmandis contractibus antenuptialibus, pactitiaque ſucceſſione Mediolanenſi vacante Imperio: *l.* 1. *c.*7. *p.*319. *p.*361. quamuis bulla Caroli IV. pridem pro regimine Imperij vacantis prouiderit: ſuper non admittendis ad regna illegitimis: *l.*1. *c.* 1. *p.* 44. *c.* 5. *p.* 222. tollendis matrimoniorum impedimentis, reſtituendiſque in conſequentiam natalibus *l.* 1. *c.* 3. *p.* 135. 138. confirmandis inſtitutis, electis regibus: *p.*140.

Ordinibus etiam regnorum Populoue, cuius illi legari nati exiſtimantur, magnam emphaſim Caſſanus tribuit, cum in rem id ſuam vertere poteſt, alias illos ab abſoluta Regum poteſtate reijcit, rebelles facit frequenter, aut ſaltem mutos. *l.* 1. *c.*1. *p.*28. *p.*44. *p.*72. 109. 110. *c.*5. *p.*205. 220. *c.* 5. *p.*258. 262. 272. *l.* 2. *c.* 1. *p.* 26. 27. *c.* 2. *p.*41. *c.*5. *p.*161. *c.*4. *p.*92. *c.*5. *p.* 161. 162. 163. 164. *c. vlt. p.*249. *l.*1. *c.*2. *p.*74. 81. *c.* 3. *p.*138. 139. *c.* 3. *p.* 199. *c.* 4. 259.

Regna Siciliæ quamuis à Normannis quæſita fateatur, ſubiecta facit Caſſanus iuri Romano, omneſque Jtaliæ ditiones, & cui iuri Reges illi Principeſve derogare nequeant *l.*1. *c.*5. *p.*216. & virorum Doctorum facit ſententiam: ſed verius Maranta *in Spec. p.*3. *V. tela. n.*95. dubiam admodum facit quæſtionem ex conſtitutione regni, vtrum poſt conſtitutiones & conſuetudines ſeruetur ius Longobardicum an Romanum, quod cui præualeat, & decem vtrimque argumenta adducit, & vtrimque ſoluit, ſed Longobardum nunc deſuetum ait, & Romano locum facit, ſed tamen præ omnibus dat prærogatiuam regni conſtitutionibus, & conſuetudinibus ſine controuerſia eius rei, præſertim quoad controuerſias regales, vt ijs minimè teneantur, latè cauſam diſcuſſimus *ſupra c.*3. ſed & ipſe Caſſanus *eod. c.*5. *p.*278. cum ſibi obijcit argumentum quod Ioanna Neapol. marito regnum dare non potuerit, cum iure Romano donationes inter virum & vxorem ſint inhibitæ, negat Reges huiuſmodi legibus teneri. ſatius hoc in caſu dixiſſet, nec iure Romano huiuſmodi donationes vetitas inter Principem & Auguſtum. *l. vlt. circa fin. C. de quadr. præſcript.* interim Caſſanus illic ob leges Romanas non poſſe illos Reges heredem ſcribere, quem illæ non permittant, aſſerit; hic legibus ſoluit: & addit vt ſæpe alias, quia *ſic in Francia ius habet.* ita quod præmonui *initio c.*3. alios non illorum, ſed ſuis legibus iudicent ſæpe Francici ſcriptores huiuſmodi.

Regnum Arelatenſe ſemper membrum Franciæ fuiſſe, numquam de domanio Imperij, contendit Caſſanus *l.*2. *c.*1. *p.*22. & tamen *p.*21. ſcribit illud Philippum Valeſium ab Henrico Imperatore emiſſe tam validè, vt non poſſit amplius: ſiquidem ſi à non domino emit, quomodo validè? & non, ſi à vero Domino emiſſet, potuiſſet validius?

Rurſus *eadem p.*22. Reges Franciæ Caſſanus Imperatoribus facit æquales: & tamen *eodem libro* 2. *c.*1. *p.*1. & 2. deſuiſſe adhuc ait Franciæ Regibus ſupremum dignitatis faſtigium; ſcilicet Imperatorium diadema, quo fierent primaria columna Eccleſiæ: illud ergo cum Imperatoribus competat, non Regibus Franciæ; non ſunt in gradu dignitatis æquali.

Quæ etiam inuicem mox de transferendis Imperijs ac regnis contraria citauimus; ſpecialiter elucent in Imperio Romano-Germanico, quod rectè in Francos tranſlatum contendit Caſſanus *l.* 2. *c.* 1. ob negligentiam Conſtantinopolitanorum Jmperatorum in defendenda aduerſus Longobardos Eccleſia: eandem agnoſcit in Ludouico Franciæ Rege: *l.*2. *c.*1. *p.*15. quid ni ergo fateatur

fateatur eodem modo & causa transferri potuisse in Germanos? cum tamen *d. c.1. p.10.* Romano-Germanos Imperatores per vsurpationem dumtaxat Imperium possidere, & ad Francos spectare contendat, ad eundemque modum ob ingratitudinem regna feudalia posse transferri contendit in Petro Aragonio *l.1. c.9. p.* 418. 420. vt mox etiam de Frederico diximus, cur ergo negat in Ludouico XII. alijsque Franciæ Regibus ei similibus, qui non deseruerunt tantum Ecclesiam, sed etiam oppugnauerunt ipsi, vt Ludouicus XII. aduersus Julium II. alijque? quorum ex capite regna Sicula, vel Imperium Cassanus vindicare Francis contendit.

Plures omnino sunt aliæ antinomiæ toto Cassani opere dispersæ, non dies tantum sed hebdomadæ & menses me deficerent, si illis committendis insisterem: lectori facile se illæ prodent obuiæ; hæ autem quas retulimus satis erunt, quibus non est legendi otium, vt ex ijs vnguibus æstiment leonem. vt ex vnius arteriæ pulsu de tota hominis valetudine iudicant medici, & Pythagoras Herculani corporis mensuram ex Pisano stadio, quod Hercules suis pedibus fuerat metatus, ratiocinatus est.

## CAPUT V.

### *Applicatio dictorum; propositio dicendorum.*

At quorsum hæc omnia? vt intelligamus quam Cassanus nuperiq; quidam ei assymboli scriptores Francici, in vindicandis Coronæ Franciæ tot regnis dominatibusque, arundineis titulis nitantur, quos ipsi in alijs improbent: simulque qui eodem ore calidum efflent frigidumque, eodem idem calamo affirment & negent, eandem causam albo notent lapillo & nigro; non rebus sed personis suffragia dantes; in se probare quod in alijs damnent, in Francis iustum censere, quod in Hispanis iniquum: iustitiam apud eos cæcam non esse, deficere ab Areopagitarum instituto; etsi Dionysium Areopagitam apostolum suum laudent: consectarium vlterius esse apud eos, quibus ratio imperat, vt fateantur aut iustos regnorum titulos eos esse, quos modo recensuimus, non aliter sibi, quàm alijs gentibus, aut iniustos: Deus enim & natura eandem omnibus legem dedit, similem æquitatem, iustitiam pariformem: igitur necesse est vt non vituperent in alio, quod in se laudant, vt in alio non improbent, quod in se probant; vt eodem iure vtantur, quod in alijs statuunt: vt sibi fieri posse censeant, quod alijs iustè faciunt: adeoque regna, dynastias, dominatus eodem quo à se iure acquiri posse, retinerique. non est admodum discurrendum per omnia Europæ regna, vt facit Cassanus, eique assymboli: vna fidelia possunt omnia dealbari: nullum enim omnino esse credam, quod possideat Hispaniarum Rex, quem potissimum impetunt, quod non habeat comites titulos, atque vnum quodque plures ex illis, quos vt iustos pro Francis Cassanus, consortesque producunt. cuius rei testimonia nunc alia nolim proferre, quàm quæ mox citaui, atque ipsa illorum scripta produnt, neque id mihi nunc institutum est, neque operæ pretium in eos hic pugnare, qui proprijs ensibus iugulantur, qui suis ipsi iaculis repercussi intereunt. nuper tamen Nicolaus Vernulæus Apologiam dedit, qua omnium ditionum, quas Austriaci Principes hodie possident, iusti tituli breuiter proponuntur, id tantum propositum est, ex hisce contradictorijs Cassani assertionibus, illius iudicium infirmasse, qui iustitiæ constantiam dilapidauerit: & generalia nunc quædam, & quæ obijci passim solent argumenta discutere dumtaxat: ac tum maximè disceptare de iuratis pacis fœderibus non violandis: &, quod infelicia hæc tempora in contrarium vehunt, bellum, quod aliud ex alio sunt aliqui commentati, an cum tot pacis fœderibus conueniat, quæ Francia cum Hispania, Imperio, Domóue Austriaca contraxerit, quod Cassanus, consortesque scriptores, seu primi potius eorum motores prodigiosè pepererunt.

## CAPUT VI.

### *De lege, & terra Salica.*

Francis Salicum nomen aliquibus in ore pænè tam est frequens quàm saliua, nec tamen hactenus legem Salicam non commentum esse, sed legem verè latam certis vllis monumentis demonstrant. exstitisse vmquam negauerunt illi, qui causam Eduardi Regis Angliæ aduersus Philippum Valesium egerunt apud Ordines Franciæ: nec porrò hi archiua discuti, membranas proferri, annulos, sigilla inspici iusserunt, sed historijs & exemplis certatum est, & velut ex moribus deprompta sententia pro Philippo. causæ perorationem quàm largissimè Annalibus Flandriæ inseruit Emanuel Sueyro *Tom. 1. l. 11. ad annum* 1328. annotatis etiam ad marginem omnium opinionum auctoribus, quorum etiam partem citat Spigelius, *in Lexico V. Salica lex.* quibus insuper cæteros refutans addi potest Pasquier, *aux recher. l. 2. c. 16.* & sane Cuiacius de feud. *l.1. t.1,* de Conrado Imperatore agens, *is est,* inquit, *Conradus Salicus nuncupatus quod Dux esset Francorum Orientalium qui Salij dicti sunt, Ammian. Marcellin. 17. petit primum omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Francos appellauit: Sigebertus, Franci,* inquit, *vti ceperunt legibus, & legem Salicam dictauerunt. Separatis libris habetur lex Salica, & lex Francica: hac est Occidentalium, illa Orientalium.* Ita Cuiac. ergo Salica lex, eo iudice, ad Gallias non spectat, sed Franconiam, quæ etiam fuerit terra Salica, tam est ipsis Francis expeditum, quàm Dedali labyrinthus. ijdem auctores varias deriuationes faciunt, à Sala fluuio, Salijs populis, quos alij ad Aquas sextias inter Alpes & Rhodanum, alij in Franconia, alij inter Rhenum, Mosam, &

Moſellam quærunt: ob conſonantiam vnius alteriuſue ſyllabæ, quam ſi tantum ſectentur, in deſcriptione Plinij inuenient in Africa ciuitatem Salam ad marginem fluuij cognominis: apud Martialem in Hiſpanijs etiam Salam, in Dalmatia Saloniam Diocletiani patriam, in Italia Salentinum. Verum, ſi quid veritatis vmquam etyma continent, terra Salica iacet iuxtà fluuium *Salam* nunc *Iſalam*, quæ vna hodie numeratur ex ſeptemdecim inferioris Germanicæ ſeu Belgicæ prouincijs in *Tranſiſalana* ditione, quæ & inde dicitur: ac iuxtà Rhenum conſiſtit: vbi & territorium eſt quod *Sallant* etiam nunc vocamus, id eſt, terram Saliorum, ſiquidem *lant* ditionem ſignificat. ſita etiam eſt *Oldenſalia*, id eſt, veterum Saliorum ciuitas, & inter Swollam & Campenam ad Iſalam *Salicum* nobilis vicus, & in vicinis Friſijs vrbs Franicum quaſi Francicum, & iterum Salinga, vrbs paucis inde paſſuum millibus, nec procul ab Agrippina diſtans, & ſanè Paſquier *Recherches l. 1. c. 6.* primos Francos à finibus Friſiæ ad Rhenum adducit; quo tranſito aduerſus Romanos bella geſſerint, paulatimque progreſſi vicina omnia ſui iuris fecerint, conſentit Miræus, *in Chronico Belgico ad annum* 420. Denique Montanus *ad mappas Kerij in Tranſ-Iſalania* ex teſtimonijs Agathiæ, Claudiani, Sidonij, Spanheimij, Turonenſis, Marcellini latius probat. & nuper reperta fertur membrana vetus geographica Imperij Romani, in qua Franci Salijque vltra Rhenum iuxtà Friſios ſint collati. cui conſonat veteris Belgij mappa apud eundem Kerium, & veteris Germaniæ apud Ortelium: conſanguinea autem, affinis & inter ſe mixta eſt veteribus gens Francorum, & Saliorum. Sed hæc vocabula anguſta nimis ſunt, quàm vt ſatisfaciant Francis, qui eo tendunt, vt quidquid in poteſtatem Regum ſuorum ſemel venerit, terra Salica fiat, imò regiam hanc, dominicam ſeu domanialem terram eo nomine ſignificari contendunt, ſed hi ſibi contradicerent ſi regulis de allodio latis dominialem illigarent fundum qui illi oppoſitus eſt, quod ſi ſunt etiam, Joan. Trithemius Abbas, alijque, qui iſtius legis Salicæ dictatores Deorum ſacrificulos fuiſſe contendant, Salogaſtum Iouis, Weſogaſtum Dianæ Pontifices, qui obſcuris verbis hæc oracula tamquam ex tripode reſponſa dederint, cur non eodem modo terram Salicam interpretantur, vt Brutus reſponſum Apollonis Delphici, regnaturum illum qui primus matrem oſculatus eſſet, & continuo pronus terræ oſculum infixit communi omnium matri, ita omnem communis matris terram Salicam faciunt ab omnibus liberam, quod alij nomine Salico ſignificari intelligunt, vel denique terram beatam, quod alij: vtrique apud Spigelium, quaſi fluentem lacte & melle, vt quocumque arma protulerunt, quidquid oculis aſpexerint, quidquid pedibus calcauerint, vt terram promiſſionis, ſuum faciant? vt filijs Iſrael fuerit promiſſum, *quidquid calcauerit pes tuus, tuum erit.* nam & Salicus Codex initio mentionem Moyſis apud Spigelium ex Conrado Hutingero facit; atque à Moyſis exemplo deducit Arroyius Salicam legem: quam inde diuinam, æternamque facit: ſed Moyſen vnde gentilis Pharamundus ad Rhenum, Moſamque nouerat? dicet Oedipus.

Enimuero demus terram Salicam factam eſſe omnem regiam, domanialem, quidquid armis quæſierint, vnitumque Coronæ, iure belli regio; tamen non id extendi poteſt ad eas ditiones quæ non belli iure, ſed alijs titulis, non regno ſed regi accedunt, ſed dumtaxat quæ cum regni ſupremo, directoue, dominio, conſolidantur vtilia feudorum, emphyteuſium dominia (vt redit vſusfructus ad proprietatem) vel iure fiſci Coronæ innexuntur. quæ etiam alijs regnis conuenire poſſunt. vt optimè Joannes Rex Franciæ in diplomate quo Philippo ſecundo genito donat Ducatum Burgundiæ. refertur ab Auberto Miræo *in Cod. donat. pro. c.* 105. *Sueyro vbi ſupra ad Annal. Fland. lib.* 12. *ad annum* 1362. prudenter ſignificat, ſe non illum adeptum regni iure, ſed clauſulam inſerit in eundem Ducatum ſe ſucceſſiſſe tamquam conſanguineum magis propinquum Ducis Philippi, traditque filio cum omni iure quod vllatenus ad illum erat deuolutum, poſſidendum per hæredes ex illius corpore legitimiſque nuptijs naſcituros, non maſculos tantum Salicos: vt dicendum ſit, quidquid eſt extra ſphæram haſtæ Gallicæ nullo iure Salicis legibus teneri. nec vero extra terminos ſuos Pharamundus, Clodouæus, ſeu quis alius Salicarum legum lator, voluit potuitue ius dicere. extra territorium ius dicenti impunè non paretur, *vlt. D. de iuris. omn. iud.* ſed de hac re infrà *c. fin. §. Burgund. Duc.* nunc ad id quod cœpimus, pergamus; Salicam ipſam legem examinemus: *de terra*, inquit, *Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota terræ hæreditas perueniat.* his verbis citat & ipſe Caſſanus *l.* 2. *c.* 5. *p.* 139. nolim hîc repetere, quod Oratores Eduardi diſputarunt legem illam non ad regni delationem pertinere, ſed ad priuatas familias erciſcundas; de allodiis inſcribi, agereque de hæreditate priuatorum: idque ſub capite de matrimonio ad Morganaticam, vel vt Grotius *de iur. bell. l.* 2. *c. num.* 8. ad Morgengabicam. miranda lex liliati ſceptri ex matrimonio Morganatico educta, an ſomniata? *Hæreditas*, inquit Cuiacius, *l.* 1. *feud. t. 9. in fin. eſt alode.* & Du Plaix *in prolog.* craſſam ignorantiam vocat, erroremque popularem, eam legem de Corona accipere, aut pro ſucceſſione regni ſancitam credere. vt alij ſanè hodie prudentiores Salicam legem tabulis non ſcriptam, ſed moribus inductam contendunt. an vero ijs, qui regnum Galliæ nulli poteſtati ſæculari ſecundum faciunt, vt Caſſanus *l.* 1. *c.* 1. *p.* 22. dignum videtur, vt nulla eius mentio ſit, in Salicis legibus ſpecialis, ſed communibus allodiorum, nuptiarumque Morganaticarum regulis comprehenſum dicatur? dignum vt Aymonus, aut Greg. Turonenſis viciniores iſtorum temporum, rem tanti momenti non ſcripſerint, qui vel minutas eligendorum tunc proclamandorumue regum ceremonias ſectati ſunt? præſertim cum initio nec Pharamundus, alijve primi Reges fuerint, ſed Duces neque ſucceſſione, ſed magis electione, in clypeum elatione, plauſu & acclamatione populari facti, vt ſatis ex Aymone, Turo-

Turonensi, aliisque constat, non stirpis, sed virtutis ratio habita, ideoque virili dextra, non fæminea colo opus fuerit, ad ditiones eo modo retinendas, quo quæsierant. Quare rectius, qui scripsit vidisse se librum peruetustum manuscriptum, in quo est hæc Lex Salica his verbis legeretur; *Si aliqua filia Regi nascatur non succedat in regno, sed habeat apanagium.* sed fictam esse conuincit hoc vocabulum *apanagij*: neque enim Pharamundi tempore latina lingua istiusmodi barbarismis erat corrupta, vt ex Hieronymo, Ambrosio, Augustino, alijsque istius æui scriptoribus constat, posterioris etiam temporis inuentum esse auctores probatiores aiunt, *vt pasquier Recherch. l. 2. c. 16.* & satis fuerit liber, atque apices peruetusti, si ad Capetiana tempora referantur. Sed & hanc ipsam quam diximus belli gerendi, necessitatem veram esse causam existimo, quod Francis fæminæ numquam imperauerint, tametsi defuncti Reges filias reliquissent. cuius rei plura sunt exempla in illa dissertatione Sueyro vsque ad Philippum Valesium, ac deinde etiamnunc, sæculo proximè lapso, præterquam quod facile creditu est, Francis non iniquum visum fuisse *ex l. 12. D. de legib.* recipere in capite, quod decretum erat de membris: in Coronæ delatione, quod in terris subiectis constitutum. quod multis placuit, quando aliter non liquet: displicet tamen Cassino *c. 8. p. 383.* cum eius argumentis incommodat. Præter causam autem belli cogitare licet instructos fuisse Francos à Romanis, quibuscum longissimum illis bellum fuit, in Imperij terminis ad Rhenum, ac Mosam, & ex hostibus consilia didicisse. quid ergo Romani? Jmperatores non nisi viros habuerunt, & Imperij bona viris distribuebant. *Quæ de hostibus*, inquit Ælius *Lampridius in Alexandro capta sunt, limitaneis Ducibus & militibus donauit, ita vt eorum essent, si heredes militarent, nec vmquam ad priuatos pertinerent: dicens attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.* quinimo ridebant viros illos Germanos quibus Velleda iura dicebat *apud Tacitum histor. l. 4.* terra itaque Salica, quam supra descripsimus, sita ad Rhenum & Mosam in limite Imperij Romani lege illa Salica reseruatur viris; nec simpliciter quidem hæredibus, sed si militarent, si limites defenderent, terra igitur Salica in limite Romanorum sita non nisi viris militibus tribuenda erat, vt ijsdem Franci consilijs, quemadmodum armis, pugnarent cum Romanis.

Sed hæc missa faciamus, non enim de Eduardi lite disceptamus, aut hodie in regno Galliæ ab allodijs, imo feudis fæminæ excluduntur, saltem vbi hæres alius non est. ergo legem ipsam examinemus, omissa muliere. *ad virilem*, inquit, *sexum tota terra, & hæreditas perueniat.* si eo nomine regnum veniat, cur hæreditas etiam vocatur? Vtique nihil est *aliud hæreditas quàm successio in vniuersum ius quod defunctus habuit: l. nihil. D. de verb. signif.* personam defuncti non facultates referens: *l. hæreditatis l. pecunia §. hæreditas D. eod.* augmentum recipit & diminutionem: *l. item veniunt §. non solum D. de petit. hæred.* hæreditate venire bona dicuntur, quæ iure hæreditario alicui obueniunt: *Cicero de inuent.* hæreditas lucrosa, damnosa, cernenda, adeunda, repudianda, *l. quia autem is §. non simpliciter D. si omiss. caus. testam.* hæres repræsentat personam defuncti, eademque cum defuncto persona sæpius in iure dicitur: si ergo ex lege Salica sub hæreditate Regnum veniat, cur toties Cassanus, alijque negant Franciæ Reges pactis antecessorum teneri, quia regnum non sit hæreditarium? alios vbique reges teneri, quod regna sint hereditaria, cum fæminæ succedant, exceptis electiuis? (tametsi & alij Reges iure sanguinis non hæreditatis vocari se credant, quod nec ex hæreditatione. nec alterius hæredis institutione peruerti possit, aut onere debitorum inutile fieri) cur eo nomine illudunt, pacis fœderibus, Madritensi, Cameracensi, Crespiensi, Cambresiensi, Veruiniano?

Verum & hanc quæstionem nunc seponamus. *ad virilem*, inquit lex, *sexum tota pertineat*, quis vmquam Calepinus virilem sexum interpretatus est primogenitum, filiumue vnum? virilis sexus numerum patitur, & hæreditas partitionem in vncias duodecim. quemadmodum prima Francorum tempora non per hæreditatem, sed maximè, vt diximus, per electionem primis Ducibus, Regibusque summam rerum detulerunt; Germani omnino erant apud quos Tacitus Reges ex nobilitate; Duces ex virtute sumptos: & Cæsar *l. 6. de bell. Gall.* Germanis in pace nullum communem ait fuisse magistratum, sed deligi, qui bello præsint. Sic credendum primos Francos in sedibus suis fuisse trans Rhenum, & Mosam, hostiliter progressos Duces sumpsisse. *de quibus Pasquier Recher. l. 1. c. 15.* Nonne suffectus est Merouæus Clodioni, quamuis ei existerent hæredes Albericus, Rainaldus, & Rancarius; alij per adoptionem, donationem, & rursus electionem, etiam Ægidius Romanus, alijque externi? quemadmodum latius omnium exempla refert Sueyro; *vbi supra* & Armacanus *in Marte Gallico l. 1. c. 29.* alijque. qui & *c. 30* prosequitur alia circa legis Salicæ æternitatem, diuinitatem, immutabilitatem, deliria. & *c. 31.* sæpius illam ad sensum Arroyi, seu interpretatione secus declaratam, seu vsu contrario interruptam: & demum *c. 40.* exemplis omnino diuisionum duodecim regnum ipsum Francorum in plures liberos distributum, etiam ita vt singuli summo iure regnarent: atque intermedijs *vid. c. 32.* docet Ludouicum XIII. nec ex stirpe Clodouæi masculina descendere, nec Hugonem Capetum ex Carolina per masculos *c. 33.* solutis Joannis Papæ VIII. *c. 34.* Innoc. III. & Baronij *c. 35.* Belliforesti, Nangiaci *c. 36.* Chronici Senonensis & Cuiacij adparentibus in contrarium auctoritatibus: quin nec ex fæminina stirpe Capetum ad Carolinos spectasse contendit *c. 38.* sed vt & hoc demus & per me liceat vt Ludouicus XIII. recta masculina serie ad Carolum Magnum non tantum, sed & Pharamundum referatur, & ad Franconem, Troianum, ac demum ad Japethum Noëmi, quid conficietur; contendunt Cassanus *l. 1. c. 1. p. 8. 9. l. 1. c. 5. p. 202. ac alibi passim*, alijque nonnulli Galli, quidquid iuris in Carolo Magno fuit,

fuit, competere ſoli Ludouico XIII. in ſolidum addant, quidquid in Pharamundo, Francone, Japetho: iam huic io partitione hæreditatis Noëmi contigit Europa: quam vtique nunc totam Ludouico cupiunt vindicare Caſſanus & Atroyius, hem quanti Helluones!

## CAPUT VII.

### *An omnia Caroli Magni iura Regibus Franciæ competant?*

QVantus enim bolus eſt totius orbis Europæi globus! & tamen manduci noſtri voo illum hiatu abſorbere præſumunt; nec verentur ne ſibi gula obſtruatur, cum Caſſanus tamen lege incompatibilem cum imperio vel ſolam Siciliam in Carolo V. fuiſſe contendat: *l.1. c.5. p.*291. ſed non Francis, quibus & hanc & Jmperium, & quidquid Caroli Magni fuit ambit: magna certe Europæ pars victricem dexteram Caroli Magni ſenſit: nec tamen omnis ſenſit: nec omnis, quæ ſenſit, ditioni eius ceſſit: multa pace redintegrata, legibus ſuis viuere permiſſa fuit: aut ſi pax data non eſt, ſepoſita vel poſtliminio in libertatem reuerſa eſt: non ſane quanta terrarum ſpatia Caſſanus *l.2. c.r.* & ei conſimiliter Arroyius *in Quæſtion. fol.* 110. comprehendit, *Gallias, Jtaliam, vniuerſam ab Auguſta Vindelicorum ad Calabriam, inferiorem vſque Germaniam, Daniam extremaque ſeptemtrionis, Hungariam, Poloniam, Ruſſiam, Pruſſiam, Liuoniam, Lithauniam, Moſcouiam, Sclauoniam, Podoliam, Albam, Ruſſiam, Walachiam, & vltra Gallias, Montes Pyrenæos, & Hiſpaniæ partem cis Iberum*, quaſi vero Carolus Magnus cum nullo bellum geſſerit, niſi quem ſeruum ſubditumue reddiderit, præſertim ante tranſlatum in eum Jmperium. etiam pacem ſoliti fuere veteres pangere, & indies hodie non minus vſurpant Principes, vt eodem die & hoſtes eoſdem habuerint & amicos, non mox ſubditos. *Maiores noſtri*, inquit Saluſtius, *religioſiſſimi mortales nihil victis eripiebant, præter iniuriæ licentiam.* & vt ſecus ſe haberet, quædam iure Imperij, quædam iure regni obtinuit Carolus. vt ſi Salicis legibus vnionibuſque Chymericis locus foret, iam Gallia Germanis competeret, non Francis: Jmperio quidem Romano-Germanico regnum ceſſiſſet, non regno Francorum Jmperium. diuiſionibus inter poſteros Caroli Magni factis, potiſſima Germanis primogenitiſque ceſſerunt: quæ ſi vnita in Carolo diuidi in poſteris non potuiſſent; iam regnum Galliæ Romani Jmperatoris legibus teneretur; non res ſuas ſibi Franci haberent; non ſuis legibus viuerent. præſertim cum & Carolus Magnus (ſermonem refert Miræus *in Cod. donat. piar. c.*11.) ædificata ſumptuoſiſſima Eccleſia Aquiſgranenſi ibidem Sedem Regiam locauit: *Locum regalem & caput Galliæ trans Alpes conſtitui voluit*: pergitque, *Confirmatum*, inquit. *& ſancitum eſt hoc à Domino Leone Romano Pontifice, & à me Carolo*

*Fr. Zypæi oper. tom.* 2.

*Roman. Imp. Aug. & primo auctore huius templi, & loci, quatenus ratum & inconuulſum hoc ſtatutum & decretum noſtrum maneat, & hic Sedes Regni trans Alpes habeatur, ſitque caput omnium ciuitatum, & prouinciarum Galliæ.* exinde Jmp. Germano-Romanus primò hic coronam ferream. 2. Mediolani argenteam. 3. Romæ auream accipit. pars ergo caput & Sedes Regia cum Germanis ceſſerit, Franci vtique ſuis contenti ſint ſedibus, alioquin ſubijciendi ijs, quibus ex diuiſione hæreditatis Caroli Magni regni caput, & ſedes Regiæ ceſſerunt. Ideoque quæ de Carolo Magno iactantur, expendenda ſunt ad eum modum, quo leges dicunt, defunctum hæredemque vnam eſſe perſonam, hunc illum repræſentare: at vbi teſtator plures reliquit liberos, plures inſtituit ſucceſſores, non contingit ſingulis ſolidas omnium hæreditates cernere etſi ſint omnes hæredes, & quidem illum repræſentent, ſed non ſinguli in ſolidum, non omnibus ſolidæ competunt actiones, ſed ſinguli pro virili quaue parte quiſque hæres eſt *L.* 11. *& tot. tit. C. fam. erciſ.* & qua parte hætes defunctum repræſentat, in commodis & incommodis eius factum præſtare tenetur, non vlterius: *l. cum à matre. C. de rei vind. l. eum qui. D. de verb. oblig.* quod ipſe Caſſanus *l.* 1. *c.* 1. *p.* 55. agnoſcit his verbis, *heres in ſolidum*, inquit, *defunctum repræſentat, ex parte, etiam pro parte repræſentat: & pro parte coheredum cenſetur extraneus.* Jtaque, qui in Germania ſucceſſit pro Germania, qui in Jtalia pro Jtalia, qui in Gallia pro Gallia, neque vlterius Carolum Magnum repræſentant, iuraue vlla illis competere queunt.

Et ad eum modum cum ita *ad Rom. c.* 8. argumentatus eſſet Apoſtolus, *ſi filij ergo heredes.* ſubſumit *heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Jtaque à Carolo Magno non ſoli liberi qui in Francia regnarent, ſunt agniti; ſed & cohæredes fuerunt qui in Jtalia, atque Germania imperarunt. & ſubſequenter partitiones duodecim, quas enarrat Armacanus *d. c.* 40. inter ſucceſſores, etiam Ordinibus aſſentientibus, ſunt celebratæ. nec id mirum cum ſoliti id olim iuris haberetur, vt regna inter proles diuiderentur. *Hotoman. in diſp. de feud. cap.* 28. vt & feuda olim omnia diuidebantur, & quidem æqualiter. *L.* 1. *feud. t.* 1. *§. & quia t.*8. *in princ. t.*14. *l.*2. *t.*11. *& t.*50. & primus Jmp. Fredericus ducatus, marchias, & comitatus ſimiliaque grandia ſeuda diuidi vetuit deinceps. *L.* 2. *feud. t.* 55. *§. præterea ducatus.* primum etiam in Gallia fuiſſe Hugonem Capetum, qui regnum diuidi vetuerit certum eſt. *Le Bret.* 1. *de la ſouuerain. c.* 4. *Papon. arr. l.*4. *t.*1. *a.*1. Vt nunc omittamus alios quoſcumque titulos quibus partes ditionum in alios transferri potuerint; quos Caſſanus in frontiſpicio proclamat legitimos.

CA-

## CAPUT VIII.

### *De vnione.*

NOn vi legis Salicæ primogenito, eique soli totam terram, hæreditatemq; Salicam deberi, sed vt alias hæreditates vsque ad Hugonem Capetum fere distribui inter liberos masculos consueuisse iam perspeximus: quin & Reges non iure semper successorio, sed & electione, adoptione, donatione, partitione, designatione paterna, senatusconsulto Ordinum Franciæ, auctoritate Pontificia Vicarij illius qui transfert regna, & per quem Reges regnant, atque aliter sæpius esse assumptos, regnumque sæpius diuisum quasi hæreditatem liberorum, qui singuli pro singulis partibus summo iure antecessores repræsentent, non vt tanta quanta fuerint iura in Carolo Magno resideant hodie in Ludouico XIII. sed in singulis in singula successoribus, pro quanta parte successerint. vbi nunc vllum Salicæ legis verbum quod id vetuerit, quod vnionem regnorum, ditionumque fecerit, quæ partitione hæreditaria insolubilis esset? qua in re præ Arroyio magis ingenuè Cassanus fatetur *l.1. c.1. p.13.* in prima & secunda Regum Francicorum linea, vnionem huiusmodi non fuisse vsurpatam. Liquet sane regnum partiri inter hæredes, quin & partes alienari licuisse in extraneos, vsusque priorum Regum vtriusque rei interpretationem facit, nec indiuisibilis vnionis per primos annos quingentos reperies vestigium. Nec inconsulto tantum affectu hæc acciderunt, sed etiam *suggerentibus iis* (verba sunt Aymoni *lib. 4. c. 27.*) *qui vtilitatibus regni consulere videbantur*, id est ex iudicio prudentum, quo & Salicæ leges conditæ fuerint: nam & illarum dictatores & Pontifices Druidesve fuisse volunt: vt diximus, & inter eos refertur Wesogastus, quod scilicet Germanicè *Wyseegast*, sapientem virum significat, Germanos illos dictatores, omnesque Francos Germano idiomate vsos tunc fuisse nemo nescit. quod si hæ partitiones iure facta non forent, sed seniori solida regna delata, ex æternitate legis Salicæ; vtique iam Galli subessent primo Francorum regno, quod Pharamundus reliquit, & proximi illi successores iam illi regno Salico, terræ, hæreditatique Salicæ trans Rhenum primò, post trans Mosam iam pridem constituto, post diuturna demum bella in intima vsque veteris Galliæ prolato: accessorij vice obuenissent; iure belli vpiti essent: viden' quo redigantur fundamentales, quas somniant, Francici Regni leges? an aduertis eum qui primas regni Francici, vt capitis, ditiones possidet, æterna immutabilique Salica lege, vt volunt, quæ omnibus sæculorum præscriptionibus præualeat, vt itidem volunt, ad se trahere iura aliorum regnorum, quæ postmodum arma Francica pepererunt? accretio enim ei fit quod præexistit, at ditiones istas, post tot maiorum diuisiones, nunc iure possidet Rex Hispaniarum, quidquid trans Isalam seu Selam fluuium est, totam Transisalanam ditionem, Salandiam, Oldensaliam, vicinasque veterum Francorum Sedes; caput inquam, membraque regni Francici primordialia, totasque terras Salicas, quas habuit Pharamundus, primique regni Francici conditores; Gallos constat in postremis esse accessorios, ditioni nunc Regi Hispano competenti diu postea adiectos. at hunc maximè illi nolint, & tamen argumentis suis eum statuerent sibi regem: aut Batavi iure rebellionis, iusto vtique apud illos bello, cui etiam socia arma commodant, magnam istarum ditionum veterum Francorum sedium, primordiorumque regni partem detentantes, axiomatibus suis instructi possent argumentari, successores se esse Pharamundi, omniumque iurium quæ ille habuit; regnum illius habere; quidquid regno isti postmodum accessit, iure legis Salicæ æternæ; immutabilis eis deberi; igitur restituendam sibi Galliam, regno Pharamundi iure belli acquisitam, Coronæ primæ vnitam, à qua diuelli non potuerit, nec diuulsio vlla sæculorum præscriptione, quæ aduersus iura Regia non obtineat, defendi an Oratores Francici Byzantio, vbi tam arcta fœdera sanxerunt, non retulêre ibi Magnum Dominum, eiusve prudentes sic argumentari; Romani mundi Domini fuerunt; Occidentem in potestate habuerunt, at Magnus Dominus, redacta bello in potestatem Constantinopoli, successit in iura Romanorum Imperatorum, totus ergo ei Occidens debetur, mirum an scrupulum ea Francis argumentatio non inijciat, vt & Gallias Magno Domino restituant, dum Romanum Imperatorem, aliosque Principes, qui aliquid possident; quod Caroli Magni priorúmue Francorum fuit, restitutioni illi obligant: quinimo iustiori argumento liceat mihi rogare quo naturæ prodigio possit esse in Gallia contradictoriorum simul existentium possibilitas, si quidquid Caroli Magni fuit Francicum est, si omnes termini quondam illi subditi hodie Francis sint obnoxij, quomodo per tot sæcula, hodieque indies Rex tot homines iure regni donat, regnicolas facit, extra hodiernum Franciæ ambitum intra terminos tamen Caroli Magni natos? quo iure tamquam peregrinorum bona occupantur, dum apud eos moriuntur, *par droict d'aubaine*? iure si sunt subditi, cur de facto supremarum etiam curiarum sententijs spoliantur vt peregrini? an Arroyio Theologo non videtur restitutio facienda à Ludouico XIII. tot millium hæreditatum sit expilatarum, subditis Caroli Magni debitarum? an confessarius Ludouici non monendus, non dimitti peccatum nisi restituatur ablatum? an domi id sibi negligendum statuit, salutemque Regis sui sibi curæ esse non debere, qui foris aliorum Principum conscientijs se immiscet.

Sed redeamus ad leges Salicas, omittamusque etiam eos Principes, qui in regnum Pharamundi, primorumque Regum successerunt, quin & Carolum Magnum, & posteros; dicimus leges Salicas, vt dentur ad regnum spectare, non tantum diuisionem regni non vetare inter liberos, sed neque diminutionem, alienationemve in extraneos; nullum id verbum sonat, exempla luculenta contrarium probant, *vt habet*

*Armacanus in Mart. Gall. l. r. c. 41.* vnde & ex primis regibus per electionem, vel adoptionem, designationem, Senatusconsulta Franciæ, vt Pipinus & Capetus, vel donationem, vt is ab alijs scribitur prætendisse, sed & Carolus Crassus Normannis eam regni partem dedit quæ hodie Normandia dicitur, vt ibi considerent, teliquoque regno abstinerent: Carolus item Caluus Bosoni Prouinciam, Balduino Flandriam concessit: Capetus regni Comitibus alijsque proceribus ditiones in perpetuum concessit, cum ante reuocabiles aut temporariæ essent, *Cassan. l.2. c.5. p.122.* quæ nunc porrò est in tota Gallia ditio, cuius sunt alij præter Regem possessores, quæ Regum munificentia non sit tributa? titulis id Domini & voce clament: antiquissimas partitiones, donationesque quidem solido iure, mediorum temporum à Capeto posterisque sub recognitione Regis, vt supremi; *Le Bret de la souueranité l.1. c.4. du Plaix in Childebert. Cassan. l.2. c.1. Papon. arrest. l.4. t. 20. a. 1.* at hæ tamen sunt alienationes ditionum Coronæ vnitarum, quas vbique veritas clamant, an non hæc omnia post Pharamundum, post Carolum Magnum concessa argumento illorum ad Coronam retrahuntur? an non similiter omnia quæ possidentur ab ijs, quorum maiores vmquam in bellis contra Francos militarunt, eodem reuocantur? nec præscriptio eas præseruat, nec vlla pacis fœdera, quæ Reges vsufructuarij, vt volunt, pangere non potuerint, cum imminutione regni, in præiudicium successorum? vt vbique Cassanus & Arroyius asserunt. quot posteri eorum supersunt, qui, vt vetustiora omittamus in bello *Boni-publici*, qui in factionibus Aurelianensium Burgundionumque, quibus per vices nomen & auctoritas Regia reciprocabatur, qui in bello Anglicano quod per ducentos pæne annos durauit, qui in nupero ciuili bello, quod *Ligam* adhuc vocitant, maiores numerent, qui in partibus contra Francos aliquando steterunt? quorum nullos fœdera pacis, tituli, temporumque lapsus illis iudicibus defendere possunt; quo minus teneantur restituere quidquid Coronæ per maiorum delicta semel fuerit vnitum: argumentisque ijsdem irritum fieri non tantum quidquid Ecclesiæ Romanæ à Carolo Magno, sed & quod alijs omnibus Ecclesijs, monasterijs, pijsque causis, quæ magna pars est possessionum Cleri Francici, à Regibus vllis datum fuerit. Videtisne quantum domi suæ incendium excitant, dum inflammare cupiunt alienam?

## CAPUT IX.

*An Imperio à Francis translato, Reges Franciæ Carolo Magno quà Imperatori videri successisse, eóue nomine aliquid ad eos spectare possit?*

Partitiones in liberos factas expendimus. Videamus de iuribus Jmperialibus, an ad Ludouicum XIII. quicquam pertinere possit. Jmperium in Carolum Magnum à Pontifice translatum, Franciæ vnum non fuisse ex Paulo Æmilio *l.3. in Carolo Magno* liquet: causam examinamus *infra c.13.* fatetur id, queriturque Cassanus *l.2. c.t. p.13.* qua formula concessum sit, non satis est euidens, successionem hæreditariam Franci præsupponunt, mihi non liquet: Carolum Magnum & Ludouicum filium ferè ita vsos in partitione inter liberos satis constat; tametsi Jmperium Carolus non primogenito eiusue filio, sed secundogenito reliquerit, atq; apud posteros Carolingæ stirpis non perpetuo Jmperium cessit primogenito, sed sæpius illo manente intra ipsos consanguineos, tamen variatum est, vt ex historijs constat, atque Bellarmino *de translatione Jmperij l. 1. c. 2. 3.* vsque ad Othonem I. gente Saxonem. *Chronicon Belgicum Miræi ad annum* 814. 837. 840. 841. 843. 855. 875. 877. 896. 900. 912. quem ex professo docet idem Bellarminus primum fuisse Jmperatorem ex illa gente. Henricum Aucupem aliosque Germaniæ Reges dumtaxat, Henricum Othonis I. patrem etiam imperiale diadema renuisse, regio nomine contentum præ animi humilitate: quod vt verum sit, ego & aliam causam illi fuisse iustissimam existimem, scilicet quod illi disputanda fuisset grauis quæstio, quam tractat Azorius *Institut. Moral. tom. 2. l. 10. c. vlt. q. 6.* an Jmperium Romanum iam tunc non competeret Principibus Jtalis? siquidem *vt ex Sigonio lib. 5. Regni Jtalici*, Azorius prosequitur sub Carolo Crasso, cum ea familia cepisset ab auita virtute, fortitudineque deficere, & Saraceni per Jtaliam & Ecclesiam vniuersam popularentur, Adrianum III. Pontificem Itali rogarunt, vt Italiæ, Ecclesiæque consuleret: quippe quod eadem causa sæculo vix lapso Jmperium à Græcis in Carolum Magnum fuisset translatum. Adrianus itaque duo decreta condidit: primum (abrogato quod Carolo, successoribusque concessum est priuilegio) vt deinceps Pontifex Rom. designatus consecrari sine præsentia Regis, aut legatorum eius posset alterum, vt moriente Carolo Crasso Imperatore sine liberis, regnum Jtalicis Principibus vnà cum titulo & iure Jmperij traderetur. eo ergo sic mortuo anno 888. Jtali Berengarium Ducem Foro-Iuliensem, alij Vidonem Ducem Spoliatum elegerunt, qui à Stephano V. Jmperator est coronatus. Hinc inter vtrosque in Jtalia bella, interque Arnulphum deinde Germaniæ Regem, à Formoso in Jmperatorem consecratum, Lambertum à Joanne IX. in Concilio Rauennæ confirmatum, Ludouicum deinde Bosonis Regis Prouinciæ filium, quem Benedictus IV. Jmperatorem coronauit, Rodulphum deinde Regem, Hugonem Arelatensem, Berengarium iuniorem, Lotharium Hugonis filium, quibus cum tempestatibus luctabatur Jtalia vsque ad annum 960. nec Franci ferebant opem Ecclesiæ tam diu laboranti, & à Leone VIII. requisiti anno 940. vt fatetur Cassanus, *l.2. c.t. p.15.* cui vt vasallus Domino necessitatem patienti suppetias ferre tenebantur, si quid ex iure Jmperij in Carolum Magnum translati prætendere vellent. Vasallus

ea in re peccans, beneficio excidit. huiusmodi controuersiam nec Henricus Saxo in humeros suscipere voluisse mihi videtur, honestis verborum officijs bellicam difficultatem vitans, quam augebat decretum Adriani III. quoad Jtalos translatum erat Jmperium, & exemplum Arnulphi Germaniæ Regis à Formoso Pontifice consecrati, quod actis eius à Stephano VI. rescissis, & Arnulpho in Germaniam reuerso, Jtali quamuis inter se dissidentes rerum fuissent potiti: neglecto Arnulpho, eiusque posteris in Germania: donec *an.* 960. *seu* 961. *vt Chronicon Belgic. Miræi* Joannes XII. Pontifex, ad Germanos oculos reflectens, Othonem I. ad defensionem Ecclesiæ, quam grauiter armatus suscepit, vt & fatetur Cassanus *d. p.* 15. in Jtaliam vocauit, Jmperiumque in eum transtulit. qui ex eo, vt Carolus, Magni cognomen est sortitus. ob idque, aliasque rerum gestarum circumstantias, inter illum & Carolum Magnum insignem comparationem instituit Otho Frisingensis, quam recitat Bellarminus *d. c.* 2.

Hoc iure ad primæuos Germanos redijt Jmperium, neglectis Germano-Francis, qui iam pridem defensionem Ecclesiæ Romanæ neglexerant: redijtque tanto iure; quanto iam olim à Græcis erat in Carolum Magnum translatum: eoque maiori, quo Græci solido ante iure Romanum Jmperium Constantinopolim translatum possidebant, non aliquo beneficio summi Pontificis: sed eo iure, quo à Cæsare, & Augusto, Constantino, & vtrorumque successoribus tot sæculis antecessores illud tenuerant. at Carolus Magnus beneficio Pontificis Romani Jmperium accepit, *c. per venerabilem. X. de elect. Clem. Romani, Clem.* 1. *de iureiurand. c. in die de consec. dist.* 5. quod Bellarminus *lib.* 1. exactè docuit; ab eodemque deinde in Italos relatum, ac tandem in Othonem Magnum vltimo translatum est, mansitque deinceps penes Principes Germanos.

At vero illud Jmperium quod Carolo est concessum, non parum abest ab illo antiquo Romano. *d. c. venerabilem. X. de elect. Principes,* inquit Jnnocentius III. *ibid. recognoscere debent, & vtique recognoscunt, sicut iidem in nostra recognouêre præsentia, quod ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ad nos spectat: qui eum inungimus, consecramus, & coronamus.* qua ex causa etiam iuramentum Imp. præstat *c. tibi Domino. c. ego Ludouicus dist.* 63. quod fidelitatis definit *Clem.* 1. *de iureiurand.* fidei & Ecclesiæ Catholicæ defensionem promittit, & Pontificum personam, honorem, & statum manutenere, defendere, & conseruare contra omnes homines, cuiuscumque exiterent præeminentiæ, dignitatis, vel status, *d. Clem.* 1. *ex* quo, aliisque, quæ tractat *vbi supra* Bellarminus *& Azor. c.* 2. *totoq. deinde libro* 10. *tom.* 2. *aliique passim*, satis clarescit auctoritate & beneficio Pontificis Romani Jmperium haberi à Germanis: causam translationis fuisse, vt oppressa Ecclesia defenderetur: causa eadem data, & occurrente necessitate potentioris auxilij, iterum atque iterum transferri potuisse. adeoque quamuis initio ad Francos translatum fuisset cum vinculo successorij ordinis, & prærogatiua primogenituræ, non tantum intra familiam Caroli Magni consistendi, qui fateri verum volent, debebunt concedere Ecclesiam à Saracenis afflictam, à Francis non adiutam, alio respicere potuisse: & demum à Berengarijs, alijsque id genus regibus Jtaliæ malè habitam, Othonis I. defensionem implorare potuisse eodem præmio, quo olim Caroli Magni: tantum abest vt Imperatores ita in auxilium vocati, electi, sacrati à Romano Pontifice Imperium rapuisse, vt aliqui loquuntur Franci, dici possint. quinimo Cassanus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 15. accusat socordiam veterum Franciæ Regum, quod in illa Berengariorum, aliorumque Jtaliæ Regum tempestate Ecclesiam affligente sedem Romanam non iuuerint, Imperijque Coronam in Galliam reuocauerint, sed alijs in bellis vires suas dilapidauerint.

Ex quibus conficitur Ludouicum XIII. vt non successit in omnia illa territoria, quæ Caroli Magni, vt Regis posteri, toties erciscundo diuiserunt, ita nullatenus in vlla iura quæ in illum, vt Imperatorem Romanum, à Romano Pontifice fuerant, cum Corona Imperiali, translata.

## CAPUT X.

### *An Vnio ditionum fiat ipso iure, an facto opus sit?*

Plures aquæ guttæ si coniungantur naturâ coalescunt, in vnumque confluunt, omnia liquida in corpus vnum rediguntur. magnes stipulas sibi copulat, insitaque naturæ vi ad se trahit. cum Eudoxia Theodosij iunioris vxor Romam detulisset catenam, qua D. Petrus ab Herode constrictus fuerat, & Pontifex cum altera qua sub Nerone vinctus, contulisset, factum est, vt illæ inter se sic connecterentur, vt non duæ sed vna catena ab eodem artifice confecta esse videretur: sed hæc vis miraculi fuit; illa naturæ est: dic sodes ad quodnam horum duorum velis referre vnionem quam facis Salicam? sane nemo, qui sapit, ad alterutram. bello capta quidem regno acquiruntur; quippe quod rex gerit regni nomine, cui adeoque acquirit, nam quâ Rex non est, supremus non est, belli ius non habet: sed & tamen capta illa esse oportet, apprehensaque, non bellum tantum esse. *tot. tit. D. de Captiuis.* ex crimine læsæ maiestatis ipso iure bona rei confiscantur, *l. quisquis. C. ad leg. Iul. Maiest.* declaratione tamen opus est. *Tusc. & quos citat V. pœna concl.* 238. *&* bonorum apprehensione *Bald. consil.* 250*pin prin. l.* 4. *Bossius de bonor. publ. num.* 26. quin & qui de domanio scribunt non apprehensa tantum huiusmodi bona esse volunt, sed & in rationes & computus relata, antequam domanialia & inalienabilia fiant. *Papon. Arrest. l.* 5. *t.* 10. *a.* 7. *indistinctim l.* 2. *C. Ne fiscus rem lib.* 10. Retractare fiscum quod semel vendidit æquitatis honestatisque ratio non patitur. & facit *tit. de vendit. rer.*

*rer. fiſcal.* quin & non vindicata à fiſcoque apprehenſa quadriennio præſcribuntur *l.* 1. 2. 3. *C. de quad. præſcript.* ita quidem vt nec Theologi reos huiuſmodi criminum antequam damnati declarentur obligent, vt bona fiſco quondam ſua derelinquant, Principibus tradant. actu igitur aliquo opus eſt ad huiuſmodi vnionem: Regem vnum diuerſa regna poſſidere non ſatis eſt. vt illa cenſeantur vnita. beneficiariū quempiam plura ſimul poſſidere beneficia non ſatis eſt vt excuſetur à vetita beneficiorum pluralitate. quam tamen excuſat legitima vnio *c. expoſuiſti X. de præb.* non poteſt Arroyius Sorbonicus Doctor non meminiſſe illius Sorbonici cuius cadauer in exequijs vocem recepit, & ob pluralitatem beneficiorum damnatum ſe proclamauit, & D. Brunonem ad meliora conuertit, damnari non poterat, ſi ex ſola plurium poſſeſſione legitima naſceretur vnio, igitur hoc agi oportet, & ritè agi, multiſque cæremonijs agi oportet, vt fiat vnio. tractatum, cauſæ cognitionem, eorum quorum intereſt, vocationem interponi, denique iuſtam cauſam adeſſe: ſecus facta in irritum recidunt, tametſi etiam facta ſint: *c.* 1. *de reb. Eccl. non alien. in* 6. Et quamuis Gentilis omnia ea Regi committat. *diſp. de vnion. Britan.* aſſerit tamen Regem cognoſcere, cauſas expendere, &, quid fieri oporteat iudicare etiam ante annos paucos Nauarra hæreditariæque quædam Henrici IV. ditiones quantis cæremonijs Franciæ ſunt annexæ; tantum abeſt vt ipſo iure coaleſcant, alioquin, vt ſupra *c.* 8. diximus, iam Franci Imperio Romano Germanico ſub Carolo Magno eſſent annexi, alioque iam delati: at, vt refert Paulus Æmilius *l.* 3. *in Carol. Mag.* Franci vniri noluerunt, vnitatemque, quam Carolus commendabat, reſpuerunt, ſuique ideo iuris manſerunt: ergo fit ipſo iure, ipſo facto, non magis in non Francia quàm alibi, vnio. ſi iure ergo reſpuerunt Franci, ius idem poteſt eſſe & aliarum gentium: ſi iniuria; reſtituendo alienum, annectant ſe Imperio, tradant ſe Imperatori, vt in contrarium Arroyius Caſſanuſque Imperatorem, aliosque Principes ad reſtitutionem vocant, acceſſorij ſequantur naturam ſui principalis, quæ eſt vt Imperium ex cauſa Eccleſiæ defenſioni neceſſaria transferri poſſit: *Bellarmin. de tranſl. Imp. l.* 1. *c.* 12. *l.* 4. *c.* 5. vt à Græcis ad Germanos fuit tranſlatum: *c. venerabilem X. de elect. Clem. Roman. de iureiurand.* vtique in perſona Caroli Magni Franco-Germani. eam ſiquidem tranſlationem totis tribus libris docet Bellarminus auctoritate Pontificia, (quod & ſatis fatetur Caſſanus *l.* 2. *c.* 1 *p.* 9.) factam eſſe, non iure belli, non ſucceſſionis hæreditariæ, non auctore Senatu Populoue Romano; non à Græco Imperatore diuiſum, non immediatè à Deo acceptum Imperium; eademque Pontificia auctoritate ad Othonem I. translatum, electoreſque Imperij conſtitutos: vltimo quidem Septem viros Bulla Caroli IV. eo iure donat: ſed ante ad plures pertinuit, imo ad omnes Imperij Principes, qui electioni vellent intereſſe. Franci ergo ſi ad nexum Imperij negent ſe iure reuocari poſſe, oportet vt nec vnionem ipſo iure fieri fateantur.

Perperam ergo Caſſanus *l.* 1. *c.* 3. *p.* 118. *& alibi ſæpe.* ait per Ordinationes, legeſque regni, quidquid obuenit Regibus, ſucceſſione, acquiſitione; ſeu quocumque modo tacitè vnitum & incorporatum Coronæ, conformiter diſpoſitioni iuris, pro hoc citat *l. cum de conſuetudine. l. ſi de interpretatione D. de legibus*, pro illis Ordinationes Caroli VI. & Franciſc. I. nihil ſinè huc faciunt citatæ leges: prior tantum monet, cum de conſuetudine ciuitatis, aut prouinciæ agitur, explorandum an contradicto aliquando iudicio firmata ſit: altera, inſpiciendum quo iure ciuitas retrò in huiuſmodi caſibus vſa ſit: quid hoc ad rhombum noſtrum? imo retorquenamus argumentum: Gallia ita vſa eſt in vnionibus, vt non tacitè, atque ipſo iure fierent, ſed factum requireretur, id ageretur, ceremoniæ adhiberentur: præſertim quoad ea quæ numquam fuerunt de Corona: quæ regno non ſubſunt: & quo leges ordinationeſque regni, porrigi extra illud nec debent, nec poſſunt; etſi aliquid ſtatueretur de iis, quæ iure regni acquiruntur, & de Domanijs Francicis, inſtructionibuſque, quas deſuper Regum edicta, Ordinationeſque ediderint, quæ vt ex Regum voluntate decreta ſunt, ita non mutari tantum poſſunt, ſed & intra ſphæram Francicam coërceri debent. ergo ita de vnione impoſterum ſtatuendum eſt. Sed & in ipſo *d. capitis* 3. argumento videamus quantum ex illo excidat Caſſanus: ſuper illo themate ſtruxit totam diſſertationem, admodum verboſam, vt oſtenderet Reginæ Catharinæ Medicææ ius competere ad regnum Luſitaniæ vt iuſtæ hæredi Comitum Bolonienſium,& in fine capitis concludit ius illud tranſmiſſum eſſe ad Reges eius filios: ſi tacitè vnio fieret, in eo ſubſiſtere debebat: ſed pergit, & *ad Reginam*, inquit, *Margaretam vltimam ſuæ domus*: ſi vnio facta erat Coronæ, ad Margaretam nihil poterat tranſire, cùm ei non manſit Corona: & tamen notum eſt Margaretam poſſediſſe Britanniam, aliaque bona domus Valeſiæ: igitur tam ex rei veritate, quàm Caſſani argumento, non fit ipſo iure vnio. conformiter pergit Caſſanus: Margareta inſtituit hæredem vniuerſalem Ludouicum XIII. ergo ipſi ius competit regni Luſitanici. vide vt delapſus ab argumento vnionis decidit in debilem inſtitutionem, quam ipſe aliàs in regnis non admittit, *vt diximus ſupra c.* 4. *§. teſtam.*

## CAPUT XI.

### *An facta ſit vnquam vnio prouinciarum, quas omnino multis capitibus, tamquam totidem actionibus, vindicare vult Caſſanus?*

Vbique id inclamat, omnes ferè ſingulæque de illis diſſertationes eo tendunt; eum ſcopum, finem illum propoſitum habent; hoc vnicum omnium eſt argumentum; hæ illæve ditiones ſemel competierunt maioribus Regis Franciæ: eoque

eoque vnitæ fuerunt regno; competunt ergo huic Regi: iam demonstrauimus non ipso iure coalescere regna, vt plures liquidorum guttas: actum aliquem interueniſſe, factum aliquod declarationemve in singulis etiam interueniſſe negamus: probandum id fuiſſet, vt quæ ſunt facti, eoque magis quod ex ſtatu rei alicuius præſenti præſumitur de præterito, quod idem fuerit. Menoch. *Præſ. lib. 6. p. 25. num. 3. p. 37. p. 42. num. 13. l. 4. p 167. num. 27. p. 140. num. 32. l. 1. p. 9. num. 12.* vides qui concidat tam verboſum tanti operis argumentum? quàm imbecilla ſint tantæ ſtructuræ fundamenta? inuenio quidem Ducatum Burgundiæ ſemel fuiſſe vnitum: ſed Ordines, peculiari Prinicpi aſſuetos, de vnione ſe inauditis facta queſtos, mox illius à Rege obtinuiſſe diſſolutionem, & Ducatum ſecundo genito à Rege collatum, cuius diploma infra referimus *cap. vltimo §. Burgundia.* idemque teſtatur Faius MS. alijque, vt & alibi conſtat multis laboribus conſtitutas vniones, ac etiam quaſdam diſſolutas. vt Margareta vnire voluit Daniæ, Sueciæ, Noruegiæque regna; & adhuc ſub iudice lis eſt, Dani an Sueci vnionem violarint: iam etiam demonſtrauimus non omnia Caroli Magni aliorumque Maiorum iura Ludouico XIII. competere: *cap. 7.* non ſucceſſiſſe illum ſolum Carolo, Pharamundo, Franconi, Noëmo: alios in partes veniſſe, eaſque potiores, ſi iura illa glebis eſſent affixa, ac caput regni primordiale tracturum nexum cæterorum: adeoque ad præſentem terræ Salicæ Dominum, Regem vtique Hiſpanum, deferenda fore cætera regni olim Francici membra acceſſoria.

Oportuiſſet ergo Caſſanum ſaltem hiſtoricis documentis ſingulatim docere vbi, quando, quibus teſtibus hæ illæue regiones Coronæ fuiſſent vnitæ. non in Regum tantùm iura veniſſe ſatis eſt. vnus Philippus tot Regnorum Rex eſt, non ideo tamen illa in coagulum aliquod ſponte coiecerunt, quædam vnita ſunt, ſed magis adhibitis ſolemnitatibus, tractatibus, cauſis, Ordinum conſenſu, actione nec vna. Regnum magnæ Britanniæ nuper ſurrexit ex Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæque vnione, non per ſe confluente: ſed Regia actione: idemque de alijs eſto iudicium. at de his acta confecta ſunt, notæ, munimenta: annuli, ſigilla, tela, teſtimonia, diaria, annales, cur his ſoli Franci careant?

## CAPUT XII.

### *An reges plures prouincias vnire poſſint inuitas, populoque refragante?*

QVi Regem vſufructuarium tantum faciunt, negare conformiter debent id poſſe: cum vſufructuarius circa rei formam nihil poſſit mutare: *l. 1. D. vſufruct. quemadmod. caueat.* ſed re vti tantùm poſſit, ſalua illius ſubſtantia: *l. 1. D. & inſtit. in princip. de vſufruct.* quæ vtique per vnionem mutatur. qui adminiſtratoribus tantùm comparant, curatoribuſque Reipublicæ vel minorum, idem dicent: *tit. D. & C. de reb. minor. ſine decreto non alienand. l. fin. Cl. 10. de vend. reb. ciuit. l. 2. de præd. decur. lib. 10. l. fin. eod.* vtrumque de Rege Galliæ aſtruit Caſſanus: *l. 1. c. 1. p. 33. 34. ac alibi*, & de Imperatore *l. 2. c. 1. p. 21.* quod in Ordinibus Imperij ſit ſupremitas, quod alij generatim ita dicunt, quod in Principe ſit Maieſtas perſonalis, ſed in repub. realis: illa ad vitam perſonæ, hæc perpetua: ideoque quæ ad perpetuam ſtatus regni mutationem pertinent, Principem ſine Reip. Ordinibus non poſſe.

Omnino in contrariam ſententiam abijt Alberic. Gentilis *in diſput. 2. de vnion. regnor. Brytan. ſub fin.* ſed loquitur apud Anglos *vbi diſp. 1. de poteſtate Regis abſoluta.* Regi omnia tribuit, vt nihil populo, nihil Ordinibus reliquum ſit, niſi Regis beneplacitum. nullæ olim victis leges, nulla iura reſidua manſerint. ſed eum quoad hoc amplè refutauimus *in Ind. l. 4. c. 2. n. 1.* videamus ergo quæ habeat argumenta: vnire vnione vniuerſali eſt ſupremi Domini, vt & Papa poteſt vnire omnes Eccleſias, at Rex in ciuilibus habet abſolutam poteſtatem, non minus quàm Claudius Galliæ, Veſpaſianus Hiſpaniæ tribuere potuit ius Reipub. & in orbe Romano qui ſunt ex Conſtitutione Imperat. Antonini ciues Romani effecti ſunt: *Plin. l. 3. c. 3. Tacit. Ann. 2. Nou. 2. vbi Cuiac.* etiam Iuſtinianus diuerſas vniuit prouincias. *Nou. 8. 24. 25. 26. 27. 28. 29.* at hæc *Romani fecerunt in Orbe*, inquit, *Romano, itaque poſſit Rex quilibet in orbe ſuo*, id eſt, prouincias ſibi ſubiectas vnire, ac ciuitates regno ſuppoſitas. Nihil erat in orbe Romano quod non eſſet Imperatori, vt tali, ſubditum: at duo regna, quæ vtrimque ſunt abſoluta, non ſunt in eodem orbe, neutra Regi vlterius, quàm ſuo reſpectu, ſubiecta: non reſpectu alterius regni, vt ad alium quàm regiminis ſui effectum eius abſoluto arbitrio ſint ſubmiſſa, niſi fortè iure belli capta, nullis conditionibus dedita: nam hæc tota tranſeunt tunc in arbitrium liberum victoris, & ratio ſane magna eſt differentiæ, quippe dum ſuperior inferiora vnit, nihil de auctoritate ſuperioris decedit: inferiori autem ſufficit poteſtas ſuperioris, cauſæ adiecta: cum autem duo ſuprema coniunguntur, non eadem eſt poteſtatis correlatio, vt diximus, atque ita etſi liceat Epiſcopis inferiora beneficia ex cauſa vnire, non tamen licet Epiſcopo duos Epiſcopatus poſſidenti eos inuicem coniungere. *c. ſicut vnire. X. de exceſſ. Prælat.*

Et quamuis idem Gentilis conformiter ſibi argumentetur: *quid nequeat*, inquit, *Rex iſtud, ſi iſtud expreſſè de eius poteſtate exceptum non eſt, cum inferiores à Papa etiam poſſint facere vniones de conſenſu, ad conſenſum cogere, ſi cauſa adſit, vel etiam omnibus inuitis, ſi cauſa contradicendi non adſit, quia contradicentes ſine cauſa habentur pro non contradicentibus, quin & Prælati poſſint negligentia accuſari, ſi cauſa poſcit vnionem, nec eam faciant: ſic & ipſi ſubditi ſæpe poſſunt per ſe, quia vtile eſt Principi vt ſint vniti.* quoniam, quod attinet ad Regis poteſtatem, eſto ſit abſoluta quoad ſubditos, non tamen ex natura regiæ poteſtatis eſt, vt duo regna vtrimque ſuprema

inuicem

inuicem collidere, exſtinguere, deſtruere poſſit, poteſtas omnis à Deo eſt ordinata in ædificationem, non in deſtructionem. à regendo Reges dicuntur, regimen Regum eſt, maieſtatem regni tueri, ſtatum dignitatemque ſeruare, non confundere, non alteri ſubijcere, non proſternere.

Adeoque & idem Gentilis *eadem diſputatione* vnionem, de qua agit, *arctiſſimam fieri*, inquit, *illorum omnium regnorum vnitionem hic expetimus, vbi omnia vno & vniformi iure in vnum coeant*: at Franci non talem vnionem Coronæ ſuæ factam cupiunt, vbi omnia maneant æqualia Imperij decora, vis, & notæ, ſed vbi Coronæ ſuæ præſtantia abſorbeat omnia: vt aquilæ plumæ omnes alias, quæ coniunguntur conſumunt, pelles lupinæ alias derodunt, & vt deinde regni regulis ſubijciantur. *ita Chaſſan. ad conſuet. Burg. de fieſt R. 3. §. 2. en choſes n. 60.* & Caſſanus fac: *l. 1. c. 1. p. 36.* Franciæ Coronam inſtar ignis, qui omnia quæ coniunguntur in ſuam naturam transformat: contra ſcilicet aliorum regnorum leges: *de quibus latè ſupra c. 3. egimus*, quales Caſſanus ſæpè vocat regnorum fundamentales. quarum primæ illæ ſunt, quæ ſingulorum conſeruant dignitatem, ſuique conſeruationem, ne ab igne abſumantur naturaque immutetur. v. g. ſi fœminina etiam fuerint, eſſe impoſterum deſinant, *vt infert p. 37.* cuiuſmodi leges ſingulis populis tam charæ ſunt, quàm ſuæ Francis: eoque contemni ab his non poſſunt inuitis illis populis. *vt diximus d. c. 3.*

Sed iterum idem Gentilis, *ego*; inquit, *neutrum apparere regnum velim, penitiſſimam confuſionem iſtic velim. & itaque illa alia tollenda erunt omnia in vnione, quæ contra vnionem ſiut: tollendum Scotis erit, quod audio illis eſſe, priuilegium, ne tributa ſoluant Regi, ne dent militem, ne bellum, non de aſſenſu Ordinum indictum, ſequantur inuiti, & ſi qua ſunt talia, huiuſmodi ſtare non poſſunt, & vnio. nec in vnione iuſta, ſunt iuſta. apparebit enim manifeſta ſeparatio regnorum; & alterum iam conferet publico nihil.* At Franci manifeſtè præ reliquis in vnione volunt eminere: abſunt ergo à mente Gentilis: &, quæ ille velit per vnionem tolli priuilegia, facile & Franci in alijs velint, ſed ditiones vniendæ nolint. ideoque redeamus ad Gentilem ad priorem locum; *ſi cauſæ*, inquit, *non ſint quæ iunctionem regnorum diſſuadeant, equidem affirmare ipſe poſſim, ius eſſe iunctionem inducere, cum quia vetita hæc, vt iunctio Eccleſiarum, non reperitur: tum quia in iure naturæ, ac gentium reperitur hæc regnorum iunctio approbata, at in Belgio, vbi vnionem voluiſſe dicitur Hiſpanus, hoc impedijt illam, quod ſubditi vnionem noluerunt: qui & noluiſſe potuerunt per placita & conuentionem: nemo mihi à Belgij ſubditis, nec ſubditis, ad alios ſubditos argumentetur.* Itaque Gentilis hic, & iuſtas cauſas deſiderat, & abſolutiſſimam ſubiectionem. de cauſis dicemus *capite proximo*, de abſolutiſſima ſubiectione quoad Franciam ſuam, nec ipſi Franci, qui Carolo Magno vnionem proponenti reſtiterunt, cum Gentili conuenient: & nullarum forte aliarum ditionem Ordines: qui cum Saluſtio fortè dicent *in Oratione I. ad Cæſarem de rep. ordinanda*, cum iam Romæ ſtatum Cæſar immutaret, *Omnes*, inquit, *magna mediocrique ſapientia res huc vocat, quæ quiſque optima poteſt, vti dicat.* &. ſacrorum decretorum argumento dicet ad vniones vocandos eſſe eos, quorum intereſt. *Reg. 21. Cancellaria de vnionibus Concil. Trid. ſ. 7. c. 6.* & vero quod Gentilis ait, non eſſe coniunctionem regnorum inhibitam, vti Eccleſiarum: eſto diſertæ leges non ſint, ſimilia tamen ex ſimilibus inferri rectè aſtruit lex *non poſſunt 12. D. de legib.*

Nec vero etiam deërunt qui prohibitam eſſe cenſebunt vel ex communi Regum iuramento, quod inaugurandi præſtant, de rebus regni non alienandis: *c. Intellecto. X. de iureiurand.* vnionem autem importare alienationem: *c. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6.* Ideoque in ipſis aliorum inter ſe regnorum vnionibus ſolet Caſſanus Ordinum aſſenſum allegare: *l. 1. c. 4. p. 199. plura vide ſupra c. 4. §. Miſcellanea.*

Sed redeamus ad Gentilem, qui & cauſæ cognitionem requirit. *quæ*, inquit, *& alia multa poſſit & hoc, vt partes vocentur, at in regnorum diuiſione dico diuerſum ius: Regis tota hæc mihi curatio videtur, cuius & regna ſunt.* ita ille: an idem & alij omnes dicent, non exiſtimo: id tamen conficitur ex Gentili, cognitione cauſæ opus eſſe, non per ſe inuicem regna confluere. Pergit Gentilis; *quid quæſo eſt quod vtilitatem, quod neceſſitatem poſcat atque facit indictio, ductio, compoſitio belli; conſcit alia huiuſmodi Rex ſolue, in quibus vrgent neceſſitas, euidens vtilitas poſtulatur, at ſatis eſt ſi euidens res Regi eſt, neſcis vbi me premit calceus meus intolerabiliter, reſpondebat Æmilius ei, qui ſecum diſceptabat, ne cum vxore diuortium faceret bona, nec addidit præterea verbum de cauſa*, ita Gentilis: ſed non id omnes gentes, in re tanti momenti, qua vnitur regnum integrum, ac ſtatus mutatur, adeoque ſi lincea circumſpectio requiritur, vt leuis etiam rei vnio fiat, ex neceſſaria, aut euidenter vtili cauſa. *c. expoſuiſti. X. de præbend. d. c. 1. reb. non alien. in 6.* non exigetur eadem in vniendo toto; quæ in minima parte? in huiuſmodi negotio cæca credulitas, & ſeruilis taciturnitas, irrationabilis aſſenſus non omnibus æquè gentibus placuit; certè non Francis: cum de regno ſuo Imperio vniendo actum eſt à Carolo Magno: at vbi ſibi aliquid vniendum proponitur, illi facilè id à ſolo Rege fieri poſſe ſenſerint, vt Chaſſanæus *ad conſuet. Burg. vbi ſupra n. 62. 63. 64. 65.* vbi tamen & conſuetudinem inpatrocinium vocare videtur. Idemque communi Francorum errore labitur *num. 51.* quod Burgundia fuerit vnita de conſenſu trium Statuum Regni, & dein conceſſa per modum apennagij, quia veritas eſt, *vt diximus cap. proximo*, quod ſine conſenſu Statuum Burgundia fuit vnita, & ad querelam Burgundorum ante inauditorum de conſenſu Ordinum vnio diſſoluta, & Burgundia conceſſa ſine mentione appennagij, aut filiorum maſculorum, vt probat ipſum diploma quod citabimus, & ſatis prodit ipſe Chaſſanæus, cum contendit illa diplomatis verba *heredes in legitimo matrimonio procreatos* ex veriſimili contrahentium intentione debere intelligi de maſculis, cum è contrario veriſimilis intentio ſit ſumenda ex eo, quod aliàs

in

in eodem negotio factum est: *l. si de interp. D. de legib.* atque ipse ibidem docet Burgundiæ Ducatum pluribus successionibus ad fœminas fuisse delatum: imo ipsum concedentem per matrem in illum successisse. quin & Chassan. *d. §. 5. nu. 41. & seqq.* ostendit nullas Franciæ dignitates ad mulieres non descendere, præter ipsum regnum, Ducatum Aurelianensem, Bituric. *num.* 50. & vt vult, Burgundiæ. Itaque mens contrahentium definienda est ex eo, quod ipsi semper, aut plerumque, non quod rarò faciunt, eoque quod in ea regione frequentatur. *l. nummus de leg. 3. & quæ ibi citat gloss.* sed de hac re infra latius *hoc lib. c. vlt. §. Burgund. ducat.*

## CAPUT XIII.

### *Quæ sint iustæ causæ contradicendi vnioni?*

AUdiamus ipsos Francos Carolo Magno apud Paulum Æmilium in Carolo Magno coniunctionem Regni Francici cum Romano Imperio suadenti respondentes: *cur milites tuos, regnum tuum, Franciam tuam, Imperij prouinciam facere studes, Imperioq́; subiicere?* videnturne non iustam causam proposuisse Franci? videnturne cæteræ gentes pepones tantum esse, ac cucurbitæ, an aliquid de ratione participare posse cum Francis? atque libertatem suam, regnorum maiestatem, ditionum dignitatem non minuendam postulare, vnionisque præiudicia deprecari? *Milites*, inquiunt, *tuos* Romanorum iam victores: *regnum*, inquiunt, *tuum*: belli primum iure maioribus, deinde Ordinum senatusconsulto tui omnino iuris à Deo & ense tributum: denique *Franciam*, inquiunt, vitricis gentis, gloriosi nominis, *Imperij*, inquiunt, *prouinciam facere*, statum mutare, nomen extinguere, libertatem quam Germanicum Franci nomen refert, *Imperio subiicere*; ita subiectionem interpretabantur Franci, cum Carolus tantum *de vnione* proposuisset; *Vnumque* commendasset.

At vero non de triuio veniunt hæ causæ: etiam in Diuorum Concilio, cum apud Iouem statutum esset Troianos Latinosque vnire, agitatæ sunt; è cælo huc accersuntur: ita enim inquit illa *apud Virgilium lib. 12.*

*Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum,*
*Cum iam connubiis pacem felicibus (esto)*
*Component, cum iam leges & fœdera iungent,*
*Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,*
*Neu Troas fieri iubeas, Teucrosque vocari.*

Diuos ergo etiam ea cura tetigit, ne gloria nominis per coniunctionem obliteretur, vt pacem & communia fœdera habeant, vt alij alterius nomini ditionique non subijciantur, ne subditi, ne prouinciales fiant. Nec verò Poëtarum tantum commenta sunt, multæ sunt prouinciæ eadem à Principibus suis stipulatæ. Brabanti quidem, vt Dux teneatur nomen, & insignia ferre, sigillum peculiare in ea ditione habere. *Ioannes Aragonia Rege*, inquit Mariana *lib. 19. Ferdinandi patre mortuo & illius regni omniumq́; suorum Principatuum possessionibus acceptis: quibus titulis & quo ordine vti deberent ipsi & vxor Isabella in literarum & priuilegiorum expeditionibus ad proceres, consiliariosq́; suos retulerunt: quorum cum plures eos Hispaniæ, cuius maiorem partem possidebant, Principes appellandos censuissent: hoc ambitionis & arrogantiæ nomen esse existimantes, ne Portugalliæ Nauarræq́; Regibus iniuriam facerent, admittere noluerunt.*

De libertate, illiusque imagine, vel opinione retinenda audiamus iterum Gentilem. *Noluerunt*, inquit, *vnionem Belgæ, & cum vnione Regem: quia nomen inuisum sæpe & quidem solum, mirum; vt homines sub rege viuentes, nomen regium velut libertatis priuationem exhorruerint*, inquit, *Plutar. de Romanis: qui veuerà ferebant regem Cæsarem & eundem dici regem non ferebant: & itaque Belgæ sic: quia quantum crescebant honore illo nominis Regij, tantum sibi videbantur decrescere libertate, & vero quantum crescebant ab vnitione, tantum decidebant. & eo amplius multo à priuilegiis plurimis, quæ sunt vita earum prouinciarum.* ita Gentilis causam reddit, cur Belgæ in regnum vniri noluerint; & nolle potuisse ait, ijs verbis, quæ proximo capite citauimus.

Argumenta sunt alia plura, quæ iustas causas præbeant aduersus huiusmodi coniunctiones, atque imprimis, quod *in rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debeat vt recedatur ab eo iure quod diu æquum visum est*: quod omnis nouitas sit odiosa: quod in causis imperiorum omnia etiam tuta sint timenda: quod in illorum vnionibus facilè timendus sit aliquis lien, quo veluti in corpore humano excrescente nimium reliqui artus contabescant: quod dum per eas parti eiuiũ consulitur, pars negligitur, res perniciosissima in ciuitate producatur seditio, atque discordia: difficilis in republica possit esse concordia, in qua non idem conducat omnibus. iliades se offerunt malorum quæ timeri possint. neque pauca ex illis complectuntur apud Liuium *l.* 48. tribuni plebis Camulæi, & latini hominis L. Annij, & Oratio Maximi aliæque vnionem Latinorum cum Romanis disputantes. fœderum iura & commerciorum conuentiones periclitantur. nec omnibus satisfacit illius responsio: *ego fœdera faxo firma manu*: minus, quod ait Gentilis; *erunt*, inquit, *merito quadam repudianda & reformanda, etiam quæ commoda singulo Regno olim, stare nunc non benè poterunt, aut cum vnitis sic tantum, cum vno capite.* non omnibus placet huiusmodi repudiatio, aut reformatio: prærogatiuæ etiam regnorum & regum in tricas inuoluuntur. vnde Rex Hispaniæ ex coniunctione nunc tot regnorum prærogatiuam erigit aduersus Regem Franciæ: quam eo nomine non parum effert Vasques *in Præfat. Illust. controuers.* & Florentino Duci aduersus Ferrariensem obsuit mutatio reipublicæ, cui olim debita præcedentia, iam negata fuit. *Decianus l. 3. cons. 19. Ceph. lib. 6. cons. 5.* & quamquam Gentilis in Florentino id probet, quia status reipublicæ non fuerit idem, qui Ducis: in Hispano improbet, qui fuit idem: manet tamen Regibus controuersia, quam nec quidem

quidem Concilium Tridentinum voluit definire; sed Oratorem Hispanum extra ordinem collocauit. etsi nec inficiari quis potest plura simul decora coniuncta præ vnico excellere, pluribus simul facibus coniunctis maius lumen collucescere, pluribus simul lignis maius incendium excitari. Virtus vnita fortior, nec Hercules contra duos.

Denique nec minimum ex malis esse potest, quod per huiusmodi coniunctionem regna in extraneam familiam transferantur. vt v. g. coniunctum nunc sit regno Franciæ Nauarræ quod cis Pyrenæum est regnum, si moriatur Ludouicus XIII. & Dux Aurelianensis sine libris masculis (quod Deus auertat) supersit Aurelianensi filia, regnum Franciæ deuolui ad proximum masculum consuetudine receptum pridem diximus: sed quæ æquitas permittet Aurelianensem filiam, sanguinem Nauarræum, admissis extraneis, excludi à successione huius Nauarræ? quam aui per nouem sæcula, vt ait Cassanus *lib. 1. c. 4. p. 163.* possederint, neque porro solutio Gentilis omnibus placebit, *Erramus*, inquit, *legulæi cum fori iura eadem & regni facimus: non cernimus iure ciuili, quod hodie dici meretur gentium, est quidem dubium si materna maternis, paterna paternis redeant: attamen Bartholus & alij magni Doctores sic censent, & æquum dicunt, vt res redeant vnde prodeunt: alij tradunt succedere in bonis omnibus pariter omnes. Quæ sententia nec potest hic habere locum, quoniam regna non diuiduntur iure feudistico, quod vbique seruari valdè solet in causis Principalibus.* id si Cassanus reciperet, videret quàm multæ, quas mouet, tricæ soluerentur, quibus ad nexum Coronæ Franciciæ ex alijs cupit decerpere. Sed pergat Gentilis: *Anglica*, inquit, *Anglis, Scotica Scotis redeunt procul dubio. & sic vbique sanè tenet consuetudo, etiam cape tu illa vnionis Ecclesiarum: cessante causa vnionis, cessat vnio. & cessante vnione, reuertuntur in antiquum statum omnia: infirma hæc obiectio est omnino, non solum ominosa.* Ita ille. sed absit quidem omen, ego tamen fideiussor esse nolim pro infirmitate obiectionis; & in pristinum restitutionis, solutionisve vnionis: cuius causam vtique Cassani similes vmquam cessare negabunt: videlicet magnitudinem prorogationemque Francici Jmperij: si concederent, viden' an non multa ex lilijs Francicis folia decident? plurima omninò.

## CAPUT XIV.

### *Quæ ex dictis consequentia?*

SAlicarum legum vnionumque argumenta Cassano, Arroyio, alijsque Francis perpetua, & quæ generalia diximus iam dissoluimus, antinomias perspeximus, quibus non minus se ipsos, quàm alios impugnent, aut si in ipsis admittenda sunt, aliorum Regum Principumue, aduersus quos dissertant, in contrarium iura stabiliant: titulos, actus, contractus, testamenta, codicillos, inuestituras comprobent; neque enim video vllum Principatum esse, quem Cassanus Francis voluerit vindicare. quin aliquibus munimentis, qualia Francis vtilia facit, alijs Principibus asseri defendique possit, & verò, vt daremus non paucos aliter aliquando obuenisse, per vim aut titulos iure nullos, vt passim sibi aduersarios indigetat Cassanus; tamen etiam diximus *cap. 3.* omnia Europæi orbis regna domestico iure esse firmata, & Romanis legibus soluta, ex quibus Cassanus nullitatum argumenta accersit: adeoque in harum quæstionibus ius gentium solum vires habere: at ex eo nati contractus, si consensum potestatemque contrahentium habent, nullam agnoscunt nullitatem: *l. 5. D. de iust. & iur.* & quæ iure Romano sunt inductæ, eodem omnes per annos triginta tolluntur: *l. omnes. C. de trig. & 40. an. præscript.* qui in Francia etiam & alibi maturius. Superest ergo, quod initio proposuimus, post argumenta generalia dicendum, vt de pactis pacis, fœderibusque seruandis agamus. sed id antequam faciamus, coronidis vice visum est hic disquirere, an iniquæ sint omnes regnorum olim iniquè quæsitorum possessiones, an si qua sint titulorum vitia, etiam longæua possessione euanescant; an æterna veteribus dominis vindicatio competat. & de Belgicis prouincijs nonnihil differere aduersus ea, quæ Cassanus de illis in medium proiecit.

## CAPUT XV.

### *An æternæ sint regales actiones, regnorumque vindicationes? an nullo temporis lapsu, nulla præscriptione tollantur? an iniqui omnes illorum, quæ non secundùm leges sunt olim parta, possessores.*

MUtat Deus tempora, & ætates, *transfert regna atque constituit.* Dan. 2. *balteum regum dissoluit, & præscindit fines regnorum eorum.* Job. 12. *subiicit gentes, & dorsa regum vertit, gloriosos terræ humiliat, portas æneas conterit, & vectes ferreos confringit.* Jsaiæ 45. *regna à gente in gentem transfert:* Ecclef. 10. ille monarchias Assyriorum, Chaldæorum, Græcorum, Romanorum instituit: ipse *dicit Regi apostata, & vocat Duces impios.* Job 34. sicubi verum est, quod multi hodie opinionibus suis accommodant, non iisdem legibus hæredia priuatorum regi, & regna; hoc in casu sanè maximè obtineat. Summum sane illud Numen causas mortales superat, quibus regna constituit, atque transfert; etiam per eos, quos ipse vocat apostatas, & impios: & tamen consilio suo res humanas subijcit atque accomodat: vt etiam ignari diuinis seruiant mysterijs. inde fit, vt etiamsi regnorum primordia fuerint iniqua, primi Reges tyranni, robusti venatores, scelerati inuasores, restitutioni obnoxij. *c. sicut. X. de iureiur. Azor. instit. Moral. p. 2. l. 11. c. 3. q. 6.* populi tamen deinde Jmperio assuefacti

excuti illud nolint, quietem præferant, tranquillitatem anteponant, eorum assensu iniquæ possessiones iustificentur. *Azor. ibid.* sic stabilito Julij Cæsaris Jmperio Tacitus *l. 1. ann. occisus dictator Cæsar aliis pessimum, aliis pulcherrimum, facinus videbatur.* pessimum sane: quippe iam is erat rerum status, *vt necesse esset reipub. per vnum consuli, l. 2. §. 11. D. de orig. iur.* idem testatur Tacitus & Dion, itaque cum resp. mutatione in peius rueret, multarum rerum natura etiam mutatur. *Omnes*, inquit Sallust. *de bell. Ingurth. rerum mutationes, cædem, fugam, aliaque hostilia portendunt.* vt latius diximus *in Iud. l. 4. c. 33.*

Quanta incommoda secuta sunt cùm Vrbanus IV. S. Pontifex Carolum Andegauensem ad regna Siciliæ vocauit? quanto sanguine parta illi victoria! quàm indignè securi subiecit Coradinum vltimum Othonianæ gentis Principem? quantum sanguinis in Vesperis Siculis, quas vocant, fusum! quo bono publico res videri cuipiam posset redigenda ad statum illius temporis, quamuis ius suppeteret? subiicere rursum tot capita Christiana eidem fistulæ cuipiam videri possit publicum bonum? an posset ab æquo animo eiusmodi tyrannis restaurari? non videantur iure cecidisse potius inuestiturarum, qui potestate ita sunt abusi? familia Aragonica exclusis Andegauensibus ab alijs Pontificibus inuestita, non turbanda nunc etsi Petrus fortè Aragonius initio non iustè bellasset? quod arguit Cassanus, cui tamen respondimus *supra c. 4. §. inuest. sub fin.* itaque cum sine reipub. graui incommodo nihil potest innouari, cum periculo cladis publicæ susque deque vertenda non sunt, quæ publico iam quasi consensu sunt stabilita. cum enim regnorum institutio inuenta fuerit populi causa, non Regum admodum errant, qui ex initijs regnorum iniquam perpetuò possessionem esse constituendam, sicut priuatorum fundorum existimant: sed vero ex fine institutoque suo quiete, tranquillitate, salute populi, vt si vnquam veram causam habeat lex illa XII. tabularum, *salus populi suprema lex esto*, profectò hac in causa est supremæ veritatis. eumque fuisse sensum semper Ecclesiæ facilè colligas, si actiones expenderis, regnorum sanè paucorum primordia iusta probaueris, non monarchiarum, quas diximus, non Gothorum, Francorum, Wandalorum, Agarenorum, Hunnorum, Suecorum, Danorum, Pictonum, Saxonum, Normannorum, Britonum, aliarumque gentium migrationes, alienarum terrarum inuasiones: & tamen quot ex his iusta regna constituta sunt, iusti Reges, iusti possessores habiti? *latius habet Armacan. in Mart. Gall. l. 1. c. fin.* primus Romanorum Jmperator, qui palam fidei Christianæ dogmata fuit amplexus, Constantinus, diuinitus quidem conuersus fuit, apparentibus ei Apostolis Petro ac Paulo, à sanguineo infantium balneo abstinere iubentibus, & quærere Siluestrum Papam, ab coquo, quid pro sananda corporis, animæque lepra sibi faciendum esset, edoceri: at ille Christianis institutis eum imbuit, Christi lauacro abluit, præcepta tradidit: nihil tamen vt Jmperio, primitus iniustè parto, multis iniustis bellis aucto, se ipse abdicaret, illudve minueret: quinimo multa ille exinde bella pro Jmperio gessit, multa ille Ecclesiæ donaria tribuit ex Jmperij bonis, suscipiente Siluestro, basilicas ædificauit instruente Siluestro; tametsi ex fide nostra eleëmosynæ recipi non debeant ex rapina: non dimittatur peccatum nisi restituatur ablatum: retento tamen Jmperio dimissa sunt Constantino peccata, sanitas baptismo restituta: miraculo Jmperium, etsi iniquè magna ex parte olim conquisitum, approbante. an non eadem dicemus de baptismo Clodouæi, vbi ampulla chrismatis miraculosè subministrata fuit? *vt Mars Gallicus l. 1. c. 2. & quos citat*, & tamen non id egit Remigius vt regno cederet, sed tamen vt ablata Ecclesijs regni Francorum restitueret: *neque prius* inquit ipse D. Remigius, *in testamento quod refert Miraus in Cod. donat. piar. c. 1. de regno eius quantus passus est pedis, Ecclesiæ Rhemorum iungere volui, donec, vt hoc omnibus Ecclesiis adimpleret, obtinui.* Constantini Clodouæique vestigia secuti sunt multi deinde Jmperatores, re ac nomine Christiani. quorum etiam aliqui inter Diuos sunt relati, etiam post imperium à Francis ad Germanos translatum: vt S. Henricus. tametsi Cassanus, Arroyius, & similes iniustè translatum velint, inuasum, restituendum clament. eadem alijs regibus regnisque obtigerunt: Carolus etiam Magnus, quem Germani Francique tanti faciunt, qui proximè aberat ab eo, qui primus Merouingorum exclusis iustis hæredibus regnum Francorum in domum suam intulit, nonne & ipse Cælitibus asscriptus est? Ludouicus IX. nonne & ipse inter Sanctos enumeratus, etsi per Hugonem Capetum Rex factus sit, qui Carolingos non ita pridem eiecerat? Stephanus Hungariæ Rex Sanctis etiam asscriptus, Hunnorum hæres; an semper & vndequaque iustorum? Omitto nunc quod superius tetigi, capere successores alios titulos, dotium, donationum, transactionum, emptionum, belli, pacis, transactionis, alios iustos iniustis principijs subnasci, ex quibus, etsi in se, aut ciuiliter nullis, præscribitur tamen: *l. si profundo de transact. l. fin. §. fin. D. de vsuc.* credi etiam posse iustos fuisse titulos, qui non fuerint: vnde titulus *pro hærede*: &, cum omnes peculiares deficiunt, iustum facile dari titulum *pro suo*: quem leges nostræ validum agnoscunt, & optimè locum habet in successoribus vtique ignaris auitorum factorum, iurisque ex illis nascentis. quod & in regnis præscribendis recipit Azor. *Inst. Moral. t. 2. l. 11. c. 3. q. 6.* quod quis non credat & olim contingere potuisse, qui expenderit quàm diuersimodè, vt quisque affectus est, initia, causæ, iustitiaque bellorum hodie describantur, quantis Mercurij Francici, Germani, Belgici alijque, qui neutri etiam sint, interstitijs dissideant! vt optimè Tacitus; *maxima quæque ambigua sunt, dum alij quoquo modo audita pro compertis habent, alij vero in contrarium vertunt, & gliscit vtrumque posteritate.* & iterum, *nimia charitate, & cæterorum odio, quamuis fabula & immania creduntur.* denique idem *histor. l. 1. veritas pluribus modis infracta, primum inscitia reip. vt alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus*

*odia aduersus dominantes, ita neutris cura posteritatis inter infensos, vel obnoxios.* an non licebit posteris factorum veritatem ignorare, quam nesciuerint ipsi, qui res gestas in theatro præsentes spectarunt; atqui ex facto ius oritur: atque huius ignorationem asseclam habet illius ignorantia: quam leges tamen in eo, qui non gesserit, excusatam habent; adeoque in hærede successoréue, quare Vasquez *Illust. contr. l. 2. c. 73.* ex professo hanc tractans quæstionem, etiam iure canonico hæredem longissimo tempore præscribere docet, si à sua persona inchoet: neque in realibus malam fidem in eum à defuncto transire, aut hunc repræsentari, cum à se hæres inchoatam tantum allegat. præscriptio temporis longissimi, iure Digestorum ignota erat, & de ea non agit, sed de ea quæ est tantum longi temporis lex *cum hares. D. diuer. præscrip. cum simil.* quæ obijci hic solent, quas plenè Vasquez dissoluit. & maximè considerari hæc possunt in bello olim quæsitis, cuius iustitia apud viuos sæpè, apud posteros plerumque in obscuro est. porrò cæteris titulorum positiui iuris nullitates tempus facile etiam absumit. At, inquis, regna non pati præscriptionem, supra Romanas leges esse, quæ tamen etiam iura regia, adeoque maximè Coronam ipsam ab ea eximunt: *tit. C. ne rei Dominicæ vel templor.* quin & eneruantur ea, quæ sub tyrannis, regnorumue inuasoribus acciderint: *tit. de infirmandis his. C. Theodos.* vnde & subuentum est antiquis possessoribus victis in Africa Wandalis, quam octuaginta amplius annos possederant; & in Hispania Gothis. Sed præterquam quod hæc expulsis Wandalis Gothisque victis iure belli acciderint; cuius tempore cessat omnis præscriptio; non autem defectu legitimæ præscriptionis nihilominus concedam Cassano Francisque vt ab Jmperio Romano, ita & à legibus Romanis exemptos esse eos, dummodo patiantur legem, quam tulerint, ac iure, quod in alios statuerint eadem causa subnixos, eodem ipsi vtantur. viden' vt alios nullæ iam leges Salicæ constringant, qui Salicis non subsint? si qui potuerint Romana arma excutere, Romanis legibus soluti sint, qui potuerint Salico-Francica arma excutere, Salico-Francicis legibus non posse ligari? cur illæ ergo toties ad hoc forum citantur, in hanc actionem veniunt? cur etiam Romanæ leges ijs obijciuntur, quorum sedes stabilitæ sunt in excidio potestatis Romanæ, suis in ditionibus, non minus quàm in Salicis? cur tot actuum contractuumve nullitates à Cassano obiectantur, quæ nullo gentium iure inuentæ sunt, sed Romani tantum iuris specimen præseferunt? Sed redeamus ad iura præscriptionum: ciuilia quidem Romanorum dumtaxat illa Cassanus facit, & rectè, si originem tantum spectes: non item si vsum, prorogarinnemque. adeoq; iustius æquius dixit Albericus Gentilis *in disput. vnion. Mag. Britan.* ius illud ciuile dici hodie mereri ius gentium, quippe omnes pæne hodie illo vtuntur in supplementum legis domesticæ.

Gentium ius est quod sibi gentes constituerunt: *§. ius autem gent. Inst. de iur. nat. gent. & ciui.* non illud immutabile est, vt quod est naturæ: itaque si quod olim gentes constituere, displicuit postea, aliudque placuit constituere, ius iterum erit hoc gentium. quomodo nunc gentium Christianarum est, ne bello capti, secus quàm olim, fiant serui. & memorat Tacitus crudeliora fuisse ideo bella sub Othone, Vitellio, Vespasiano ciuilia, quod iam desierat iure gentium Jtalicarum captorum bello Jtalorum seruitus, ideoque non seruari iam sed occidi solerent, nisi fortè consanguinei aut affines lythrum soluerent. Itaque quamuis præscriptio commentum sit ciuile, tamen vsu omnium nunc est gentium Christianarum: valebit ergo inter omnes Christianos: eoque magis quod in personalibus contractus regantur iure loci quo initi sunt, in realibus iure rei sitæ res iudicetur. Itaque petitor non, quid domi suæ sit iuris, allegare potest, sed quo contractum est, quo res aut regna sunt sita: *secundùm ea quæ diximus supra c. 3.* vbi & Francos de se statuisse aliàs retulimus. Porrò quæ vspiam in Europa gens est, quæ non receperit ius præscriptionum, etsi quædam illius capita variarit? certè nulla ex ijs quarum regna petit Cassanus. & verò magis ideo concedendum est, quod quaquaversum patet fides Christiana, etiam Ecclesiæ decreta auctoritatem inueniat, & ab his probentur iura præscriptionum. *tot. tit. X. de præscriptionibus.* quinimo, cum in his agatur de materia peccati, leges canonibus cedunt, *c. fin. X. de præscriptionibus*, ideoque quamuis fur non vsucapiat quidem triennio, tamen longissimo triginta annorum spatio, quamuis sine titulo, & mala fide aduersus omnes personales realesve actiones præscribitur. *l. omnes. C. de præscrip. 30. vel 40. annor.* & nihilominus & hoc ipsum per canones emendatur, & possessor malæ fidei nullo vmqnam tempore præscribit. *c. possessor. de reg. iur. in 6.* alioquin etiam aduersus Ecclesiam Romanam, & quantumcumque priuilegiatas causas tam per leges *nouell. 10. vt Eccles. Rom.* quàm per canones præsctibitur *c. 13. 14. X. eod.* præscribitur, etiam aduersus iura Regia: si credimus probatioribus auctoribus, quare Azo in *summa C. ne rei Dominic. vel templ.* rectè dicit per leges sub isto titulo locatas longi temporis præscriptionem cessare, sed non longissimi *in tit. seq.* per Iustin. *in l. omnes* introductam, & *l. inter. C. de sacrosanct. Eccles.* vt tam res Dominicæ quàm templorum sæculari præscriptioni subiaceant: & vt de rebus templorum certum est, ita de rebus Dominicis credendum, & ita à suprema Belgij Curia sæpius iudicatum dicit Christin. *vol. 4. d. 83.* tametsi Franci nonnulli dissentiunt, tamen *d. l. 1. C. de quadrien. præscript. l. intra D. de diuers. præscript. l. ii. §. Diuus l. fin. D. de iure fisci*, sunt liquidæ. Sic etiam leuda (ex quorum iure ad maiores dominatus IC. quin & Cassanus frequenter argumentari solent) præscriptionibus subiiciuntur *l. 2. t. 26. §. si quis s. in vsib. feud.*

Quod si his credere non lubeat, negabo illos Reges iterum, illos Principes, quibus diem dicit Cassanus Romanis etiam legibus teneri. quin & Principes per Romanas leges dicam legibus esse solutos, imo & dum Reges inter se colliduntur, vtrosque disputare vt vicinos neutros vt subditos.

*Fr. Zypæi oper. tom. 2.*

vt neutrorum armis, ita neutrorum legibus obstrictos. itaque omnia axiomata inter subditos vsurpata, in mutuis Regum controuersijs auctoritate vacua, atque peregra esse: inter hos de iure gentium, de pactis, conuentis, fœderibus, iure belli, ac pacis agendum esse *l. ex hoc iur. D. de iustit. & iur. d. §. ius autem inst. eod.* quo ignotæ sunt omnes nullitates Cassiani, si modo consensus adsit, & ij quorum res est in sua sint potestate.

Præterquam autem quod diximus gentes omnes Christianas hodie iure præscriptionum canonibus etiam non Romanis tantum legibus approbato vti, etiam illud obseruari vndequaque notum est, ne actiones regales armis instituantur ad illa petenda à centenorum & millenorum annorum possessoribus, quorum tituli, vt belli Troiani, gemino petantur ab ouo, etiam in sacris literis tot annorum contempta auctoritas, quasi gentium iure improbante, arguitur. sic contendit Iephte, *Iud. c. 11.* cum rege Ammon ex iure belli & possessionis post trecentos annos repeti terram, quam dicebat suam, occupatam ab Israel, quando ascendit de Ægypto, *quare*, inquit, *tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?* & infert, igitur, *non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iusta:* nec tamen adhuc ibi Romanæ leges de præscriptionibus erant, sed rei æquitas, ac gentium vsurpatio. propterea pergit Iephte confidenter: *iudicet*, inquit, *Dominus, arbiter huius diei inter Israel & inter filios Ammon:* & Iephte victoriam obtinuit, adeoque iudicium Domini pro causæ æquitate, ac possessione tam diuturna. quare rectè Grotius *de iur. bell. l. 2. c. 4.* longæua possessione dominia iure & sensu gentium acquiri, etiam Jmperia, & summa iura. vbi similia Laconum, Græcorum, Romanorum, aliorum exempla, vt frustra post tanta temporum spatia de hypocondriacis titulorum quorumdam nullitatibus toto volumine arguetur Cassanus.

Nunc igitur quod attinet ad restitutiones veterum possessorum, pulsis Wandalis Gothisque, in vetera bona remissorum, non tam iuris Romani ciuilis est, restitutionisve prætoriæ in integrum, quàm beneficium victoris, seu postliminij iuris gentium, vt bello receptis ijs, quæ bello capta fuerint, omnium iura in pristinum statum restituantur. vt optimè animaduertit Grotius *de iur. bell. lib. 3. c. 9. num. 13. ex l. si captiuus. §. verum. D. de capt. verum est*, inquit Pompon. *expulsis hostibus ex agris, quos ceperant, dominia eorum ad veteres dominos reuerti.* aduersus quos pendente bellica lite præscribi non potuit.

Nec inutilis tamen fuit ea olim Jmperatorum declaratio: quippe qua militum præfectorumque cupiditas coercita sit ob quam etiam hodie sæpius quæritur quanto tempore res præsertim mobiles in hostium manibus fuisse oporteat, antequam milites, qui armis receperint, veteribus dominis restituere teneantur, & noctem vnam sufficere, seu domini à persequendo cessationem censet Maldet. *de iust. tract. 40. d. 6. assert. 5.* & posteriori iuri id Grotius *lib. 3. cap. 9. n. 14. 15.* adscribit.

Itaque quo spectat hæc dissertatio, quamuis regnorum primordia sæpe non iusta videantur, tamen multa sunt arcana rerum, sæpe latet in puteo veritas, aliæ armis causæ prætexuntur, aliæ reuera subsunt, multa sunt assentatorum mendacia, multa scriptorum blandimenta, multa tractatuum regiorum secreta, multa iniquis rebus iusta agnata aut subnata, conuentiones, transactiones, pacta, fœdera, aliaque, ob quæ iustè possessio retineatur, quæ olim iniustè fuerit quæsita, alia pro derelictis olim habita, quam causam Grotius satis expendit, *de iure bell. l. 2. c. 4.* aliorum titulorum nullitates præscriptæ, vitiaque temporis lapsi auctoritate, iudicio gentium extincta, vindicationes emortuæ sint, iura fœderibus sopita, dominia translata. Ideoque si in priuatis negotijs commodum possidendi in eo leges esse voluerint, quod etiam si eius res non sit qui possidet; si modo actor non potuerit suam esse probare; remaneat in suo loco possessio; *§. commodum instit. de interd.* atque in dubio melior est conditio possidentis: *c. in pari de reg. iur. in 6. c. cum sunt partium. eod.* non facilè oportet Reges longæuos possessores sedibus suis depellere. quod quidem, et quoad omnes gentes æquum est: ita maximè attendi oportebit historicis scriptis regna non vindicari, ea esse petitorum non probari, alijs opus esse munimentis, quibus plurium præsertim sæculorum auctoritas subueniatur, vt vaniloquentia iudice Tacito etiam sit, nunc in controuersiam vocare an rectè Jmperium Byzantinis ablatum, Carolo Magno & per eum Franco-Germanis à Pontifice Leone concessum; à Franciæ Regibus in Germaniam reuocatum, ad Berengarium aliosque Jtalos intermedio tempore traductum: aliosque veteres titulos regnorum per plura sæcula obsoletos facere rediuiuos, interruptasque possessiones post tanta temporum spatia velle redintegrare.

## CAPUT XVI.

### *De Belgicæ seu inferioris Germaniæ prouincijs.*

ANimus mihi fuerat initio nullam specialiter cum Cassano suscipere controuersiam, sed illa tantùm discutere quæ generalia sunt argumenta, præsertim aduersus pacis fœdera, toties inter Hispanos, Austriacos, Burgundos, & Belgas solenniter icta: sed rei indignitas patriæque debitum laxauit stylum, & huius capitis dissertationem à me extorsit. De Belgicis itaque prouincijs quas vno capite perstringit Cassanus *l. 2. c. 5.* quæ tot sæculis hæreditariæ quædam, etiam à tempore supra Caroli Magni suum continuo descendentium serie non interrupta, titulisve nulli cauillo obnoxijs possidentur, pauca dicam. numerantur illæ hodie, nomine inferioris Germaniæ, septemdecim. quas optimo iure Philippus IV. Hispaniarum Rex possidet. Franci exterique Flandriæ nomine illas ferè vulgò comprehendunt, præter Germanos, qui Belgas omnes inferiores Germanos vocant.

§. Bra-

§. *Brabantiam*

Antiquitus Coronæ Franciæ membrum fuisse ait Cassanus, Marchionem primum sub Theodorico fuisse Vtilonem, Hasbanium sub Theodeberto. sed de his Principibus videbimus *infra §. Marchionat. S. Imperij.*

Verum qui porro Dynastæ primi in Brabantia fuerint, post pulsos Romanos vetustatis tenebris obscuratum est. ex Francorum primoribus fuisse, qui veteres illos Pipinos (nam ab his annales inchoant, qui ex certis monumentis aut argumentis scripti sunt) aliosque dederint Maiores palatij, qui Francos rexerint antequam Reges ipsi essent, non est dubitandum. Pipinorum autem antiquum patrimonium fuisse Brabantiam existimem, ex partitione maiorum potius quadam agraria, cum Franci in aliena venirent, & Duces adhuc potius quàm Reges haberent, quam concessione aliqua feudali, quam intendit Cassanus, nondum tunc apud Francos satis vsitata, minus lege aliqua appenagiali, quæ multis demum post sæculis à Capetijs inuenta est; & ex qua tandem Cassanus argumentando infert per Caroli Audacis mortem non extante prole mascula Brabantiæ regressum ad Coronam. sed quidquid eius rei fit, Brabantia iure optimo ac summo possessa fuit postquam Carolus Magnus Francorum regnum adeptus est, ac illud omne inter liberos diuisit summo vbique iure imperaturos, vt diximus *supra c.7. & 8.* mansitque penes illius posteros in hodiernum vsque diem perpetuo indicio familiæ ercíscundæ potius, quàm aliqua noui beneficij lege feudali. penes Reges autem atque Jmperatores Brabantiæ principatus mansit vsque ad Lotharium III. Regem Francorum, & annum Domini 978. quo illius frater Carolus (nam Ludouicus filius puer obijt) cui regnum Franciæ debebatur, & quod Franci illi deferre desiderarunt; vt ex Sigeberto, Nangio, & Odotanno refert in Annalibus Brabantiæ Haræus *ad eundem annum*, fraude Hugonis Capeti fuit exclusus. De principatu Brabantiæ egi, quo se Ducatus Lotharingiæ extendebat, sed is post mortem Othonis filij Caroli primi Lotharingorum Ducis variè concessus, variè armis & iure petitus, vt breuiter ex Miræo *in Stemmat. c.* 10. 11. 12. 13. videri potest, & Prologominis Haræi *in Annal.* vbi ex capite Gerbergæ filiæ Caroli Lotharingiæ ius & successio Lotharingiæ ad Brabantos pertinet. Sed quod illa Lamberto nupserit tertio Comiti Louaniensi, cuius pater Anfridus à Sigeberto ad annum 997. Comes Bratuspantium nuncupatur, & Comitatum Huyensem Ecclesiæ Leodic. dedisse dicitur hunc Lambertum ex familia etiam Caroli Magni & Pipinorum fuisse oporteat, aut sanè Brabantiam seu Comitatum Louaniensem per Lambertum in Gerbergæ tantum & suam posteritatem venisse. Hiatus sanè est magnus, nisi inquam ex Caroli Magni gente Lambertum dicamus hæreditarium agri dominum non gubernatorem ab Jmperatore constitutum, quales sæpe Comites apud Sigebertum & alios dicuntur, vt Miræus notat *in Fr. Zypai oper. tom. 2. Stemmatibus. capi* 21. qui mancipijs, clientibus, hominibus proprijs imperabant, vt Abraham *Gen.* 14. trecentis vernaculis, quibuscum confixit cum Regibus, & captiuum nepotem Loth reduxit.

Sed & quod ad Lotharingiam attinet, seu Lotharij regnum inter Ludouicum & Carolum Caluum diuisum vtraque pars nomen retinuit Mosellana & Ripuaria, exinde habuit Duces, qui ex sanguine ius habuerint, & alios qui ex parte alia titulum, vt magistratum impositum, gesserint, vt vndique, at satis confusè, leguntur: quos inuicem lucidius distinxit *in Stemmat. Princip. Belg.* Miræus *c.* 11. 12. 13. & in Chronico Belgicæ in Indic. Rer. scrirm dedit Ducum beneficiariorum vniuersæ Lotharingiæ beneficiariorum Mosellanæ, hæreditariorum Mosellanæ; beneficiariorum Ripuariæ seu inferioris: Comitumque iuxta Louaniensium, hæreditariorumque Ducum Lotharingiæ inferioris ac Brabantiæ. Duces qui titulum officij gesserint ab Jmperatore semper sunt statuti, adeo vt vnus Otho I Jmp. quinquies Ducatum contulisse scribatur: ferè ad modum quo feuda primum deferebantur, primo vt quando Domini *vellent*, inquit, §. *& quia in vsib. feud. l.* 1. *t.* 1. *possent auferre rem in feudum à se datam, postea verò eo ventum est, vt per annum tantum firmitatem haberent, deinde statutum est vt vsque ad vitam fidelis produceretur: sic progressum est vt ad filios pertineret.* qui hæreditatis à Carolo Othoneque filio deuolutæ nomine possederunt Brabantiam, diuersimodè luctati sunt, vsque ad Godefridum Barbatum, qui barbam non positurum se iurauerat donec hæreditatem maiorum, non officia, recuperasset. Sed habemus, quod hic satis est, ipsum Cassanum *p.*171. fatentem descendentes Caroli Magni ex Lothario Brabantiam possedisse vsque ad annum 1250. vt opus nobis non sit longam ea super re disputationem sumere: remittemus causam ad Annales Francisci Haræi: qui vt post cæteros, ita præ ceteris scripsit benè, veram primorum Brabantiæ Principum seriem ex antiquis monumentis stabiliuit, limites Brabantiæ seu Bratuspantij veteris descripsit, nec non posterioris Brabantiæ, seu Lotharingiæ Cismosanæ fines, quin & veteris Lotharingiæ ex Aymonio qui scripsit ante annos amplius 700. retulit. quibus etiam de rebus Miræus *in Stemmatib. Princ. Belg. c.*1. *& seqq.* iterum videri potest, & Molanus *in Lou. & Militia sac. Duc. Braban. & Nota Louwij.* Jgitur Haræus à Pipino I. de Landis dicto, ab oppido veteræ Brabantiæ, sede olim Pipinum, prosapiam Principum deducit, à nullo externo interruptam, nisi prole mascula non extante, paterna vel auita hæreditas in dotem alteri Principi accesserit. quod accidit primum cum Begga, Pipini I. filia, Ansegiso nupta, successit Grimoaldo fratri Hildeberto ante patris mortem in acie cæso, atque ita improle: iterum cum Gerberga filia Caroli quem diximus Lotharingiæ Ducis, Lamberto Longicollio Comiti Louaniensis fratri Raginerij Comitis Montensis nupta, successit Othoni filio Caroli sine liberis mortuo anno 1005. in ius Lotharingiæ. Denique cum Joanna filia Joannis III. nupsit Wencessao

 fratri

fratri Jmperatoris, quæ anno 1355. Joanni patri defuncto successit, & post illam Antonius Burgundus, & huius stirpe finita Philippus Bonus: omnes vt liberi Margaretæ, filiæ eiusdem Joannis sororis dictæ Joannæ, materno omnes iure. porro Gerbergæ, & Lamberto filius fuit Henricus I. cui filius Ottho, breui tantum tempore superuixit, cui successit Lambertus II. Lamberti I. & Gerbergæ filius, Lamberto secundo filius Henricus II. huic filius Henricus III. huic Godefridus Barbatus frater, huic Godefridus II. filius, huic filius Godefridus III. in cunis dictus, huic Henricus IV. filius, iterum Henricus V. filius, qui obijt Kalend. Februarij ann. Christi 1247. quiescitque in Abbatia Villariensi, denique huic Henricus VI. filius Henrici V. qui vxorem habuit Aleidem filiam Ducis Burgundiæ, quæ ei peperit Henricum, Joannem, & Godefridum filios, & filiam Mariam vxorem Philippi III. Regis Francorum: obiit pridie Kalend. Martij anno 1260. sepultus Louanij apud Prædicatores, ita iterum hæc omnia Haræus, Miræus, *in Stemmat. Prin. Belg. cap. 14. & 15.* & alij, quæ & pluribus diplomatibus probari possent. vbi ergo nunc Henricus, quem ait Cassanus ad annum 1250. curasse se à populo eligi primum Ducem? illuderet Franci prosapiam Caroli Magni etsi fœmininam hic superesse fatentur, an ideo ficta hæc electio? Id quidem verum est, Henricum IV. primum vsum fuisse titulo Ducis; etsi iure sanguinis successerit, & nomine IV. inter Principes fuerit, quin & Godefrido Barbato proauo Comiti Louaniensi Lotharingiæ nostræ titulus ab Jmperatore restitutus etiam foret, vt idem Haræus latius in serie & præfatione Annal. cùm hic Henricus præesse cœperit anno 1186. mortuus 1225. sed is non peruenit ad annum 1250. filius autem Henrici V. obierit, vt diximus 1260. titulum paternum gesserit, cuius filiam, si inuasor Ducatus fuisset, Rex Franciæ respuisset habere vxorem. Non dissimili errore ab Henrici posteris desultat Cassanus ad Joannem Comitem Niuernensem secundo-genitum domus Burgundicæ, cui Brabantia competierit, Limburgum & Lotricium vt primogenito, eiusque cessionem factam, vt commentatur, Comiti Charolesij, ideoque infert extincta familia mascula Burgundica feudum hoc reuersum ad Coronam. sed quomodo feudum, quod mox dixerat Henricum electione populi obtinuisse? Rei ergo veritas hæc est, Henricus ille VI. Henrici V. filius ex Aleide filia Ducis Burgundiæ Henricum habuit, qui septimus & prærogatiuè ætatis eius nominis Princeps fuisset, nisi proceres tonderi illum in Affligimiensi monasterio, vt minus Reipublicæ capacem, voluissent: habuit ergo Henricus VI. successorem alterum filium Joannem I. hic Joannem II. etiam filium, hic Joannem III. etiam filium, at hic filiam Joannam, quam diximus Wenceslao nuptam, ex qua cùm liberos non suscitasset, grandæua iam illa 7. Maij 1404. Ducatum cessit Antonio Burgundo, pronepoti suo ex Margareta Maleana, filia sororis suæ Margaretæ Brabantiæ, quem Joanna pridem adoptauerat, secundogenitum quippe Joannes Burgundus ea lege in adoptionem inaugurationemque consenserat, vt si quando liberi eius deficerent, ius successionis ad Joannis posteros rediret: adeoque Antonio Joannes IV. filius, & huic improli Philippus I. frater successit; cui itidem sine liberis mortuo, nec extantibus alijs Antonij liberis, successit Philippus II. Bonus dictus, Joannis filius, huic autem Carolus Audax: quo ad Nancæum cæso, extincta est familia mascula Burgundica. Hæc est historiæ veritas, vt idem Haræus, Miræus, Bocbius, *de Belgij principatu*, Diuæus, Barlandus, & qui res Brabanticas scripserunt, latius enarrant.

Infert autem Cassanus, vt diximus, feudum hoc defectu maris reuersum ad Coronam. paucis in verbis multi sunt errores: primus, dum feudum vocat Brabantiam, cùm vt mox diximus patrimonium fuerit iam antequam feudi vsus apud Francos, obtinuissent, cum Pipini eorumve posteri, ante adeptum regnum illam possiderent, multò magis cum iure optimo maximo haberetur, & inter liberos summo primum iure diuideretur, & licet postmodum post mortem Othonis II. Ducis Lotharingiæ, in eoque extinctam lineam masculam Lotharij III. & inuasiones Imperatorias Gallicasque, hæreditatis, familiæque post plures diuisiones, minutiores fuerunt Principes, Jmperijque Germanici maiestatem comiter coluerunt, non id tamen primæuam personis rebusque aufert libertatem, *l. 7. D. de cap.* aut feudalem seruitutem indnit, nisi disertè in stipulationem deducatur: quod mihi factum fuisse non satis constat. etsi in diplomate Wenceslai, de quo mox, aliquid simile legatur, sed illud veterem naturam non debuit mutare, & propterea inuestitura à Carolo V. Jmperatore facta Philippo filio alijs clausulis est munita. *de qua egimus in Iur. Pont. nou. anal. tit. de relig. dom.*

Enimuero feudorum similitudinem quamdam heteroclitam iam tum apud Francos, Germanosque, ac olim Romanos fuisse non abnuo, tum in agris limitaneis assignandis, *vt tetigi supra c.6.* tum vt imbecilliores non priuati tantùm, sed & ciuitates darent se in patrocinium potentiorum, senatorum, aliorumve. quod natum ex eo eredi potest, quod Lotharius Jmp. Ludouicus & Carolus Reges ad Marsnam conuenientes an. 847. quædam coniunctim capita sanxerunt, quædam separatim, quæ tradit Miræus *in Cod. donat. piar. c.15.* illa vocant capitula, hæc adnunciationes: inter Adnunt. Carol. articulus secundus est, *volumus etiam vt vnusquisque liber homo in nostro regno seniorem, qualem voluerit, in nobis, & in nostris fidelibus accipiat.* hinc quidni liceat dicere vsum loquendi inualuisse circa illa sæcula, vt senioris nomine Dominus intelligeretur; vt diximus *in Iudit.* l.1. c.38. & ita loquitur Ingelramus de Carolo Rege in pactione Aquisgranensi *an.* 870. inita cum Ludouico Germaniæ Rege apud Miræum *in Cod. donat. piar. c.19.* cum & addat sequens articulus *nec litere hunc mutare: nisi causa iusta, aut ab alio recipi nisi ex causa olim consueta*, & ar.5. *volumus*, inquit, *vt cuiuscumque nostrorum homo, in cuiuscumque regno sit, cum seniore suo in hostem, vel alijs suis vtilitatibus pergat, nisi talis*

regni

*regni inuasio quam Lantweer dicunt (quod absit) acciderit, vt omnis populus illius regni ad eam repellendam communiter pergat.* quamobrem etiam in legibus Brabantiæ *an.*1312. cautum est, ne quis, absit ab huiusmodi expeditione, sine licentia ipsius Ducis.

Secundus Cassani error est, quod masculam dumtaxat successionem in Brabantia supponat locum habere: cum iam docuerimus contrarium in Begga, in Gerberga, in Joanna, & liberis Margaretæ sororis Joannæ, repetito in Antonio Burgundo,& deinde in Philippo Bono fœmininæ successionis iure.

Tertius error est, quod intendat Cassanus reuersam Brabantiam ad Coronam Franciæ: quippe si feudum masculum foret, finitaque priurum Ducum linea, non ad Franciam rediisset, sed ad Jmperium: quo pridem relata est Lotharingia, & vt vult ipse Cassanus *l.* 2. *c.*3. *p.*68. iam ab ipso Carolo Ludouici transmarini filio, quem propterea dicit à successione Galliæ exclusum, & *p.*69. ait, in illud vsque tempus nomine Regio possessam fuisse, vtique vt priores partitiones summo iure, non feudali. *vt mox diximus hoc* §. quare vt abundans cautela non nocet, & sæpe scrupulis facit satis præsertim in dominatibus, ad quos vindicandos obscura frequenter iura petuntur è longinquo; Wenceslaus Imperator *an.* 1409. diplomate antenuptiali Antonij Brabantiæ Ducis & Elisabethæ Wenceslai neptis, *relato à Miræo in Cod. donat. Belg. c.*118. *declarauimus*, inquit. *& declaramus ipsum Antonium prædictum ritè, benè, & iustè ad dominium ducatus Brabantiæ legitima successione deuenisse & ipso ducatu cum suis pertinentijs licitè & bono titulo gaudere debere, & insuper in quantum opus est aut fuerit, omne ius quod nobis tamquam Romanorum Regi, aut aliàs in ducatu Brabantiæ per modum deuolutionis, seu alio quocumque modo competit, seu competere potest, plenariè transfalimus & transferimus.* ad eundemque modum cùm Philippus Bonus Philippo I. successisset, repetito iure ex linea fœminina Fredericus *anno* 1442. *eidem cessit omni iure quod Imperij nomine in Brabantiam, Zelandiam, Frisiam prætendere posset*: ita Haræus *ad eundem annum in Annal.*

Error etiam quartus illationi Cassani est inclusus, quippe si fœmininæ successioni non esset locus, non est extincta linea mascula antiquorum ex Raginerijs Montensibus Ducum Brabantiæ, qui imperarunt ante Burgundos, sed ex recta etiam stirpe mascula descendunt Lantgrauij Hassiæ. *Miræus in Stemmate Ragineorum & in Stemmat. Belg. c.* 21.

Quin error etiam quintus aduersus hodiernum Brabantiæ ius, & quod vetustissimum est, committitur, nam palam est quod Brabantini Principes nunc ab Jmperio se exemptos habent, *vt* apud Diuæum *rer. Brabant. l.* 1. *c.* 2. Nicolaus Clericus: cuius teutonicos versus ita reddit latinè.

*Alterius Domini non vlla lege tenetur,*

*Præterquam summi, qui nunc largitur, vt olim, omnia*, &c.

& sanè quod ad veterem rationem attinet, certum est Lotharium summo iure possedisse suam portionem, quæ ab illa Lotharingia postmodum dicta est: illam à Ludouico & Caluo diuisam suam quemque partem etiam summo iure possedisse: indiuisam à Burgundia incepisse, extensam vsque ad mare Frisonum in latitudine Schalda & Rheno clausam, quod infra vlterius tangemus, §. *Mechlinia.* Diuisionem refert Miræus in Codice *& in Chron. Belg. ad an.* 870.

Jtaque patet ex his quàm fallatur aut fallat Cassanus, qui in Brabantiam aliquid iuris Francici præsumit vindicare. Et quoniam adiungit cessioni Joannis Niuernensis Limburgum, atque his à pluribus sæculis titulus coniunctus est Brabantico, videtur illum in sequelam in Galliam velle trahere, non minori etiam errore.

## §. *Limburgum*

Siquidem à primordijs Jmperij, cum Aquisgrani palatio Caroli Magni, Limburgi olim metropoli, adhæsit Jmperio, vt Carolus Magnus olim statuerat vt Aquisgrani esset sedes regni trans Alpes caput omnium Ciuitatum & prouinciarum Galliæ, *Sermonem habet Miræus in Cod. donat. piar. c.*11. sed vtique ante diuisiones per liberos Caroli factas, & suos quidem olim Duces Comitesque habuit, de quibus Bochius *in Belgij principatu* post Lotharingiæ & Brabantiæ Ducatum, *& Miræus in Stemmat. Belg. c.*16. vsque ad Henricum III. *anno* 1283. sine liberis defunctum, cuius proximus hæres atque consanguineus erat Adolphus Montensis Comes, qui viribus Rainaldo Geldriæ Comiti impar, qui soceri ditionem quasi dotis nomine, tametsi Ermengardis Henrici filia Rainoldi vxor sine liberis emortua esset, inuadere moliebatur, Joanni I. Duci Brabantiæ, accepta insigni summa, ius omne cessit: hinc orto bello, victor Joannes captiuum habuit Geldrum, qui Joanni ius itidem omne cessit. *vt optimè Haræus in Ann. in Ioanne I. ad annum* 1284. Joannes porrò exinde vsus est hisce titulis, *Joannes Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi, Marchio Jmperij*, Ducatumque in posteris coniunxit, fœmininæ æquè ac masculinæ successionis patientem, vtpotè hactenus ab anno 1288. non diuisum à Brabantia, Duces olim ab Jmperatore eam regionem beneficio sortiti, & non satis maiestatem, colentes non semel titulo, ditioneque exuti, restitutique fuerunt. *qua de re Bochius vbi supra.* Cassano satis sit, extra Franciæ limites indubitatos etiam hanc ditionem consistere, nihil in ea Francici Juris esse.

## §. *Luxemburgum*

Cassanus Aurelianensibus vendicat, quia *emptum*, inquit, *& quidem prompta pecunia* à Ludouico Aurelianensi fratre Caroli VI. sed non addit quo venditore? neque enim cuiusuis venditio sufficit, sed illa veri domini, atque traditio requiritur, subdit & Francisco I. Marcanos Dominos ius omne suum cessisse, nec dicit quale nam illud? & inferius Carolum Vindomiensem antecessorem Ludouici XIII. vxorem habuisse Ma-

 riam

riam Luxemburgensem hæredem huius ducatus: nec addit, quando ei deuolutum, qua linea, quoto gradu ab vltimo hærede distantem? Stemma Ducum videre licet apud Albicium *in Princip. Christ. Stemmat. Miræum in Chron. Belg. ad an.*963. & 1214. & *in Stemmat. Belg. c.*17. Ait Cassanus Ducatus Luxemburgensis possessionem habuisse Ludouicum Aurelianensem, donec à Joanne Burgundo vita & Ducatu spoliatus sit. de causa cædis dicimus *l.*3. *c.*6. *in fin.* de cætero, vtrumque falsum est. nam Ducatus possessio apud Luxemburgios mansit, & per eos in familia Regum Bohemiæ vsque ad Wenceslaum & Sigismundum filios Caroli IV. Jmperatoris, donec stirpe Bohemica sexus masculi desinente, Wenceslaus Elisabethæ nepti ex fratre Joanne Duce Gorlicensi anno 1409. Antonio Burgundo Brabantiæ Duci nubenti Luxemburgum in dotem dedit, simpliciter quidem, si ex eo matrimonio liberi nascerentur: sin minus, in antichresim magnarum summarum, cum certis pactis redimendi ab Antonio: Elisabetha autem superstite soluto matrimonio vsufructuaria manente. contractum donationemque antenuptialem verbotenus refert Miræus *in donat. Belg. c.*118. vbi præfatur Wenceslaus se eandem facere ad petitionem *Caroli Dei gratia Francorum Regis, & aliorum illustrium domus Franciæ Principum auunculorum & patruorum eiusdem Domini Caroli. nec non ob singularem fauorem, quem ad personam illustris Antonij Ducis Brabantiæ consanguinei sui habere dignoscitur.* Porrò soluto hoc matrimonio, nec prole extante, Elisabetha grandæua ius omne vendidit cessitue Philippo Bono, qui Antonio fratrueli seu Philippi I. illius fratre in Brabantiam, aliasque ditiones successerat; cum regimini per sexum, & ætatem non satis par esset populum ad seditionem mouente Duce Brunsuicensi, proximo cognato, vt mox videbimus: quantum hæc absunt ab illa possessione Ludouici Aurelianensis aut Joannis Burgundi; quare nec emptio Cassani verisimilitudinem habet, aut numeratio pecuniæ. & licet hæc vera foret, Philippus tamen Bonus *Carolum Aurelianorum Ducem, Ludouici Aureliani ab Intrepido an.* 1407. *mactari iussi filium, qui à prælio Azincurtiano annis* 25. *in Anglia captiuus fuerat, à carcere liberauit anno* 1440. *persolutis propria è pecunia pro eius redemptione ducentis aureorum liliorum millibus.* vt ad eum annum in Annalibus testatur Haræus: quanta pecunia nec data à patre si vmquam emerit, nec dari à filio potuisse credi potest. Nunc quod attinet ad Marcanos, Mariámue Luxemburgicam, esto è longinquo Elisabetham attigerint, tamen quoad illos liberas ædes haberent Burgundi, de iure tertij non possent Marcani experiri, non actionem armatam instituere: fecit id Brunsuicensis proximior, armis victus est; & pace cessit; tum ille, tum alij Elisabethæ hæredes proximi. Optimè rem explicat Bochius *vbi supra*, *Elisabetha nullam*, inquit, *thori fecunditatem experta Ducatum Luxemburgi Burgundiæ Duci Philippo Bono vendidit. quoniam autem Sigismundus Augustus ex secunda vxore filiam Elisabetham suscepit Alberto II. Imperatori Austriæ Archiduci connubio sociatam, vnde nati sunt Ladislaus Bohemiæ Rex qui sine liberis obiit, relictis sororibus Anna & Elisabetha, quarum hæc Guilielmo Duce Brunsuicensi familia Saxonica, illa Casimiro Poloniæ Regi iuncta est, vtraque ius suum quod in Luxemburgo habebat pretio alienauit: Anna nimirum Philippo Bono partem suam addixit, cui propter acquisitum emptione ab Elisabetha vtique dominium cum eius marito erat belligerandum: ab Elisabetha vero quidquid actionis supererat Carolus Audax redemit.* consentit Miræus *in Stemmat. Belg. cap.* 17. & *Chronico Belgico ad annum* 1114. *Haræus in Ann. ad annum* 1443. & 1453. *aliįque passim.*

Quæ porrò Cassanus de bellis subsecutis & fœderibus subnectit, causæ huic fauent: quippe pace Suessionensi an. 1544. conuenit, vt quidquid hinc inde ab inducijs Nicæanis esset occupatum, restitueretur: pace autem Cameracensi 1559. vt quidquid ab anno 1551. bello captum esset, vt tunc in manu Francorum non erat Luxemburgum, Metropolis, nec ditio, sed limitropha pauca oppidula, scilicet Yuosa, Damvillerium, & Mommedium. quæ porro his fœderibus infirmandis Cassanus hic objicit, vt sæpè aliàs infra latè examinabimus *toto lib.*2.

Vnum hic est speciale quod objicit nullo Hispanos iure Luxemburgum possidere, nisi ex cessione Joannæ de Greuich, quam facit Ducissam Luxemburgensem, errauit in nomine, Elisabetham dicere voluit, filiam vt diximus Ducis Gorlicensis, neptem Wenceslai Jmp. viduam Antonij Burgundi Ducis Brabantiæ: *de qua satis diximus: & Haræus in Annalibus anno*, inquit, 1443. *Burgundus Luxemburgum armis occupat, cedente ei ius suum certa annua pensione Elisabetha Antonij Brabanti vidua, cui Luxemburgum à Wenceslao Imperatore patruo pro dote erat aßignatum, frustra repugnante Brunsuicensi, qui tamen pecuniis postea etiam est placatus.* ex quo patet nec in tempore errari, quod is ait, nec solam Elisabethæ administrationem, sed ius omne redemptum esse, quantumcumque donatione antenuptiali seu aliàs fuerit, nec illius tantùm, sed & proximorum consanguineorum, vt mox ex Bochio probauimus, & adstipulantur passim Belgici Annales.

## §. *Geldriam*

Cassanus prætemauigat, etsi Franci tamen alij sæpius in medium prouocent, eandemque ideo nonnihil attingemus. Principum seriem habet Miræus *in Stemmat. c.* 18. vsque ad Carolum Egmondanum filium Adolphi. at hic facto quidem ipso aliquamdiu ditionem tenuit: Burgundi tamen Austriacique pro sua habebant: quippe Adolphus patrem Arnoldum 1465. carcere inclusum indignè habuerat, patrem Carolus Audax armis restituerat, ab eo Ducatum ad vitam tamen ab Adolpho possidendum emerat, denique testamento hæres ab eo institutus fuerat: Audax Adolphum filium an. 1472. ad Cortracum ceperat, ditionis possessionem obtinuerat, illumque carcere clausum tenuerat donec ad Nancæium

ipse

ipse cæderetur: tum irruentibus in Belgicam Gallis carcere eductus, non tam à Maria Burgundica, minoremne, quàm Ordinibus belli Dux Gallis oppositus cecidit ad Tornacum an. 1477. filius ergo Carolus puer in Aula Burgundica nutritus fuit an. 1486. *vt Haraus in Annalibus* ad Mervillam captus à Francis, ibi quinquennium egit, tum Geldrorum pecunia redemptus, omnium Geldriæ Ordinum sacramenta recepit, eiectis Austriacis. Jta inter bella & iteratas sæpius inducias acti plures anni: Philippus Austriacus iam Castellæ Rex an. 1505. Hagenauæ Maximiliano Cæsari patri clientale sacramentum dixit de Geldria & Zutphania. *vt Haraus ad eundem annum* Carolus viribus impar; sumptibus bellicis tot annorum exhaustus, vt Francica auxilia adsciseeret, renuntiat Romano Jmperio, beneficiarium clientem. Francorum regis se constituit, infinita ipse Jmperio Belgicæque damna infert, Groeninganos etiam partemque Frisiæ in verba Regis Galliæ adigit, Danos aliosque contra Cæsarem excitat: tandem cum Carolo V. Cæsare pacem facit anno 1528. *cuius capita ad eum annum recitat Haraus, inter cætera*, vt deficiente ei legitima virili stirpe Geldria ac Zutphania Cæsari legitimisq; eius vtriusque sexus hæredibus cedat, mortuus est autem nec mascula nec fæminina prole legitima relicta an. 1538. pacis ergo lege præter aui testamentum, venditionemque Geldria ad Carolum V. fuit deuoluta, cuiusmodi pacta omnimodo seruanda ex belli pacisque iure gentium latius infra demonstrabimus *l. 2.* monuisse hic satis sit non ad illum annum tantùm, sed etiam postea Carolo V. Jmperatori illum rebellasse hæreditarias Caroli terras Jmperiumque valdè afflixisse: sed iterum ijsdem ferè legibus pax coaluit anno 1536. alioquin omninò per rebellionem feudo Jmperij excidisse negari iure non potest, & Carolum V. iure inuestiuisse Philippum filium, pro se hæredibusque. Geldrus tamen fidei oblitus hæredem scripsit Guilielmum Marcanum Ducem Cliuiæ, qui in possessionem intrusus præsidijs minutiora loca tenuit, & calamitoso Geldros bello inuoluit, donec armis Cæsareis inferior, certis legibus, *quas Haraus ad annum* 1543. *refert, & Montanus vbi supra*, pace composita Geldriæ Ducatu ac Zutphaniæ Comitatu Cæsari eiusque hæredibus in perpetuum cessit, imposterum ei fidissimus. testamentum Caroli aduersus pacem publicam, fidemque iuratam validum si quis esse contendit, quid dicet de aui testamento quo Audax institutus est liberator testatoris, cum non obstante lege Cincia etiam in infinitum iure vetere donare ei licuit, qui aliquem ab hostibus vel latronibus eripuit. *Paulus l.5. sentent.* quibus nihilo melior est filius qui patrem carcere clausum habet, ditiones inuadit, vt omittamus emptionem Audacis, belli, & pacis iura: cùm nec Cliuius proximus hæres esset alioquin, sed liberi Philippæ Renato II. Lotharingiæ Duci nuptæ, qui ex ea habuit liberos decem. *vt in Stemmat. Belg. Miraus notat c.12. & c.15.* quorum interpositione Ecclipsin patiuntur omnia iura Marcanorum à Francis empta, vt vult Cassanus. sed successores ex Philippa Lotharingiæ Principes numquam huiusmodi ob caussam turbidis in bellum consilijs trahi se sunt passi, detulerunt emptionis dictæ, testamentique titulis; iuri denique pacis, ac belli quo ad Burgundos Austriacosque Geldria Zutphaniaque est delata. Quæ etiam impedimento liquet eis esse qui impræsentiarum remotiores itidem titulos, genealesque concinnant. Porrò meminisse etiam oportet Guilielmum Cliuiæ Ducem in Comitijs Francofurtanis Rationes scripto exhibuisse, quibus Geldriæ Ducatum suum esse contendebat: atque inter cæteras Rainaldo Duce mortuo deuolutum illum ad Comites Bergenses maiores suos, Dominos autem Egmondanos de facto tantùm, non iure in illum irrepsisse. Rationes omnes Carolum V. in Comitijs Ratisbonensibus anno 1541. refutasse, Ducatumque optimo iure sibi asseruisse, Ordinesque Jmperij decreuisse, licere Carolo V. ius suum asserere, & possessionem armis vindicare; quæ subsecuta est victoria & pax, quam paulò ante diximus. *Impressa sunt vtraque Rationes Antuerpiæ apud Martinum Meraunm an.* 1541. *sub hoc titulo, Assertio iuris Imperatoris Caroli. V. in Geldriæ Ducatum, &c. vbi & latè ius Caroli stabilitur, & Guilielmi refellitur, additis exemplis tractatuum, sententiarum, venditionis, ac cessionis Gerardi Ducis factæ Carolo Burgundo. eiusque confirmationis factæ, à Frederico Imp. infeudationis Maxim. & Mariæ Burgund. Confæder. Maxim. Imp. & Guilielmi Ducis Cliuij, Confœd. Wilhelmi Iuliac. & Carolo Burgund. infeudationis Philippi Austriaci. à Maxim. Imper. facta.* Et ad Francos quod attinet, ne vel vmbra iuris superesset, quod Carolus renunciato Jmperio, in Franci tutelam & soueranitatem clientelamque se subiecisset, etsi feudorum vbique leges id vetent, id agentes feudo priuent: tamen legibus pacis Crelpiensis inter Carolum V. & Franciscum I. conuenit inter alia, *vt quidquid Rex in Ducatum Geldriæ ac Comitatum Zutphaniæ iuris prætendere potest, Cæsari eiusque successoribus in perpetuum cedat, vt pacis tabula* 18. *Septemb.* 1544.

## §. *Flandria*

Post Ducatus locum proximum obtinet, multiloquus hic vt in Euripo laborat Cassanus, ac tantum pro hoc conflictu intulit apparatũ, vt pro singulis maiestatis notis singulas in medium ducat catapultas, de notis maiestatis latè diximus *in Iudice lib.* 4. *c.* 1. *& seqq.* quibus omissis ijsque quæ passim in Annalibus Meyerus, Audegerstius, Sueyro, alijque tradunt, & nos tetigimus *in iur. pont. nou. anal. tit. de relig. dom.* De Flandria Jacobus Marchantius libros qnatuor, vbi nihil, quod pro dignitate gentis faciat, omninò queri omissum quis potest. Is ergo de Principum potestate ita l. 2. c. 2. *primaria potestatis atque auctoritatis, hoc erat quod Flandriæ Princeps librè & more regio Jmperij munia obibàt, neque vlla apud Compares regni sese iudicio sistendi necessitate obstringebatur, nisi aut de Comitatus proprietate controuersia incideret, aut ipse ius subditis reddere pernegaret: exercitus conscribendi, delectus habendi, belli pacisque facienda, indictiones imperandi, regalibus*

*libus tributisq; regni Gallici non parendi, omnes pœnas sumendi aut remittendi, legem maiestatis exercendi, edicta & constitutiones sanciendi, immunitates priuilegiaq; largiendi, monetam cudendi, regiamque iniqui ponderis ad forcipes damnandi, & ad suam expendendi: deniq; sese Principem Marchionem aut Comitem Dei Gratiâ inscribendi, quod nulli omnium Franciæ regni Principum præterquam illi Britannoq; fas erat, absolutam habebat potestatem. quæ euidentes quidem tesseræ sunt supremi illius iuris, quod souranitatem, Latini maiestatem, & Græci apertius αὐτοκρατεῖαν vocant: an vero illinc sequatur, vt Comes Flandriæ Princeps Soueranus dici potuerit tunc cum Franciæ Regibus hominio illigabatur (argutè enim Martialis qui Rex est Regem maxime non habeat) in incerto mihi iudicium est: quamuis dissimulari nequeat, à Castrensi, Decio, Curtio, Socino in consiliorum libris Mediolani, Sabaudiæ, Mantuaque Duces pro Soueranis haberi, licet fidelitatis iuramentum Cæsaribus debeant, præstentq;. Et Bohemiæ Neapolisque Reges (quibus maiestatem detrahere piaculum sit) illi Cæsaribus, hi Pontificibus Romanis fidei aliorumque munerum exhibendorum sacramento, attinentur,* ita March. Quarum rerum causam (vt omittamus Diderici, quem volunt à Dagoberto an. 621. constitutum Flandriæ forestarium, quo se tum extendebat Sylua Carbonaria, aliorumque vsque ad Balduinum Ferreum Forestariorum, id est, non lignariorum custodum (quamquam Gaguinus *l.* 1. aliique custodes non Carbonariæ, sed Flandriæ appellant) sed Principem, id enim significat *Forsten*, *Forstbeer*: vt etiamnum vtimur appellando magnos principes, *Forst en heer*, *Heer ende Forst*, germanica lingua, qua tunc adhuc Franci vtebantur, cuius deinde obliti alias nomenclaturas quærebant eiusdem soni potentiam, continuatamque vsu consuetudinem fuisse existimem, quod Ferreus accepta in matrimonium Juditha Caroli Calui filia, receptusque in gratiam soceri, *dotis nomine*, inquit Marchantius, *totam eam regionem quæ Schaldi, Somona Oceanoq; includitur, perpetuo dono Calui à genero contra Danos cæterosque Nortmannos, sæuissimos hostes protegendam accepit: nam in pacificatione Virodunensi filiorum Ludouici Pij, regnique partitione, quæ anno* 844. *fiebat, Gallia monte pyreneo, Mosa, ac Oceano Occidentali tenus Carolo Caluo accesserat: quo terrarum complexu Flandria vicinaque terræ continentur, quum antea ad regnum Austrasiæ siue Orientale, Germaniamque magis respicerent*, ita ille. Magna hæc ditio, Franciæ pars magna (quartam aliqui dicunt) magnos Ferreo successoribusque animos dedit, regium vt in morem vixerint, rexerintque, præsertim cum illis sæculis, *vt diximus c.* 7. *&* 8. regnorum inter liberos partitiones, summo omnibus iure adscripto, vt nec alteris subderentur, ita generis dotes si non cum suprema potestate, proxima tamen, sæpe constituebantur, aut potentia fiduciam vsurpandi tribuebat. vnde tot vbique regna, in sola Angliæ insula septem Saxonum tempore: atque in Hispanijs atque alibi alia sunt constituta; vbique maiestatem atque autocratiam habentia. præsertim cum illis temporibus manu regum magis, comitiorumque iudicijs, quàm subtilibus legum tricis res gerentur. sed postquam comitia procerum, pariumque, inter quos in Francia antiquitate primas obtinebat Comes Flandriæ, quæ Parlamenta vocabantur, & quo sensu eam vocent Angli hodie adhuc vsurpant, ad togatos prorogata ac sedentaria sunt facta, totis Romanarum legum voluminibus in consortium Iuris Francici admissis, quod proceres ense vinci insuetos, literatorum disputationibus superari puderet, desierunt in Francia Parlamenta frequentare, ceperunt soli literati rerum iudicandarum potiri, legumque argutijs procerum regias notas expungere, augere maiestatem Regum, à quibus solis, secus quam nunc etiam in Jmperio, & Camera Spirensi fiat, constituebantur: nulli, quod aliquando promissum erat, & omissum queri solet Philippus Bonus Burgundiæ Dux, ab ipsis proceribus, quorum loca supplebant: plerique suum solem vt Heliotropia respicere, non cætera minorum gentium astra, si casus credebant esse pro amico; ne quid amplius dicatur; album pro Rege lapillum in promptu habere, non facilè contra fiscum respondere: hinc ad summum fastigium venit Regum Maiestas, procerum, qui olim Regibus pæne pares erant, præsertim apud Francos veteres, more Germanorum, depressa auctoritas: per cuniculos, iudicijs, vt ingenuè fatetur Loiseau *de Seigneuries*, *locis quæ inferius l.* 3. *c.* 14. *notamus paulò latius*, non raro etiam apertis deinceps bellis, & Flandri quidem, & iudiciarias technas & ex his bellicas tempestates non semel sunt experti: Comitum potentiam Reges infringere; vt suspectam æmulamque, veterum Principum Regias notas defricare, Parlamenta perpetuo satagerunt: sæpius vtrimque conuenerunt legati, vt difficultates componerent, sæpius transactum, numquam tamen defuit materia, in qua veteres Flandrorum usus à legibus communibus dissiderent, vnde occasio quæreretur ab eo qui discedere vult ab amico. quare Jmp. Carolus V. cui inter cætera impressa numismatibus solemne etiam illud fuit, *suum cuique*, diligenter examinari iussit vetera Flandriæ iura, munimenta, archiua. Philippus Wilantius Parlamenti Mechliniensis Senator diligenter excussit, eius Notis eadem afferuntur, quæ Marchantius supra contraxit. de prouocationibus alia ex alijs dissidia perpetuò commentati sunt Franci, vt mox paulò latius dicemus, vt Cassani operosæ dissertationi paucis respondeamus. Is ergo post vetera Romanorum primorumque Francorum, Caroli etiam Magni in Flandria gesta, parum ex vero repetita, & à Caluo Flandriæ factam concessionem, argumento ab auctoritate negatiuo, oppugnatam aduersus classicos historicos, asserentes in gratiam matrimonij Judithæ plenam Flandriæ proprietatem fuisse tributam: fatetur saltem in feudum sub fidelitate, & supremitate datam, ad quam asserendam post Judithæ genealogiam totis se viribus componit.

Vbi imprimis ex ea genesi illud patet, Flandriam ex primordio donationis fœmininam esse non Salicam, datam Judithæ, post eamque ad fœminas sæpius delatam, Margaretam Alsatiam, Joannam

Joannam Conſtantinopolitanam, Margaretam Conſtantinopolitanam, Margaretam Ludouici Maleani filiam (per cuius matrimonium Comitatus Flandriæ, inquit Caſſanus, venit in manum Ducum Burgundiæ) Mariam Burgundam: & per eius cum Maximiliano nuptias in poteſtatem Auſtriacorum. quæ olim numquam diſputata fuerunt, nec cæſo quidem ad Nancæum Carolo aliud hæredi obiectum, quam lex feudi, commiſſaria ob bellum cum Domino ſuſceptum. qua de re mox plura, nunc ſeditioſis quibuſdam ingenijs nihil tam ſtabile eſt, quin id vellere audeant, & ſi conuellere nec ſperent. ſatis diximus *ſupra c.3.* regnorum dominatuumque delationibus maiorum exempla, moremque gentis firmas ſucceſſionum eſſe columnas. & Caſſanus quidem *l.1. c.8. p.383.* negat regnum Aragoniæ cenſeri poſſe maſculinum, quod à Petronilla fæmina ceperit: quid ergo oportuit eum dicere de Comitatu cæpto à Juditha?

Nunc ad ſupremitatis argumenta accedamus; non erat operæ Caſſani pretium hanc laborioſè diſceptare: niſi enim maieſtatis aliquid ſupremitatiſque in Flandriam, qua parte proprietaria, aut Imperialis non eſt, Reges Franciæ habuiſſent: cur pacis Madrilianæ legibus præſcripta fuiſſet illius eiuratio?

De *homagio & inueſtitura* vetere vſque ad Madrilianam pacem non diſputamus, formam Marchantius *l.2. c. de ritibus dominatus ineundi,* annales, & hiſtorici tradunt. Porrò primum Caſſani exemplum quod Arnulphus Comes Flandriæ recuſauerit Hugoni Capeto homagium, quod cæteri Franciæ proceres lubenter præſtiterant, cum ex nutu reuocabiles ditionum conceſſiones Hugo feciſſet hæreditarias, duo habet conſideranda: primum, Flandriam non fuiſſe ex nutu regio reuocabilem ex eo patet, quod vel Caſſanus ipſe, paulo ante dixerat à Caluo datam Ferreo ſub fidelitate & ſupremitate, etſi alij aſſerant pleniorem proprietatis donationem. atque ideo minus ab Hugone beneficij Arnulpho præſtari poterat, quàm cæteris proceribus, vt Caſſanus ait, obligandis: ſed quam in cauſam obligandis? Id ſcilicet eſt punctum alterum hic notandum, cùm eſſet, inquit Caſſanus, Hugo Rex declaratus in Ordinibus Nouiomenſibus, quando ſcilicet Hugo Carolum Regis Lotharij III. fratrem, &, mortuo filiolo Ludouico, hæredem regno excluſit, ipſe inuaſit: Arnulpho autem pro vero hærede ſtante armis potentioribus ſubiecit, non rebellem, vt vocat Caſſanus, ſed fidum Domino: niſi ſit in poteſtate Ordinum Franciæ mutare cum lubet Reges, & noua meditantium genijs blandiatur Caſſanus. Poſt Hugonem manſit diu cicatrix, & Flandrorum animus in ſanguinem Capeticum parum propenſus, & Francorum aduerſus eos odium ſæpe recrudeſcens, frequentia ex eo deinceps bella legas in Francicis Flandricíſque annalibus.

*Leges Conſtitutioneſque* Caſſanus prædicat alteram maieſtatis notam, rectè. ſed negant Flandri Regijs vnquã conſtitutionibus ſe paruiſſe. *Habet*, inquit Wilantius, *Comes poteſtatem à rerum principio faciendi ordinationes & conſtitutiones reipublica vtiles, eiſdemque dandi vim atque vigorem legis ſcripta, id quod ex eo liquet quod omnes vrbes & Caſtellania Flandria ab omni auo fuerint gubernata per decreta, ſtatuta, & Ordinationes Comitum, non Regis aut cuiuſcumque alterius:* & iterum, *habuit*, inquit, *ab omni auo Comes praeminentiam & exemptionem, quod Rex numquam vſus in Flandria fuerit plena ſoueranitate, vt in alijs regni Pariatibus, quia Ordinationes ipſius non habent ibi locum, vt nec habent littera gratia, quales ſint, iudices Regij iuriſdictionem non exercent per praeuentionem, nec aliter, moneta Regia non habent ibi curſum, niſi ad Ordinationem & reductionem moneta Flandria, generales impoſitiones per regnum indicta, vt nummi decimi, vigeſimi, quinquageſimi, centeſimi non ſe extendunt in Flandriam. vt nec regalia. clerus etiam Flandria ſemper ſecum habitauit, nullatenus ſubditus Eccleſia Gallicana, non pragmatica Sanctio, non Pariſienſes nominationes ibi vnquam admiſſa.* ita Wilantius: quæ ſanè ſufficiant omnibus à Caſſano allegatis; neque enim poſt rem pace Madriliana, ac tot fœderibus ſecutis iudicatam, iterum atque iterum opus eſt cauſam dicere.

Poſt leges pergit Caſſanus ad *iudicia*, de Comitatus ſucceſſione aliquando lata: non negarunt Flandri cùm de proprietate Comitatus quæritur Regum fuiſſe iudicium, ſcilicet in Curia Parium: quale iudicium magis arbitrium eſt, quàm publica auctoritas, quam priuati dare non poſſunt: cùm tamen priuatorum conuentione feuda conſtituantur, & Vaſallorum pariumve pacta, & Curiæ ſtatuta, & landa. Id quod non parum confirmat iudicium S. Ludouici, quo inter Margaretæ filios ex Aueſnio, qui nothi arguebantur, & alios ex matrimonio non controuerſo natos Flandriam, Hannoniamque diuiſit. nam ſi vt iudex pronuntiaſſet, debebat prioribus adiudicare vel abiudicare ipſos dominatus. cæteris ſub ipſis partes, alimentorum vice. quod & iuuat, vt mox dicemus, quod Hannonia extra terminos regni erat, ideoque non iudicium, ſed arbitrium fuerit ea ſententia ex bono & æquo quaſi amicè lata. quare & in iudicijs criminalibus maieſtatis ipſe Caſſanus *p. 132. d. c. 5. l. 2.* hæc prologomena refert, *Nos pares Francia ad requeſtam* (nom) *& mandatum Regis venimus in ſuam curiam Pariſios, tenuimus curiam*, &c. & paulo ante dicit Curiam Parium eſſe nunc Parlamentum Pariſienſe, ſed quo procerum ſenſu, iam diximus *ſupra*.

Ad *bellum & pacem* pergit Caſſanus, horum ille arbitrium Regi defert: at Flandrici annales Comiti ſemper competiiſſe aſſerunt, bella geſta referunt infinita, nullum regis decretum. exemplum vnum Caſſanus inuocat Caroli VII. qui anno 1452. à Gandenſibus Comiti rebellibus requiſitus, Philippo Bono per legatos mandarat, vt arma poneret, & ad iudicium ſuum cauſam reijceret; ſed reſpondit Philippus, ſi Gandenſes delictorum pæniteret, iniquos mores emendarent, veniam ſupplicibus pacemque ſe daturum, lætaturumque ſi ita Rex cognoſceret quanti intercesſionem illius æſtimaſſet: cæterum ſi in malitia perſiſterent, non relicturum ſe arma niſi cum vindicta, quam breui ſperaret: vt nec arma

Bonus

Bonus deseruit, donec cæsis ad Gauriam Gandensibus, & ad misericordiam Principis sui prouolutis, gratiam pacemque dedit. ita *Sueiro in Annalibus Fland. ad annum* 1452. 1453.

*Gratiam facere* alteram maiestatis notam facit Cassanus, nec hoc in controuersia est ius vitæ & necis indicium esse maiestatis: at in Flandria iam diximus nullas literas gratiæ regiæ recipi solitas, & omnes à Comitibus impetrari illiusque Cancellaria. *Omnes*, inquit Wilantius, *prouisiones iustitia & gratia, quamcumque Soueranus Dominus potest & consueuit facere, vel ipse Rex in suo regno*, nec Cassanus citat exempla alia, quàm duorum Comitum Flandriæ, Theodorici & Guidonis: non negauimus posterioribus sæculis ipsos Comites homines ligios fuisse, eoque nomine Francos impotenter sæpius abusos, speciatim aduersus Guidonem annales & imprimis Sueiro satis explicant. causa omnis ex eo sumpta, quod is Philippotam filiam inscio rege Franciæ desponderat filio regis Angliæ. suspectum habebat Francus matrimonium, arguebat fœdera, sed falsò, aduersus vtilitatem regni inita: diuersis technis id actum vt in potestatem Franci veneret filia Guidonis, &, libertate matrimonij per vim maiorem violata, ipsius Regis Franciæ filia Jsabella nupserit Philippotæ sponso, ex quo matrimonio natus est Eduardus ille, qui, cum Regis Philippi Pulchri, an aui materni proles masculæ omnes essent emortuæ, regnum Franciæ sibi petijt vt viro capaci, quamuis intermedia mater fuisset incapax, hoc est illud bellorum Anglo-Francicorum, quæ ducentos annos durarunt, seminarium: vt per quæ quis peccat, per hæc eadem puniatur. sed & Guido ob detentam filiam negationemque iustitiæ (munimenta adhuc Rupelmondæ adseruantur) Franco bellum indixit, in quo æquitas quidem pro illo pugnauit, sed fortuna eum deseruit, & crudelissimo tandem in carcere extinxit. sed dum eo adhuc teneretur, Franci memorabili illo ad Cortracum prælio cæsi sunt, sed postmodum Flandri altero inuicem prælio victi, conditiones pacis iniquas receperunt: an. 1305. decepti, quasi Comes illorum adhuc viueret, cui filijsque spondebatur dimissio, in quorum redimendorum gratiam ditio duras quamuis leges admittebat.

Pergit Cassanus ad quintam maiestatis notam, *prouocationum cognitionem vltimam*, resortium vocant: hæc est sacra illa regiæ maiestatis anchora, de qua mox egimus: quam arenæ suæ infigi Flandri, subiectæ fraudis conscij, ex asse numquam potuerunt induci vt paterentur, originem adscribere oportet genio loci, qui passus non est nisi ius domesticum, ac domi dictum, ita quod antiquitus nulla erat omnino apud Flandros appellatio, omnes magistratus sine prouocatione pronunciabant, grauis mulcta appellantibus lege præscripta erat: in vicem priuilegij à minoribus quibusdam vrbibus obtentum fuit, vt à maioribus consilium possent petere, versæ paulatim eæ relationes in appellationes: capitales tamen vrbes eas admittere noluerunt: ne quidem Gandauum dum Comiti rebellaret, & à Philippo Pulchro multis præmijs & priuilegijs inuitaretur. nec vero natura maiestatis prouocationem exigit, sed ne quis supra illam cognoscat, aut eius iudicia infirmet. sed neque feudi natura. vt nec hodie in criminalibus vlla ibi appellatio viciniisque in prouincijs agnoscitur. quibus vero priuilegijs Flandri emolliti Comitis Ludouici Maleani *Audientiam*, Philippi intrepidi *Cameram* Insulensem, Philippi Boni *Concilium* Gandense, Caroli Audacis *parlamentum* Mechliniense adierint, non est huius nunc loci: saltem Confidentia adfuit, Suada efficax apud animos suspicaces ad Cassanum & Francos quod attinet, cùm Franci vrgerent, Flandri obsisterent, multis vndique incommodis fuit afflicta resp. nam Philippus Pulcher armis subdita Flandria ad Parlamentum Parisiense cogere Flandros voluerat anno 1304. reducta à Philippo tertio genito Guidonis filio (nam alij cum patre & 50. proceribus ex fide fratris Regij, Parisios profecti, in carcerem acti adhuc detinebantur) tota Flandria in potestatem suam, Ordines voluerunt per illum vt *Ruardum* seu dictatorem renouari priuilegia, & resortum omne abrogari. non deerant tamen imposterum qui turbas cierent, appellantes ad Parlamentum, & magistratus vrbium eas sæpius exilio mulctarent: Philippus Bonus an. 1445. Carolo VII. proposuit antiquis vsibus & priuilegijs nullam apud Flandros esse prouocationem, non deesse tamen sæpius quorum Parisijs appellationes recipiantur, eaque re inquietos reddi incolas, quapropter obtinuit 4. Iulij 1445. Regis litteras patentes, quibus in proximum nouennium omnes appellationes suspendebantur, sine præiudicio resorti & soueranitatis, vel vsuum priuilegiorumque. exinde habitæ sunt diuersæ dietæ, Cabilonæ, Parisijs, Mombrisonij & Vindomij, denique insignem legationem Carolus ad Philippum misit, vt agnosceret resortum Parlamenti: ille, se revereri quidem Regem & Parlamentum Parium, sed apud eos qui eorum locum nunc sustinerent, vix esse qui audeant vsus, priuilegia, & libertates Flandriæ proponere, se, vt Regi ita & subditis sacramento illigatum pro vsuum libertatisque defensione. Denique anno 1465. Carolus Audax iam à Philippo rebus administrandis impositus in dieta Parisiensi obtinuit vicennium, ne à quatuor magistratibus capitalibus vllæ reciperentur appellationes, nullæ à minoribus omisso medio, emissæ Insulis, Duaco, Orchiaco immediatè in Flandriæ Concilium deducerentur, capitales magistratus à Parlamento & iudicibus Regijs essent exempti. Jd quod deinde pace Confluentina & Peronensi confirmatum fuit, & ad vitam Caroli Audacis seruatum, post eius mortem Maria Burgunda anno 1477. per legatos obtulit fœderibus proximis non obstantibus resorto locum dare, si Rex pacem Atrebatensem vellet seruatam, sed is nullo tum pacis iure, sed armis rem suam facere volebat: itaque progressum est bellum vsque ad annum 1482. quo contracta pace conuentum est, vt agnosceretur resortum consuetum, rata interim acta essent, omnium deinceps appellationes ad Concilium Flandriæ immediatè deferrentur, sententiæ reparabiles sub cautione executioni mandarentur; hinc orta demum

demum controuerſia, quodnam eſſet *reſortum conſuetum?* & regijs ſemper fimbrias dilatare volentibus, declarauit Princeps *non aliud eſſe quàm appellationum venientium è Camera Flandriæ inter partes ſub Corona exiſtentes & ſuper materiis non ſpectantibus ad iura ſui Comitatus, eo autem ſpectare cauſas omnes criminales criminaliter intentatas, domaniales, precariarum, ſubuentionumque, indultorum in cauſis politicis, aggerum, literum, aliiſque id genus, priuilegiorum Eccleſiis, vrbibus, territoriis, mercatoribus exteris, aliiſque conceſſorum, illorumque interpretationem, caſus officiariorum actiuè & paſſiuè commiſſos, dum officio fungerentur, correctionem ſuorum rebellium, gratias ſubditis conceſſas, remiſſiones, indulgentias, abolitiones, relegatorum reuocationes prouiſionem illorum & obſeruantiam, ſaluas guardias, legitimationes, manumiſſiones, nobilitationes, officiorum, beneficiorum donationes, amortizationes, debitorum dilatorias, reſtitutiones & prouiſiones gratiæ, per Cancellariam expediri ſolitas, denique generaliter omnes caſus de quibus Comites cum antè annos ſeptingentos ſupremo iure conſueuerant cognoſcere in Camera ſua legali, vbi feudales; & renengarum, vbi Dominicorum iurium & prouentuum cauſa citra vllam appellationem decidebantur: ita per tot ſæcula anteceſſores intellexiſſe, eaque poſſeſſione fruitos fuiſſe*, ita Wilantius. Poſt hæc ad annum 1505. (iam redimus ad Caſſanum, & exemplum Philippi Auſtriaci ab eo allegatum, nam anteriora ex iam dictis habent ſolutionem, præſertim ex clauſula reſorti conſueti) venerunt Siluamducis, quò Philippus Auſtriacus ex bello Geldtico venerat, legati Francici, quarumdam ſententiarum Patiſienſium executionem, quarumdam hic latarum reuocationem, aliaque id genus, ſatis immodeſto ſermone, poſtulantes; quos blandò quidem Philippus dimiſit, & eodem anno menſe Octobri legatos ſuos ad Regem miſit: vbi nec ratio nec eorum eloquentia quidquam valuit, & apertè dictum, niſi præſcripta ad vnguem admitteret, bellum illi imminere; præſcriptæ autem ſcedulæ initialia verba erant *Le Roy veult, vult Rex:* quaſi vbi de iure partium controuertitur, ſatis ſit pro ratione voluntas. Philippus autem qui tum ad Hiſpanias vocatus anhelabat, ne bellum ei alioquin ob aliquos leguliorum apices neceſſarium eſſet impedimento, iuſſit procuratori ſuo generali ſuper vi & metu poteſtationem ſecretam facere, eaque regiſtrata, vt iniquitatem tempeſtatis cum opus eſſet liquidam faceret, mandauit legatis ſuis, vt regiam ſcedulam ſubſignarent. Philippo non diu poſt in Hiſpania defuncto, Carolus filius poſtea Imperator inter initia dominatus non poterat non ſæpè intelligere, quæ inter vltimas curas patri cum Francis fuiſſet contentio: & cum poſtea Deus Franciſcum I. ad Ticinom armis eius ſubmiſiſſet meminiſſe, eſſe prius illud, ex quo tot armatæ iam controuerſiæ natæ eſſent, depurgandum. Sed quia res cò deuenerat, vt curari non amplius poſſet vulnus, quod quos nec ſeptem ſæculorum vſus pro ſufficienti collyrio fuiſſet, ſed iam ſecandum vrendúmve eſſet: Pace Madriliana conuentum eſt, vt omni ſupremitate in Flandriam Arteſiamque Rex Franciæ cederet, eoque ſolo remedio quies ſperata, habitaque fuit.

Sextam exinde maieſtatis teſſeram Caſſanus proponit *protectionem vaſallorum:* Reges porrò Franciæ ſæpius Flandriæ Comites aduerſus aliorum iniurias defendiſſe: remittemus hoc ad hiſtoricos, an ſæpius Franciæ Reges Comites iuuerint, an eorum vaſallos rebelles, vt Comitum potentiam minuerent; an frequentiora etiam auxilia Regibus Comites tulerint laborantibus. ſed Caſſanus *debet*, inquit, *Dominus vaſallo protectionem quæ eſt nota poteſtatis ſoneranæ*, atque infert monſtrari ex miſſis auxilijs Flandros fuiſſe vaſallos; & iam initio præmiſerat notas ſuas veriores eſſe atque certiores an porrò hoc axioma Germani, Itali, Bataui, & nominatim Elector Treuirenſis, aliique quibus Franci auxilia miſerunt, quibus protectionem obtulerunt, promiſerunt, admittent? cæci ſint ſi his beneficijs vaſalli & ſubditi, vt loquitur, fiant: ſi ita libertati ab eis ſuppetiæ ferantur, vt in Francicam debeant recidere ſeruitutem: anxiè oculatus ille timebat *Danaos & dona ferentes.*

Interſerit deinde Caſſanus, extra numeros, *poteſtatem pecuniam imperandi:* ſed ab ea tam ante docuimus ſemper liberam fuiſſe Flandriam. de tempeſtate autem illa quæ Carolo ad Nanceom cæſo ditiones has inuoluit, paulò inferius plura. de pactis Attebatenſibus anno 1477. mox ſecutis vbi famoſiſſimæ *illius temporis perſonæ operam*, inquit, *præſtiterunt, Cardinalis Burbonius, & Cancellarius Oriolus ex parte vna, Himbercurtius & Hugonetus Burgundiæ Cancellarius ex altera*, non etiam opus multis hîc diſſerere, ſuſpecti tamen Himbercurtius & Hugonetus, tamquam à Francis corrupti, tormentis primùm, ac deinde gladio à Populo Gandenſi ſubiecti ſunt: iure an iniuriâ non dico, id tamen ex eo patet populum rata pacta habere noluiſſe minorennis Principis à Rege deceptæ. ſed neque Maria iam Maximiliano nupta Ludouicum pactis ſtare voluiſſe, oblatoque homagio ditiones ſub illius defectus prætextu inuaſas reſtituere, paulò antè tetigimus, & omnes annales probant: interim Atrebatibus ita occupatis iure adminiſtratoris Rex poterat vti Comes pecuniam petere: ſed neque eum Ordinum ſenſum fuiſſe ex ijs, quæ Caſſanus ait, conuicitur; pati Atrebates noluiſſe eam iodictionem, ſed (væ victis) armis coacti ſunt, pars in exilium acti, pars vrbis in coloniam Francis data iuſſaque vrbs appellari villa Franca (an à Francis, an talibus Franciſijs?) ex relegationibus interim hic, atque exilijs Caſſanus Francica iura educit.

Deſcendit exinde ad Symbolum maieſtatis vltimum, *damnationes Comitum, confiſcationes Comitatus: quæ ſunt*, inquit, *dubia nota ſoneranitatis.* at verò, ſi aduerſus dominum ſuum coniurauerit vaſallus, reus habetur, & à Paribus Curiæ feudo priuatur ex pactis feudalibus, quæ inire poſſunt priuati, & quæ publicam auctori-

tatem non tribuunt, multò minus fouranitatem: quemadmodum *in l. 7. D. de captiuis* fœderati, & fi aliorum maieftatem comiter obferuare tenentur, liberi tamen funt; addit tamen lex 7. *in fin. at fiunt apud nos rei ex ciuitatibus fœderatis, & in eos damnatos animaduertimus.* fcilicet non quo iudiciu fubditus forum fui iudicis fequitur, fed quo in populos pacem & fœdera violantes etiam armis animaduertebant Romani. *vt dicimus infra l. 3. c. 2.* fic *l. 1. Mach. c.* 8. Romani fcribunt Demetrio de Judæis apud eos queftis, *fi iterum adierint nos aduerfum te faciemus illis iudicium, & pugnabimus tecum mari terraq;.* fed vocabula læfæ maieftatis, & fifci interferit hic Caffanus, quæ nihil ad feudi leges pertinent. non tamen negamus Comites in regno Regi obligatos effe, & Parlamenta regijs iftis vocabulis lubentius, quàm feudalibus vti. &, quod attinet ad veteres Comites Flandriæ homines ligios, & maieftatis reuerentes fuiffe, fed Ferrandum, Guidonem (nam Robertus, quem citat, huc non pertinet) iure damnatos, Carolum Audacem reum fuiffe, negant annales noftri. *paucis tangimus infra §. Artefia, & fuprà hoc §. Flandria. inter cæteros videri poteft Sueyro ad annos vtriufque.* nec opus eft poft reftitutionem regiam de illis difputare: de Carolo Audace ait Caffanus *p.* 143. 144. per eius feloniam Comitatum cecidiffe in commiffum: *ex c. 1. qua fit caufa beneficij amittendi c. vnic. quib. mod. feud. amit. per Lothar.* de bellorum caufis, quæ multæ fuerunt, iterum videri poffunt Sueyro, aliorumque annales, & Faius MS. *latiffimè tractat, de iure vniuerf. dition. Mariæ Burgund.* id tamen hic dicendum eft Ludouicum XI. hominem Tiberio fimillimum cæfo Carolo mox nouennales inducias violaffe, quamuis eas vix anno ante Caroli mortem lapfo, pactas *cum illo illiufque harede, ac ditionibus fuper fancta Euangelia* (verba funt Marchantij *lib. 3. In Maria Valefia*) *fuper ftipitem veræ crucis Chrifti per fidem Deo debitam, per S. legem Chrifti in baptifmo acceptam (ita recitant annales) iuramento fanxiffet, ad annum* 1475. *menfe Septembri, neque enim Ducatum Burgundia tantummodo, fed quacumque patri auoque per Atrebatenfem & Confluentinam pacificationes acceſſerant, Mariæ pofterifque fubitò eripuit. Ad has inuafiones vfus imprimis litteris fraudulentis ad Ordines regionum quas vfurpauit prætexentibus fpeciem cognatæ & vrbæ quam filij nuptiis deftinabat, protegendæ eiufque ditionum.* ita Marchantius. eadem fraude vfus eft in Burgundia, vbi cùm Joannes Loartus præfes refpondiffet, Ducatum Salicum non effe, Comitatum iuris Francici numquam extitiffe, verfa fcena eft; Tramulius ait Germanos infidiari oppidis, vt iuftam hæredem priuent; ad Regem fpectare cognatæ Principis ditiones tutari, & proditione Diuionem, cæteras deinde vrbes vi & metu occupauit. *Heuterus in Maria Burgund. Bodin. l. 6. de rep. c.* 2. & etiamnum extant fcedæ vrbibus porrectæ quod vt tutor, feruatorque bonorum pupillæ, quàm in facro fonte fufceperat, cuiufque fupremum Mamburnium ad regem pertineret, cuftodiam illarum fibi Ludouicus peteret: & in proximo conuentu Ordinum Arthefiæ etiam afferi iuffit, ipfam Mariam legitimam hæredem effe: Dominico tantum & tutorio iure fe ei ditionem feruare: & iterum 3. *Maij* 1577. Præfecto & Populo Atrebatenfi: tantum abeft vt iure confifcationis eas fe vendicare Atrebatibus refponderit, quod ait Caffanus. & *huiufmodi modus eft*, inquit, *fummè legitimus, quo Reges noftri funt vfi ad ampliandum fuum domanium.* citatque confifcationum exempla quæ nunc ad nos non pertinent. Et vero inducias fuiffe diximus: nam pax fæpius tentata coalefcere noluerat, quod Carolus diceret ob infracta fæpius fœdera iurata, & illata iniuftè arma Ludouicum fouranitate, iureque omni feudali, quod in Flandriam, Arthefiamque habuiffet, excidiffe: nec Rex renunciato fupremo eo imperio, nec Dux eo agnito pacem inire voluerat *vt attigimus in Ind. l. 3. c. 9. num.* 51. reciprocum fiquidem eft vinculum Domini & vafalli, vt agnofcit Caffanus *p.* 132. ficut vafallus ob feloniam ita Dominus impotenter vafallum exagitans fuo vterque iure priuatur. vnde vfus feudales vafallo malè habito permittunt Dominum Paribus non aufcultantem deprædari *l. 2. feud. tit.* 22. periculofo quamuis remedio: nam etfi victor fuerit, à Caffano tamen feloniæ arguetur: fi victus; vt rebellis damnabitur, & tamen non eft derogatum rationi, atque regulæ iuris, quod qui iure fibi conceffo vtitur nemini iniuriam facere, aut pœnas incurrere cenfeatur. Quod fi Caffanus etiam in controuerfijs Regiis dicat obtinere *c. 1. c. fæpe c. in litteris. X. de reftit. fpoliat. c. de X. de ord. cog. l. fi. vi. D. de ind. l. fi. maritus. C. de donat. inter vir.* vt fpoliatus ante omnia fit reftituendus, fpolium crimen effe, mereri punitionem, fpolianti denegandam audientiam, veros etiam Dominos rem fructufque amittere, fi vim fecerint, etfi fpoliatus fit prædo; *l. fi quis in tantum C. vnde vi.* & quæ plura allegat contra Aragonios *in l. 1. c. 5. p.* 241. 242. in quæftione Sicula, *& l. 1. c. 5. p.* 186. vt tota Europa vafallo licitum fit armis aduerfus Dominum fe defendere, fine incurfu criminis, aut pœnæ feloniæ: &, fi Dominus qui protegere vafallum debet, ei iniuftè fuum auferre conetur, vafallum immunem debito exolui, cùm nexus fit reciprocus, in eadem quæftione Sicula: non eadem obtinebunt in pupilla, eiufque ditionibus à ficto falfoque tutore ita inuafis? fpolioque Ducatus Burgundiæ, nominatim etiamnum redintegrando? Igitur illatum tunc bellum Maximilianus propulfauit eo fucceffu; vt armis præter Burgundiam cætera ferè loca recuperauerit: & inter legatos pacis poftmodum fubfecutæ facilè conuenerit, ne mentio fieret amiffi à Comite vtilis, à Rege directi, fupremiue dominij, omiffis etiam quæ ex pace Confluentiæ an. 1465. atque Peronæ an. 1468. debebantur de vrbibus ad & infra Somonam: quæ tamen vtraque deinceps confirmata fuerat in medio procerum, confanguineorum, confentiente procuratore Regis, lecta, & regiftrata in Parlamento, in magno Concilio Regis, in Camera thefauri, in Camera computuum, *ita Faius*: poteftne maior ad fidem aut verecundiam adhiberi ceremonia? non tamen fuffecit Ludouico, an hæc fuffeciffet Caffano? pepigere tamen

pacem

pacem Maximilianus & Ludouicus deinde qua vtrimque commissi querela extincta est, & postmodum vt diximus Carolus V. & Franciscus I. qua supremitas omnis in Flandriam, Arthesiamque Francis est sublata. prout & de fœdere Confluentino & Peronensi conuenerat, vt ea excideret, Ludouicus XI. si pacta infringeret, vt fecisse mox docuimus, & Carolus prætendebat ex iure feudali *l.* 2. *t.* 26. *si de feud. defunct.* §. inquit, *Domino committente feloniam (vt ita dicam) per quam vasallus amitteret feudum si eam committeret, quid obtinere debeat de consuetudine quæritur, & respondetur proprietatem feudi ad vasallum pertinere.* & *eod. l. c.* 47. *qualiter Dominus feudi proprietate priuetur.* vt si Cassanus audiendus sit, non fuerit in potestate Maximiliani aut Mariæ ex fœderibus tam solemniter contractis astipulante feudorum lege acquisitum illud ius supremum pactis remittere, quæ nihilominus violenta fuerint, alijsque contrarijs, & nominatim Hagenouæ, cum de nuptijs Claudiæ & Caroli conuenerit, rescissa. Quam ob causam nec opus est hic pluribus de vetere soueranitate disserere: id siquidem magis ad historiarum cognitionem pertinet, quàm ius præsentis status reip. agnoscendum: nam quæ exinde dissertat Cassanus aduersus pacem Madrilianam, aliaque subsecuta fœdera, atque de rebus Coronæ non alienandis l. 2. examinabimus; quæ de lege Salica *supra l.* 1. *c.* 6. satis sunt excussa, & *hoc* §. demonstratum quinquies Flandriam Principem habuisse fæminam? vt lex Salica masculum hic exigere non possit, sed ex vsu institutoque maiorum ea res sit definienda. *iuxta ea quæ diximus supra c.* 3. vti etiam quod pergit Cassanus Carolum Jmperatorem capto Rege Francisco I. asserere feloniam commisisse, feudis, excidisse, delutum est *l.* 3. *c.* 11. vt omittamus, quod mox diximus, licitum esse vasallo malè habito Dominum deprædari. Bellum inter Carolum & Franciscum ortum nihil etiam habuit commune cum iure vasalli Franciæ: initium siquidem habuit à Marcanis, inuadentibus vasallum Caroli, vt Ducis Brabantiæ, extra Franciam sitæ, & quæ sua in potestate est, vt supra vidimus: vasallum Carolus debuit protegere: vt ipse Cassanus contendit: *d. p.* 132. præsertim cum nec ius quidem dici aduersus illum, vt alioquin oportuisset à Carolo postulatum esset, ingessit se Franciscus I. bello alieno: quod ius, quæ leges, qui vsus feudorum, ideo iura partium immutant? nulla per id ratio permittit alterius conditionem fieri iniquiorem. præter alias belli causas, de quibus *infrà l.* 2. *c.* 11. *ad fin.*

## §. *Artesiam*

Partem olim Flandriæ fuisse ex ijs quæ diximus ex Marchanthio, Bochio *de Principat. Belg.* §. *Arthesia annalibusque omnibus* liquet. quoad iura maiestatis bello paceque Madriliana alijsque quæsita, eadem Arthesiæ quæ Flandriæ causa est. Comitatus originem Chronicon Anonymi Aquicintensis ita refert: *an.* 1192. *in* VII. *hebdomada ante Pascha Philippus Augustus Francorum Rex Peronam, cum suis Episcopis & Baronibus venit, ibi Balduinus Comes Flandriæ cum suis adfuit, & hominium Regi faciens, partem Flandriæ Orientalem possedit, Rex verò Occidentalem, S. Audomarum, Ariam, Atrebatum, Bapalmas, Comitatum Hesdiniensem & Leusensem hominagium Boloniæ, & S. Pauli & Gisnense, & Lilense, reliqua Balduino cesserunt. Hæc omnia suprascripta dedit Philippus Comes Regi quando ei neptem suam Elisabetham filiam Margaretæ sororis suæ Hainoensis Comitissæ legali matrimonio coniunxit.* Stemma exinde Comitum refert Miræus *in Stemmat. Belg. cap.* 20. *Bochius vbi supra. & planius in histor. Nar. profert Princip. in Atrebat.* vbi ordine, in theatris triumphalibus Alberto & Jsabellæ structis, ita referuntur Robert. I. Robert. II. illust. Mathildis, Joanna, Joanna II. Philippus, Margareta, Ludouicus, Margareta, Joannes, Philippus, Carolus, Philippus Carolus, Philippus, Albertus. ex quo liquet Comitatum hunc consanguineis proximis exinde delatum etiam Parisiensis Curiæ decretis; in serie Comitum numquam fuisse illum Carolum Arthesianum Comitem de Eu, parem Franciæ, quem Cassanus adfingit ob quem ad Anglos transfuga Comitatus in commissum cecidisset: & vt is error verus tamen foret, continua successoribus data inuestitura omnem reatum expunxisset.

Vnitum regno olim fuisse, & apennagium factum exinde dicit Cassanus, contra testantur annales & ipsum D. Ludouici diploma: quod refert Miræus *in Cod. donat. piar. c.* 104. vbi notanda hæc verba, *terram Atrebatesij quam genitor noster ex parte matris suæ habebat*, estne hæc formula appennagiorum? constatne cum vnione? iterum, *quæ eadem domina mater nostra tenebat nomine dotalitij ex parte Isabellæ Reginæ auiæ nostræ:* iterum, *per præsentem chartam concedimus totam terram prædictam, saluis feudis & eleëmosynis, quæ tenebunt & reddentur, sicut tempore genitoris nostri sibi & hæredibus suis iure hæreditario possidendam:* suntne hæc vocabula Salica, vnitiua, appennagialia? sed & in Curia eadem Paris. orta controuersia inter Robertum Philippi filium & Mathildem amitam sententia pro Mathilde lata contra Robertum iure appennagij, si quod fuisset, propinquiorem. ita Bochius alijque. & porrò, si qua fuisset ante vnio, neutris actio competijsset.

Quinimò *paulo ante eod. cap. p.* 137. Cassanus hanc ipsam sententiam refert, aitque Mathildi Comitatum Arthesiæ adiudicatum: Roberti bona cetera fisco. sic vt etsi ipse ius prætenderet in Arthesiam, etiam falsis tabulis ad illud probandum vsus, tamen numquam in numerum receptus est, & arresto Curiæ declaratum iniuriâ illum petere Comitatum. vtvt sit non videbitur Cassano arrestum Curiæ Parisiensis à tribus sæculis latum iam vim rei iudicatæ, atque sat virium obtinere ad eos excludendos qui ex Roberti damnati iure sistere sese volunt?

Vnum superest, quod non possum omittere, quin Cassanum moneam, fuisse qui olim eius aliquando amplexi sint axioma, vt pars insignis dominatus alienari non possit inuitis Ordinibus,

Fr. Zypæi oper. tom. 2. D 2 eoque

eoque nixum ipsum Philippum Alsatium Ordinibus monentibus reuocasse donationem nepti Philippo Ludouici II. filio nubenti factam, & Atrebatum ditionis Flandricæ tunc Metropolim, cæterasque illius partes redhiberi voluisse, & Balduinum Comitem bello repetijsse, ac deinde Ferrandum: qui, si Cassanus iure ait alienari talia non posse inconsultis Ordinibus, bello iusto ea vtique repetierint, & tamen eos, *vt supra meminimus in §. Flandria*, ritè damnatos vt rebelles; qui potest hæc simul affirmare? Montanus *ad Kerij mappas in Arthesia; qua alienatio*, inquit, *mera Principis voluntate, & renitentibus frustrà Flandria Ordinibus facta, multis postea inter Gallos Flandrosque bellis occasionem præbuit. Ex illo enim tempore Reges Gallia vario iuris prætextu Comitibus Flandria semper aliquid studuerunt eripere. Ac primò quidem Philippus Rex cognomento Augustus (scribente Paulo Emilio) ex Atrebato Fano S. Audomari, Lentio, reliquoque Occidentalis illius regionis sibi obtemperantis tractu peculiarem Arthesia Comitatum instituit anno* CIↃ. CXCVIII. *cumque filio suo Ludouico dedit, qui primus Arthesia Comes fuit, postea Gallia Rex, & pater Ludouici Sancti, quem deinde, vel nihil vel leuiter immutatum. Sanctus ille Rex Ludouicus concessit fratri suo Roberto, qui prouinciam quidem mirum in modum auxit: sed eam multò longius protulit filius patri cognominis & in Comitatu successor. mansit autem hoc pacto auulsus à Flandria Comitatus Arthesia donec anno* CIↃ. CCCLXXXII. *Ludouicus Malanus Comes Flandria post matris Margareta Philippi Longi quondam Gallorum Regis filia obitum factus est Comes Arthesia, atque ita rursum vterque Comitatus post annos* CLXXXIV. *coniunctus fuit*. De iure souerano & serie Comitum hæc sufficiant; si addiderimus vt Flandriam, ita & ab ea separatam Arthesiam, fæmininam successionem passam in Mathilde, in eiusque filia Ioanna, Philippi Longi vidua, Ioanna II. Othonis Burgundiæ Ducis vxore, Margareta Ludouici Cressiaci vidua, Margareta Malani filia, Maria Audacis filia, adeoque inutilem hic etiam esse Salicæ legis cogitationem.

## §. *Insulæ, Duacum, Orchiacum*

Flandriæ antiqua membra esse satis liquet, ex limitibus Judithæ factam à Carolo Caluo donationem circumscribentibus. Duacum aliquando etiam iuris Hannonici fuisse refert Bochius *in princip. Belgij §. Vltraiectum, &c. Marchantius l. 1. §. Duacum.* Flandriæ inserit. cæterum postquam Guido Comes Flandriæ, fide fratris Regis frustratus, cum duobus filijs, & quinquaginta equitibus à Philippo Pulchro carcere detineretur, & alternis fortunæ vicibus sæpiùs pugnatum esset, decepti Flandri quasi Comes adhuc viueret iniquissimas subierunt conditiones, graues summas, & vsuras promiserunt: demum Robertus Comes filius Guidonis, graui ære vt se liberaret, cessit Regi Insulas, Duacum, & Orchiacum: non sine promissis de ijs recuperandis, restituta saltem pecunia. belli causa fuerat vt suprà diximus libertas matrimonij Philippotæ filiæ, filio Regis Angliæ desponsæ, non hostis, vt Cassanus ait, sed amici tunc Regis: vtut sit Guidone cum prolibus capto immensa summa & vsuræ promissæ sunt, Robertus sine Ordinum assensu oppidis istis atque territorijs cessit, vasallus tam potenti Regi, post Flandriam armis subiugatam, Comitem, filios, nobilitatem captiuitate fractam: an pares hi sunt termini cum Francisco I. & Carolo V. an in pusillo Comite maior vis, & metus quàm Francisco I? & toties ob captiuitatem Francisci regiè habiti, non carcere clausi, vt in quo mortuus est Guido & filia, macerati duo filij, & nobilitas: & ob Ordinum assensus defectum negat Cassanus quæ de Burgundia conuenta sunt, aut Flandria esse seruanda. sed omittamus hanc controuersiam, transeamus ad ea quæ hic allegat Cassanus, Insulas, Duacum & Orchiacum de domanio ait esse Franciæ, ideò quod Philippus Audax Carolo V. Regi Franciæ promiserit *ann.* 1398. contractu Peronæ inito post mortem soceri Ludouici Maleani Flandriæ Comitis restituere. refert Marchantius *d. c.* 1. Margaretam Maleani vnicam hæredem annis septem à Philippo fuisse ambitam, cum & Maleanus & Ordines ditionis magis in Anglos propenderent: imò Faius MS. *§. Lille, Douay*, &c. iam antè desponsam fuisse Edmundo Comiti Cantewicensi Regis filio; Ludouici mater in Francos propensa, Anglos auersata, post consilia & preces Ludouico minabatur, nisi in nuptias Philippi consentiret, se mamillam manu exertam, qua eum lactauerat, in probrum ipsius absscissuram, & canibus obiecturam; & sic ille victus est: Ordines autem, promissione restitutionis dictorum oppidorum, seu Gallo-Flandriæ. Igitur Carolus ille V. Philippi pater, vt eas nuptias conciliaret in bonum regni, ne Anglorum potentia affinitate huiusmodi augeretur, de procerum consanguineorum, Parlamentique consilio *an.* 1369. Gallo-flandriam Malano restituit, & cum Comitatu reuinxit: nam & Malanus de Flandria ex integro homagium præstitit comprehensis nunc oppidis illis & territorijs. eoque nomine & titulo iterum Flandriæ Comites possederunt ab *anno* 1369. Ludouicus, Margareta, Joannes, Philippus, Carolus, Maria, Philippus, Carolus, Philippus, Albertus, Philippus nunc IV. Hispaniarum Rex, iam à tribus penè sæculis.

Quod Philippus secretis literis promiserit post Malani mortem hæc restituere, satisne videtur Cassano ex fide publica; vt promisso huiusmodi Sponsa alteri addicta, Pater, Ordinesque deciperentur? & vtilis auerteretur affinitas, in quam merito magis propendebant? *tum ob commercia*, inquit Marchan. *lanificiumque, cum quod bonis, priuilegijs, libertati, ab imperiosa Gallorum potentia anxiè timerent.* Sanè Senatus Parisiensis non semel secreta huiusmodi pacta, seu contra-literas aduersus publicam conuentionem antenuptialium fidem viribus vacua declarauit, rationique, legibus, & edictis aduersa. *vt amplè Annæus Robertus rerum iudicatarum l. 4. c. 1.* vtut sit externi hominis promissum Flandriam ipsam afficere nullatenus potuit.

Et

Et nihilominus Flandri anxiè vt diximus timidi *an.* 1368. antequàm Philippo addicerentur, à Margareta Maleana iuramentum receperunt, quod ſi admiſſis filius nuptijs reſtituerentur Inſulæ, Duacum, & Orchiacum, atque illa in Comitatum ſuccederet, numquam pateretur eadem membra deinceps à Flandriæ corpore auelli. id quod promiſit etiam poſteà Philippus. iurati vtriuſque etiamnum extant tabulæ. an nec hæ ſecretis fraudibus apud æquos iudices præferendæ? Caſſanus profectò *d. l.* 2. *c.* 5. *p.* 158. priuare ait Principes huiuſmodi iuramentum facultate diſtractionis, atque alienationis, & *p.* 159. negat poſſe illud violari aliquo tractatu ſubſecuto, imo exonerare ab omnibus iuramentis quæ in contrarium alioquin poſſent obligare. atque hæc Caſſano ſufficiant; plura qui deſiderat, Annales, Bochium, Faium, alioſque legat.

## §. *Hannonia*

Nobiliſſima prouincia, quin Caroli Magni Imperio comprehenſa fuerit nolim dubitare, quando in poteſtatem Francorum pulſis Romanis venerit, an Alberico pupillo ſub Dagoberto, an Guiberto Pictauienſi ſub Martello competierit, an à Carolo Magno in Comitatum erecta ſit, noſtra iam non intereſt: cui ex liberis Caroli in regni diuiſione ceſſerit, magis ad Caſſani diſſertationem ſpectat, vulgò exiſtimatur ad Imperium ſpectaſſe: diuiſio tamen regni Lotharij inter Carolum Caluum Franciæ & Ludouicum Germaniæ Reges facta *an.* 870. portioni Caroli aſcribit Hanoium, ſi lectionem ſequimur Miræi *in Cad. donat. piar. c.* 30. nam Hareus *in Annal. in prolog. c.* 4. Hamonem legit, at verò idem Haræus *c.* 1. *prolegom.* diuiſas à Carolo & Ludouico terras Lotharingiæ competijſſe Lothario II. eoque ſine prole mortuo fratri Ludouico Imperatori, pro eoque reſcripſiſſe Pontificem, patruos tamen vtrimque inuaſiſſe & diuiſiſſe: inde orta, & in poſteros tranſiuiſſe bella: quo ego argumento exiſtimem Hannoniæ Principes nunc his nunc illis adhæſiſſe prout fortunæ vices tulerint, rebuſque pluribus ſæculis turbatis, tandem in ſua ſolum poteſtate ſe eſſe contendiſſe. vnde ſit quod vulgò iactatur ditionem hanc à Deo dumtaxat & Sole haberi, *Bochius vbi ſuprà, Miræus in Chronicis & Stemmatibus cap.* 21. *ex Bochio ferè Montanus ad tabulas Kerij in Hannonia.* Adhæſit *Ragineru*, inquit Miræus, *primùm Suendiboldo Lotharingia Regi, poſt ab eo malè habitus ad Carolum Simplicem Francorum Regem tranſijt, vt Regino narrat, an.* 898. (& Caſſanus aduerſus Normannos pro Carolo ait militaſſe) *& an.* 914. *partium Caroli fidiſſimus tutor finem accepit, Carolus Giſelberto eius filio paternum honorem contulit, vt ex Abbate Vſpergenſi, Pithœus ibid. Ragmerus autem II. à Brunone Lotharingia Duce an.* 959. *per fraudem captus & Hannonia pulſus fuit, bonis ad fiſcum publicatis: filij eius Raginerus & Lambertus ad Lotharium Francorum Regem confugerunt. vt ad illum annum Sigisbertus in Chronica, & ibid. an.* 977. *animati Francorum auxilio & affinitate (Raginerus quidem Hathuidem filiam Hugonis, poſtea* Regis, *Lambertus verò in Gerbergam filiam Caroli Ducis duxere vxores) in terram patrum ſuorum reuocati ſunt.* Malè ergo Caſſanus ait Othonem inueſtiuiſſe liberos Ragineri, vtpotè qui pulſi fuerint à Brunone Lotharingiæ Duce Othonis fratre: non perperam autem, quod Hugonem Capetum conatum fuiſſe ait ditionem hanc ad ius ſuum reuocare, ſed turbato rerum ſtatu impeditum, obſurè tamen Caſſanus innuit Hugonem ditionem iſtam ſuam facere voluiſſe, cum auxiliares tantum copias affinibus miſerit, vt ex Sigisberto vidimus: ad ius tamen regni ſui ſupremum, ſoueranitatemúe reuocare conatum non abnuo: non potuiſſe; Caſſanum habemus fatentem. potuiſſe ergo ahò reſpicere iſtos Principes cum Rex non ſufficeret, quis gentium feudorúmve iure negatum dicat? cum reciproca ſit Domini & clientis obligatio. iterùm, *narrante vbi ſupra Bochio, Richildis heres Principatus, cùm à Roberto Friſio eiecta eſſet, opemque in Francis exiguam inueniret, ad Epiſcopum Leodienſem. Theaduinum conuerſa, Hannoniam eius ditioni ſubiecit, Epiſcopo profeſſa ſeſe fiduciariam, à quo impetrata magna vi pecunia, nouum bellum inſtaurauit.* intermedio ſecutoque tempore variè laboratum eſt Francis, vt dictum eſt non ſufficientibus: *conniuente*, inquit Montanus, *Henrica Caſare, qui fratres bellicoſos ab eorum virtutem & potentiam (Guarnero vtique Rainoldo qui ditionem tenebant ad Peranam iuxta Binchium cum exercitu deletis) ferendos potiùs quàm armis, denuò laceſſere putauit,* Itaque hinc à Francis pro derelictis habiti, adeoque ab eorum ſupremo, iure omninò ſeparati: *vt rectè Grotius de iure belli lib.* 2. *c.* 4. inde Germanis diſſimulantibus, poſt longas nubes virtute ipſi ſua reſtituti, iure etiam belli aduerſus Brunonem, adeoque Imperatorem geſti, in ſuam ipſi venenerunt poteſtatem: Solem Deumque dumtaxat impoſterum agnoſcentes; quod Nicolaus Bontius libro quem in laudem huius prouinciæ ſcripſit interpretatur hoc diſticho;

*Solus ab hac tellure Deus nutu aſtra gubernans,*
*Lucidus & Titan ius ſibi iure petunt.*

Nam & fiduciario promiſſo Leodienſi, quod ad Caſſanum nihil pertinet, niſi vti opprobrium teſtimoniumque derelictionis, aliter poſtmodum ſunt expediti. Hæc ergo Caſſano in ſolutum data ſufficient, cuius vltima linea, vt retulimus, ſpectat ad Hugonem Capetum, auxilij fideli ſuo ferendi impotentem. quam temporis poſſeſſionem ſex nunc ſæculorum (quippe Hugo mortuus eſt circa annum 1000.) ſi Hannonienſibus Principibus Caſſanus turbare velit, eodem argumento Hugonis Capeti ſucceſſores throno, pulſis Carolinis inuaſo, deiici non animaduertit.

Ditio hæc fæmininæ ſucceſſionis ſemper capax, à Ragineroruin familia tranſijt in familiam Flandricam, Batauicam, Bauaram, Burgundam, Auſtriacam. ſeriem recenſet Miræus *in Stemmat. cap.* 21. *& in Chronico ad annum* 915. *& Not. Eccleſ. Belg. c.* 49. *&* 105. ſemper indubio vbique iure: niſi quod Philippus Bonus, quamuis hæres proximus immaturè ſibi cedere dominatum coëgerit Jacobam Bauaram, quantò poligamam, ſemper infecun-

*Fr. Zypæi oper. tom.* 2. D 3

infecundam. nam Joannes Episcopus Leodiensis Jacobæ patruus, renunciato quidem Episcopatu, armis etiam tutelam neptis Jacobæ ambiuit, & sub illius vmbra, etiam vt videtur dominatum. nam cum id minus succederet, duxit vxorem Elisabetham, Anthonij Brabantini viduam, Luceburgensi Ducatu dotatam, & à Sigismundo Jmperatore Hollandiam, Zelandiam, & Hannoniam beneficiario iure possidendas accepit, quasi ad Jmperium mortuo Guilielmo sine mascula prole deuolutas: sed ab earum regionum *Ordinibus responsum tulit*, inquit, Diuæus, *rer. Brab l. 18. regiones has neque feudum Imperij esse, nec ad mares solos deuolui. cum certissimo experimento constet Waltrudem Carolomanni Austrasiæ Principis neptem. Richildim quoque Comitatum Hannoniæ, Adam ac Margaretam Comitatum Hollandiæ, maritis dotales attulisse*. composita exinde pace, qua oppidorum aliquot præfecturæ nomine administrationem accepit, ad annum 1424. obijt, nec liberos reliquisse vel inde constat, quod eadem Elisabetha ius omne quod in dotalem suum Ducatum Lucemburgensem habebat, posteà Philippo Bono vendiderit, *vt Diuæus, Haræus, & alij latius*, vt lapsus hic sit Bochius; qui Jacobam armis patrui fatigatam ditiones in Philippum Bonum transscripsisse refert: quippe mox à recentibus Jacobæ cum Glocestrio nuptijs interijt.

## §. *Hollandiæ, Zelandiæque*

*Insulæ*, inquit Cassanus, *comprehensa sunt antiquis Galliæ limitibus: Carolus Caluus vt secura haberet maris litora an. 863. primus erexit Hollandiam in Comitatum, inuestiuit Theodoricum Frisonem, ex eo descendentes fruiti sunt vsque ad Jacobam Comitem Hannoniæ, quæ dominatu cessit, vt vitam seruaret*. ita Cassanus, non tamen cum eo conuenit Hugo Grotius: *in eo libro quem de antiquitate republicæ Batauicæ scripsit & nominatim c. 4. & 5.* vbi à lapsu Jmperij Romani vsque ad primam Comitum institutionem per quingentos fermè annos magnum historiæ deliquium esse ait, Dirdericum tamen Comitem, etsi alio iure, vt primum recipit: gentem sui iuris, non Francici, non imperialis fuisse contendit. in diuisione tamen quam diximus Caroli Calui & Ludouici, ponitur Batua (quam Miræus *vbi supra* reddit *Betuwe*, quam hodie dicimus teutonicè, siue Bataviam) in portione Ludouici; adeoque intra terminos Jmperij. sed dicet Grotius, vt alia in re, *ibidem* affectasse reges nomen gloriamve dilatati eo vsque Jmperij, quod re ipsa non habuerint. at vero ipse Guilielmus Comes Hollandiæ in Regem Roman. electus, in militiæ iuramento, quod regiæ inaugurationi præmisit, & refert ex veteribus Molanus *in præfat. Milit. sac. Duc. Brab.* his verbis vtitur: *Ego Wilhelmus. Hollandiensis militiæ Princeps, sacri Im. erij vasallus*, &c. sed, vt id tamen Grotio concedamus, Cassano satis responsum erit, vt semper aliàs oportet ad huiusmodi antiquitatis memorias Caroli Magni regnum in plures liberos, & sæpius, ac summo iure esse distributum, Francicos Reges non omnium esse hæredes, sed singulorum suos. *vt latius diximus supra c. 7.* atque hanc quam citauimus inter Carolum Caluum, & Ludouicum diuisionem Franco abdicasse, Germano assignasse Hollandiæ Zelandiæque insulas; iam inde ab *anno* 870. ab eo tempore vsque in hanc ætatem nihil ex Batauia ad diuisos Francos pertinet: nihil inpræsentiarum habet quod Francis hic vindicet Cassanus. nam & de Westfrisia mox dicemus §. *Frisia*. alieno ergo negotio se immiscet, dum Jacobam quasi pro lytro vitæ eas ditiones dedisse Philippo Burgundo memorat. turpiter Jacoba pendente diuortij cum Joanne Duce Brabantiæ limite, etiam contra fidem pacemque cum Joanne iuratam, custodiæ Philippi se subduxerat, alterique nupserat: vt armis vindicare iniuriam Philippo, iam etiam Joannis demortui hæredi, licuerit: an templeramentum vindictæ excesserit, quid opus est nunc disputare, si Philippus, ex eoque posteri cognati proximi atque legitimi sunt hæredes? si Cassanus nec in bonis Batauiæ vacantibus siue adespotis Francos successores facere dumtaxat possit? proximum autem hæredem Jacobæ fuisse Philippum Bonum ex serie Comitum, quam in Stemmatibus habet Miræus *p. 22. & Chronico ad annum 985. & 1300. Plantinus etiam cum iconibus dedit an. 1586. aliisq; passim* constat. nam Ioannem Bauarum Jacobæ patruum exepiscopum Leodiensem quod attinet, iam ante obijsse improlem *proximo capite* satis est dictum.

## §. *Namurcum*

Non impugnat Cassanus ad Pipinum Crassum, Martellum spectasse regionem post Trithemium & Wassenburgium credit *vbi supra* Bochius: & ad posteros demigrasse: sed omissis incertis Caroli Lotharingiæ Ducis prosapiæ defert. Stemma Comitum habet Miræus *vbi supra cap. 23. & in Chronico ad annum 991. & ad annum* 1421. quando Philippus II. Namurcensis ex familia Flandrensi postremus, Namurcum vendidit Philippo Bono ea lege, vt quoad viueret nomen possessionemque retineret. eoque sine liberis vita functo *anno* 1428. Bonus emptor successit. addit Bochius *vbi supra* Joannem, vt Meyerus, Theodoricum, vt alij, vendidisse Philippo Bono Namurcum: etsi Joannem Miræus Philippum II. nominet. coniecturam addit Bochius. *vterque*, inquit *fortassis vendidit pro sua quisque portione: nam in plurali numero hæredes Mariæ ditionem hanc pretio commutasse apud quosdam reperio*. fortè & plures illi fuerunt, neutri ijdem cum Philippo II. qui tamen hæreditatem Mariæ prætenderint. Jmperium Comites Namurcenses ita agnouerunt, vt in controuersia super illius successione aliquando mota, Balduinus Cæsareum decretum impetrarit, *quo omnibus*, inquit Bochius, *vbi supra. Gallicæ nationis nobilibus Namurcei Comitatus successione interdictum est*. Blanca S. Ludouici mater emit Comitatum Namurcensem à Balduino Augusto, *qua eundem*, inquit Bochius, *mox donauit Margaretæ*. Augustæ vxori Balduini, Joannis Solimorum Regis filiæ. sed orto iterum bello fœdere connubiali Guidus Dampierus Margaretæ Bizan-

tinæ filius inauguratus eſt, ex eo Joannes filius, ac deinde Robertus, & Guilielmus, & Maria ditionem obtinuit. *ita vbi ſupra Bochius.*

## §. *Zutphaniæ*

Comitatus, atque ampla ditio, præſertim antiquitus admodum extenſa, vt Montanus *ad mappas geographicas Kerij in Zutphania.* locat is hic, & in Geldria veteres Sicambros, ob quos, quod Gallias infeſtarent, aliquamdiu Ianus claudi non potuit, quæ res Auguſtum mouit, vt priuata expeditione Sicambricum bellum ſomeret, quo breui confecto, quadraginta millia Sicambrorum in citeriorem Rheni ripam tranſtulit: eiſque ſedes ibidem conſtituit contiguas Trans-Iſalanæ ditioni: ex qua, vicinisque ſedibus Salicam gentem exciuimus *ſupra c.6.* & Louwius quidem *in Notis ad Molani militiam ſac. Duc. Brab.* latiores ſedes quidem Sicambris, vicinas tamen, concedit, & eomdem cum Francis populum facit & nimiæ vetuſtatis hiſtoriam concinnat. ſed hos Caſſanus hic quietos ſinit, neque nos ergo mouebimus. præſertim cum ab annis nunc amplius quingentis Comitatus hic innexus ſit ducatui Geldriæ, cum Otho Naſſauius, quem primum Geldriæ Comitem faciunt ex Adelheide Wichardi III. filia Gerardum, ex Sophia Wichmanni Comitis Zutphaniæ filia Gerlacum genuit, quo ſine liberis defuncto ad prioris thori liberos Othonis, adeoque Geldriæ Comites, Zutphania tranſiit, & vtramque ditionem Henricus Gerardi filius poſſedit, nec deinceps auulſa eſt. *ita Miræus in Stemmat. c.18. Bochius vbi ſupra, & Montanus in Zutphania.*

## §. *Marchionatus ſacri Imperij*

Jpſum nomen aduerſus Caſſanum pugnat: vt marca Jmperij, non regni Francici dicatur. Marchionatus huius territorium pagum Rienſem plerique faciunt. nec dubium eſt ſub Marchionatu fuiſſe comprehenſum totum illum tractum, qui vrbes & agros vicinos in Campinia noſtra complectitur; ſed præfecturam latius patuiſſe non poſſum dubitare: cum Lazius Marchiam vocet limitis Anglicani, Joannes Marius marchionatum ſacri Jmperij ad Schaldim; & ſumpſiſſe velint initium inde fere à media vrbe Valencena, ac petueniſſe porrò ſecundum flumen vſque ad ipſam Antuerpiam, atque hinc vſque ad mare. veſtigia in ipſis Valencenis indicat Montanus *in mappis geographicis Kerij in Marchionatu S. Imperij*, Paulus Æmilius ſcribit hunc Marchionatum continuiſſe Niuellam, Louanium, Bruxellam, & nominatim Antuerpiam. nomen præfecturæ ſanè Marchæ ad Schaldim indicat extenſam illam quouſque Schaldis excurrit; ſupra Antuerpiam atque vltra Valencenas vbi Schaldis oritur: atque infra Antuerpiam, vbi ſe in mare exonerat. nec *enim vnius vrbis fuiſſe ſed, populum latè dominantem non infelici coniectura colligas*, inquit Scribanus. *in Origin. Antuerp. cap. 4. cum S. Andoënus Flandrenſes, Andouerpienſes, Friſones, Suevos pari loco collocet in enumeratione laborum B. Eligij, ac tamquam partem curæ ac ſudoris illius, Flandrenſibus, Friſonibus, Suevis componendam. an. 649.* iterum *ibid. an. 516. ciuitatis*, inquit, *huius* (rectius forte Marchiæ huius) *præfectura à Theodeberto Vtiloni tradita, caſo Clochilaico Dano. meminit victoriæ huius Turonenſis hiſt. l. 3. Theodoricus Theodebertum filium ſuum in illas partes cum valido exercitu ac magno armorum apparatu direxit, qui interfecto Danorum Rege Clochilaico hoſtes nauali prælio ſuperatos opprimit, omnemq́, rapinam terræ reſtituit.* & Sigebertus; *Theodoricus Clochilaicum Regem Danorum Gallias vaſtantem perimit.* Hic habemus Theodoricum, Theodebertum, & Vtilonem, quos Caſſanus Francorum maiores citat, ſucceſſores ſatis in obſcuro ſunt vſque ad annum 725. quo regnante Theodorico Rege anno ſexto 20. Octob. Rohingus Antoerp. Princeps fuit, & S. Willibrordo donat Eccleſiam caſtri Antuerpienſis, & tertiam partem telonij, vt extat apud Miræum *cap. 6.* diploma, & alterum *cap. 7.* vbi villas aliquas in pago Rhenenſium paterno, & materno iure ſibi competentes donat. item teſtamentum S. Willibrordi *cap. 8.* quod & refert Scribanius *vbi ſupra c. 5.* vbi Epternaco legat villas & mancipia, quæ ei ingenui Franci donauerant, & Eccleſiam quæ constructa eſt in Antuerpo Caſtello ſuper fluuio Schalde in pago Rhenenſium: vbi & Pipini meminit, & Caroli Maioris domus, aliorumque Francorum, villarumque ſeu pagorum pluriom, qui etiam nunc contioentur in Marchionatu Antuerpienſi. *Rohingi Principatum quinam exceperint*, inquit Miræus, *in Stemmat. c. 24. non conſtat, primis antiquitatum noſtrarum monumentis per Normannorum deuaſtationes penitus deperditis.* quod tamen ad Caſſanum attinet, Lazius, Becanus, Lipſius, Scribanius, *Vtilonem*, inquit, *vbi ſupra c. 6. Theodori Magni Boiorum Ducis fratrem honorariâ Marchionatus Antuerp. præfectura Theodorico Ludouici Magni Gallorum Regis filio donatum volunt, adnitente cum primis Theodeberto Theodorici filio, qui Clochilaicum Danorum Regem poſt ingentes abactas prædas, depopulatáq́, hoſtiliter vicina Marchionatui loca, terreſtri ac nauali clade ad internecionem deleuit, conſilio manuq́, potiſſimum Vtilonis, cui etiam ſororem in vxorem Theodebertus dedit, è quo matrimonio Caroli Magni, magnum genus. Magnum proinde Marchionatus nomen, à quo tantorum progenies regum mille, & quod excurrit, annis nuſquam interrupta ſerie continuata, in Hiſpania Reges Auſtriacamque ſe diffundens domum. Waſſeburgius*, inquit Bochius, *de Princip. Belg. in Marchionatu, à Tungrorum Principum Stemmate Imperij Marchionatum orditur eumque ad Carolum Haſbanium deriuat, & per Carolomannum, Pipinum, Grimoardum, Anſigiſum Begga maritum, Pipinum Heriſtallium, Carolum, Martellum, Breuiorem, ad Carolum Magnum Imperatorem, inde ad Falconem Ricuini Moſellani Ducis filium producit.* Hic habet Caſſanus & Haſbanium, quem in Waſſeburgio forte legerat, & in Æmilio ſub marchionatu Niuellam, Louaniom, Bruxellam, quæ nuncoppida Brabantiæ, atque poſterorum Principum ſedes. At vero non illi Brabantiæ Duces fuerunt ita, vt fecit Caſſanus: & quod argumentum ex illis de-

 ſumpſit,

ſumpſit, vt Brabantiam Gallici iuris faceret ex illorum præfectura, dirigendum erat aduerſus hunc marchionatum, ſed argumentum ipſum ad veteres illos Francos tantum pertinet, non poſtquam poſteri Caroli Magni Jmperium Francorumque regnum diuiſerunt, & ſubdiuiſerunt in plures portiones. priſcorum munimentorum conſenſu Marchionatum Jmperij ab Jmperatoribus dependiſſe, eorum beneficio poſſeſſum, & proximè deinceps à Lotharingiæ familiæ Principibus fuiſſe conſtat. in argumentum, diplomatis præfationem hanc citat Montanus: *Godefridus Dei miſeratione Dux & Marchio Lotharingiæ Comes Louanij* 1138. & in cænobij Parcenſis donatione, *ego Godefridus Dux, qui & Marchio*, Lipſius ex MS. Chronico hos citat verſus;

*Henricus genuit Henricum Louanienſem:*
*Quilibet iſtorum Romani marchio regni.*

& addidit, ſpectare hæc ad Henricum II. & Henricum III. Comites qui præceſſerunt Godefridum Magnum Henrici IV. Jmperatoris generum, Brabantiæ Ducem, quem & Barbatum dicimus quod iuraſſet barbam non radere, donec atauorum Lotharingiæ Ducum ſucceſſionem obtinuiſſet. & paulò altius Miræus *d. c.24. an.* inquit 1088. *Gothilo cognomento Magnus Comitatum ſeu Marcam Antuerpienſem poſſedit, vt ex diplomate S. Henrici Imp. c. 44. eiuſdem Codicis producto conſtat. Idem poſtea ducatum Lotharingiæ inferioris an. ſcilicet* 1023. *defuncto fratre Godefrido improle, obtinuit. Frederico demum Moſellanorum Duce an.* 1034. *ſine filijs mortuo Moſellanam, ſeu ſuperiorem quoque Lotharingiam à Conrado Imperatore impetrauit. Liberos reliquit Godefridum Barbatum ſeniorem ſeu Magnum Gozilonem*, &c. Stemma ſubinde narrat Marchionum, non ex dubiæ fidei auctoribus, ſed monumentis ipſis ac fidis ſcriptoribus vſque ad *annum* 1137. quo Conradus Jmperator Godefrido Barbato iuniori Lotharingiam inferiorem & Marcam Antuerpienſem rurſus attribuit ac confirmauit. *Is*, inquit, *vtrumque Principatum ad Godefridos, Henricos, & alios ſuos in Brabantiæ ſucceſſores tranſmiſit.* quos *ſupra c.* 13. *in ſerie Ducum Brabantiæ enumerauerat.* Jd quidem verum eſt abſtractam aliquando vrbem hanc magnam à Marchionatu, cum Ludouicus Flandriæ Comes à Wenceſlao Brabantiæ Duce *an.* 1357. Antuerpiam impetraſſet *nulla tamen*, inquit Scribanius, *quantumuis ingens pecunia digna viſa fuit, vt Marchionatu cederet. quare cum vrbem feudalitio iure Comes poſſideret caruit Marchionatus titulo, & licet tenuerint Flandriæ Comites vrbem in annum* 1403. *cum ad Brabantiæ Duces rediit, Marchionatu tamen excluſi fuerunt*, de vrbis Marchionatúſue dignitate non eſt opus hic quidquam dicere, fecit ſatis vtroque libro Scribanius quem inſcripſit *Antuerpiam*, & alterum *Origines Antuerpienſium.* Ad Caſſanum ergo reuertamur, qui nomine Brabantiæ, vt vidimus, hunc Marchionatum oppugnat: & cum Godefridos, Henricos alioſque deinde Brabantiæ Duces eoſdem, & Marchiones teneamus, admittemus quod Caſſanus ait. poſteros Caroli Magni hic præfuiſſe vſque ad *ann.* 1250. quo ille dicit Henricum qui IV. vtique fuerit populi ſuffragijs Ducatum aſſumpſiſſe, id quod ſatis ſupra refutauimus. *hoc c. §. Brabantia.* docuimuſque iure ſanguinis paternum Ducatum adeptum, legitimam proinde eodem Carolino ex ſanguine ſucceſſionem in Marchionatu eandem eſſe, quam in Ducatu, iam liquidum eſt: ac ſimul, quod eſt ſcopus omnis huius controuerſiæ, nihil à tot ſæculis vel ſupremi iuris, vel directi, vel vtilis dominij Regibus Franciæ in hanc ditionem competere., nihil Caſſanum ſibi poſſe hic vindicare. cuius quæ reliqua ſunt de ceſſione Comitis Niuerueñſis, de ſtirpis maſculæ defectu, regreſſúve ad Coronam, plus ſatis nunc diſſoluimus *d. §. Brabantia.* Jllud addere placet à Godefrido Duce Bullonio & Marchione Antuerp. *ann.* 1096. fundatam hic Eccleſiam collegiatam, cùm is in terram ſanctam expeditionem ſacram parans copias hîc conſcriberet dotatamque dono decimarum, de Lillo vicinarumque: eam donationem approbatam à Godef. Barb. Lotharingiæ Duce, qui *dominum, inquit, meum Imperatorem conueni*, confirmatam non ab aliquo Galliæ Rege, ſed ab Henrico IV. *an.* 1114. Lothar. III. *anno* 1135. Frederico *anno* 1157. Romanorum Jmperatoribus: qui Godefridum *fidelem ſuum* vocant. diplomataque teſtes habent diuerſos Epiſcopos & Principes ſub Germania numeratos eo iure moribuſque res Antuerpienſis hactenus exinde ſtetit.

## §. *Mechlinia.*

Peruetuſta ditio, vrbis, & regionis cognominis, patitur commune Caſſani argumentum, quod ad Francos olim ſpectauerit. Joannes Baptiſta Grammaius hiſtoriam vrbis & prouinciæ Mechlinienſis dedit, qua nomen etymon, cognomina, ſitum, initia, incrementa, opera, calamitates, bella, Dominos ſupremos, Principes mediæ integræque, Parlamentum, Senatum; nobilitatem, plebem, laudes, idola, Chriſtianos tutelares, Metropolitanam, parochiales Eccleſias, cænobia virorum, virginumque, ſacella, ſuburbana, pagos, diſtrictumque magis memorat, quàm deſcribat: appendicemque addidit, hiſtoriam Grimberganam, qua cruentum illud Brabantorum Grimberganorumque bellum fuſius narratur. Js *cap.* 2. *l.* 1. *à capite*, inquit, *auſpicabor I. Domino directo: qui fuit anno* 755. *vt ſuprà docui ex diplomatum fide. Rex Franciæ dans Mechliniam fiduciario titulo poſſidendam affini ſuo.* de eo auctor vitæ S. Rumoldi Mechlinienſis Apoſtoli apud Surium, *nobilium*, inquit, *quidam Odo nomine. vel vt alij volunt Ado Comitatum gerebat, cum æquè moribus & genere nobili coniuge.* ſed antiquius de illa teſtimonium eſt D. Auguſtini *l.* 1. *de mirab. Scriptur. hæc namque*, inquit, *quotidiana inundatio bis in die à tempore ad tempus, per horas* 24. *ſemper peragitur, ac per alternatas hebdomadas Ledonis & Malinæ viciſſitudo comitatur, ſed Ledo ſex horas inundationis. & totidem receſſus habet, Malina verò grandis ferè per quinque horas ebullit, & per ſeptem horas litorum dorſa retigit.* conſonat idem auctor vitæ, *Loci incolæ*, inquit, *Mechliniam dicunt propter Malinam & Ledonem* Malina vetuſtior vrbs fuit, nunc ponte intermedio Mechliniæ

liniæ iuncta: Ledo hodie Lira dicitur: vtrumque nomen eſt in diuiſione regni Lotharij, & adſcribitur portioni Caroli Calui. quod omninò prægnantius præbuiſſet Caſſano argumentum, vt Francici regni non Jmperij hæc ditio cenſeretur, ideoq́ue Gramayus, *vbi ſupra, nec dubito*, inquit, *quin ſecuti Pipinum Reges, aut Cæſares idem iuris habuerint, & poſt & per eos reguli ſiue Duces Lotharingiæ.* Non auſus videtur hanc ditionem Jmperio olim aut regno Francico aſcribere. quin & in eadem Calui portione numerentur in Brachbanto Comitatus quatuor. qui illi fuerint non exprimitur. quod notendum oit Miræus contra Lipſinm, & alios qui ex ſubiuncto Lomenſi pago, ſeu Comitatum Louenſem, ſeu Louanienſem fabricare conantur. ſic & Diuiſio in Hasbanio Comitatus quatuor ſubiungit, nec exprimit: malè ergo legunt qui in Brachbanto Comitatus III. Cameracenſem, Hannonienſem, Louienſem I. errant in numero: debent legere quatuor: deinde in verbo Cameracenſem, nam paulò antè Cameracum poſuerat; legendum ergo Cameracesium, ſcilicet territorium. Denique Louienſe ſeu pagum Louienſem: quem ex Ludouici Germanici & Henrici Aucupis diplomatibus aſſerit Miræus comprehenſum ſub Brachbanto Louanienſem Comitatum etſi non expreſſum, nolim dubitare. dubitaui aliquando an dino Teneramundana, Aloſtana, & Grimbergana hæc, quæ olim tam ampla quàm hæ poſteriores fuerunt, ſignificentur: & vetus Bratuſpantium pagus eo atque vlterius ſe extenderit, vt eatenus ſentiam cum Diuæo *rer. Brabant. l.1. c.2.* qui, etſi non ſub hoc argumento terminos tamen antiquos eo vſque extendit, etſi eum oppugnet affinis meus Dauid Lindanus *in Teneramunda lib. 1. cap. 5.* vbi tamen *l. 3. c. 1.* territorium in Jmperij ſolo conſtituit *c.2.* agnoſcit in Zele primo territorij pago monaſterium in Brachbent, *c.2.* pagum de Ham pro altero. cum Miræus *in cod. donat. piar. c. 47.* literas recitet Conradi Jmperatoris confirmantes Abbatiam S. Andreæ in Caſtello Cameracelij datas *in Brachbanto apud Ham* inquiunt, & *l. 1. c.2. & 4.* vrbis etiam ſolum imperiale agnoſcit, & à Cæſare præfectos. quamuis enim alodium ſit, atque hominium non debeat, olim tamen maieſtatem Jmperij ſoueranitatemq́ue agnoſcebat vt Brobantia. ſed hoc ſenſu ipſe Lindanus *c. 5. nu. 47.* ſatis poteſt conciliari. verum nunc non opus eſt hæc diſputare: ego impræſentiarum conciliatos eos velim, vt quatuor Comitatus in Brachbanto paruiſſe Lothario ſupremo iure, vicario etiam Ducibus Lotharingiæ credam: vicinos inuicem poſt eum, non alterutris ſubditos; matrimonijs aliquos aut aliter coniunctos, de priori iure per id nihil amiſiſſe (vt in multis ditionibus ex pluribus olim membris coniunctis paſſim videmus) & vltra quàm territorium nunc, quà reſpicit Campaniam noſtram, aut agrum Leodienſem, porrigitur, nec olim protenſum fuiſſe. quippe eadem Diuiſio exprimit Taxandrium Comitatum, & Hasbanium, in eoq́ue Comitatus quatuor, ille autem Campaniam, præter pagum Rienſem, hi autem agrum Leodienſem ſpectant, interim ex ea Diuiſione liquet, ſub Comitatibus Brabantinis Malinas non fuiſſe comprehenſas, ſed ſeorſim expreſſas. Quo argumento liquere videtur Bertholdos Grimbergenſes, qui vt Gramayo alijſq́ue videtur, per Mechtildis aut alias nuptias pridem adepti erant dominatum Mechlinienſem, clientelæ iure Comitibus Louanienſibus non fuiſſe obſtrictos: eoq́ue nomine iuſtum cum Brabantis bellum geſſiſſe: an iure itidem recuſauerint Barbatum iam Lotharingiæ Ducatu, & Jmperiali vicariatu donatum, aut quatenus iure ſanguinis per Gerbergam Caroli Lotharingiæ filiam Raginero Comiti Louanienſi olim nuptam Lotharingia ei competebat, quod tot annis nec Jmperatores, nec Galliæ Reges agnoſcere voluerint, nec ſub eo titulo ipſi agnoſcere rectè tergiuerſati ſint, non idem mox cenſuero. apud Gramayum noſtrateſq́ue Chronographos *ann.* 1137. per Conradum Lothario ſuccedentem, Barbato Lotharingiam confirmaſſe lege lata refertur; *vt omnes qui inter Moſam, Schaldamque eſſent nobiles clientelam ipſi profiterentur, vtque Ducatus caput, Louanium in perpetuum cenſeretur.* & Bertholdi cum vt id præſtarent per caduceatorem exigerentur, illiq́ue cum affinibus & fidelibus conſultarent, quidam in ea erant ſententia; *conſtare Bertholdos ab omnibus retrò temporibus Lotharingiæ priſcos Duces in bellis ſequi ſolitos, id clientelæ indicium eſſe.* quippe ex articulis 2. 3. 5 *Adnunciationis Caroli in conuentione & concordia quam ſuprà citauimus*: nec videri tam rectè negari. ſed præualuit ſententia contraria, itumq́ue eſt in bellum quod Gramayus deſcribit *vbi ſupra*, & *Haræus in Annalibus ſub Godefrido II. & III. ad annum* 1141. *Diuæus & alij*: & de quo Scribanius *in Originibus Antuerpienſibus c. 2. nec alias*, inquit, *concurſum mole maiori, neque ambiguo magis euentu.* & infra, narrata trium dierum pugna continua, *E qua*, inquit, *alia gente triduana pugna? aut niſi Brabantus Brabanto contra ſtaret eademque vtraque acie arma, & artes, triduum pugnari potuit.* & fortuna quidem deſeruit Grimbergenſes, miſerta Infantis Ducis in cunis iuxta pugnantes ſuſpenſi. Porrò Diuiſio quam diximus inter Caluum & Ludouicum acciderat *an.* 870. qua Molinæ in portione Caroli numerabantur, pugna hæc anno 1144. adeoque vixdum 274. annis poſtmodum: fortè fuerint qui nec Jmperatori nec Lotharingis parendum, clientelámve ideò deberi cenſuerint: præſertim cum Bertholdis magna etiam ex Atrebatibus & Picardis auxilia venerint. ſed quidquid eius rei ſit, iudicauit fortuna, cuius arreſta ſupremi arbitrij eſſe ſæpè ait Caſſanus, pro Imperio & Lotharingis, vt quidquid cis Schaldim ſit clientelæ illorum, Jmperioq́ue ſubdatur. Et verò diuiſio inter Caluum & Ludouicum quam diximus, ſiue propter iniquitatem, quam arguit Haræus *in Prolog.* omiſſo alio hærede, ſiue aliàs, *vt ſupra in* §. *Hannonia diximus* interrupta, ſiue quod rudi Minerua tantum, & quæ deinceps emendationem exigeret, diuiſio concepta fuerit (quàm enim confusè portioni Ludouici adſcribit de Friſia duas partes, portioni Caroli de Friſia tertiam partem, aliaq́ue id genus?) non habuit aſſeclam obſeruantiam: neque hodie ſub Imperio

ea

ea omnia censentur, quæ ibidem Ludouico adscribuntur, nec vicissim sub Francia quæ Caluo: sed & vltra Schaldim & terminos Conradi lege indicatos vsurpatio transilijt. ita Ludouicus Germaniæ Rex donat Wasdam, quam hodie Wasiam dicimus, vltra Schaldim sitam an. 868. *diploma refert Miræus in cod. donat. piar. c.* 23. & contra Carolus Simplex an. 913. Theodorico I. Hollandiæ Comiti dat Egmundam cis Schaldim sitam. *diploma ibidem refertur cap.* 26. sexcenta sunt similia, quæ vsus mutauit, tametsi summa rei sit seruata semper finibus tantum transsultis. Germaniæ tamen, Galliæ, Jtaliæque regna diuisa manserint. quod ad rem præsentem attinet, siue pace, siue belli iure à pugna Grimbergana, annoque 1144. nihil hic Francici iuris est agnitum; quanti temporis auctoritatem iam sæpius cum Cassano expendimus, & momentis Hugonis Capeti bilancem saltem æquauimus. *Ferunt*, inquit Grammayus, *ad finem belli Grimberganici Fredericum Barbarossam Jmperatorem vt captis* (Bertholdis) *precator adesset, Louanium venisse, eoque præsente remissos in auita bona. Walterus Mechliniam licet maior natu in fratris clientela possedit: Gerardus iunior Grimbergam beneficio Ducis obtinuit.* quæ succedendi ratio Grimbergæ hactenus seruata, donec nuper Hispaniarum Rex illam erexit in Comitatum, cuius imposterum successio ex ætatis prærogatiua deferetur. cæterum Mechlinia haud diu in eo statu mansit, variè à Grimberga subtracta, à Bertholdis ad Episcopum Leodiensem, Comitem Flandriæ, & deinde Ducem Brabantiæ solido iure abijt: denique à Philippo Bono separatim possessa, & inter titulos relata fuit: eumque in statum post tot sæcula redijt, quo fuerat, vt diximus, antequam in Bertholdorum (quorum Stemma Miræus *Chronico Belgico inseruit ad ann.* 1128.) familiam veniret: vt scilicet vicina non subdita Brabantiæ esset, atque in sua potestate. quare inter septemdecim Germaniæ inferioris prouincias numerum nunc etiam facit, non Comitatus, sed dominij titulo. nam ille ante annos ferè mille iam desijt. nisi quod Maximilianus Jmperator 30. *Ianuar.* 1494. Dominium Mechliniense in *Comitatum nobilem & perpetuum erigat, & insignia eius vel scutum diuisionibus citimis & rubeis secundum longum intersectis meliorare constituens, aquilam nigram, expansamque, prout Imperatorem ferre consueuerunt, adiecerit: insignia seruat vrbs, & in sigillo nomen Comitatus. cur autem*, inquit Grammayus, *secuti Belgarum Principes, non Comites se, sed Dominos dumtaxat scripserint, & scribant, mihi hactenus non liquet.* ego porrò hanc, quam dixi, causam esse existimo, quod postquam Mechlinia in manum Ducis Brabantiæ rediji, & summo iure possideri cœpit, instar Brabantiæ; etiam ab Jmperio tacitè subducta est: id quo minus viderentur Principes agnoscere, existimem noluisse beneficium Jmperatorium vrbi concessum mutato titulo ostentare. quod nunc ad Cassanum nihil pertinet.

## §. *Frisia.*

Bilem etiam mouet Cassano. *quæsita*, inquit, *bello fuit per Carolum Martellum, & licet rebellasset in ordinem redacta: Carolus Caluus deinde erexit ditionem hanc in Comitatum, inuestiuitque Theodoricum sub fide & hominio Coronæ.* Jta ille. diximus mox in Diuisione Ludouici, & Caroli, illi duas Frisiæ partes, reliquam huic attributam eadem tamen diuisione Batauiam Ludouico: Cassanus, nihilominus Hollandiam Theodorico Frisoni in Comitatum datum simul asserit: quod vt non oppugnem, sequitur tamen Diuisionem præcisis in terminis non fuisse vndequaque seruatam: quod mox diximus: ex confusa autem Frisiæ partitione, credere licet iam ab illis sæculis perpetua inter Frisios bella fuisse, effecisse Batauorum armis Westfrisiam. ita Grotius *de antiquitate reipublica Batauica c.* 5. Didericum seu Theodoricum iam olim ex Comitibus, natum, Hollandiam pagum fuisse: auitum coniectat Diderici Comitatum: *in cuius*, inquit, *vocabuli consortium mox totum hoc eidem Principi creditum corpus Imperij venerit, vt hi qui cis Flauum erant, Frisij propria quadam appellatione à maioribus Frisijs trans Flauum colentibus distinguerentur, pars tamen Flauo proprior veteri nomine, nunc quoque Westfrisia, hoc est Occidentali Frisia vocatur, quæ cum Hollandia vnam rempublicam facit.* ita Grotius, prosequiturque argumenta Ordinum ob quæ sub Carolo V. aduersus Brabantos indicatum est, bullam auream Caroli IV. illis concessam, ne foris sistantur, in Hollandiam, tamquam extra Imperij terminos, vires non exerere. ego existimem inter obscuritatem Diuisionis Ludouici & Calui, obseruantiamque non semel neglectam, bellorum inter Frisios motus, tenebras auiti patrimonij Diderici, quodque diu hostiliter luctati Batatui, Westfrisijque, neque Francicis, nec Germanicis armis votorum compotes facti essent, tandem virtute armisque suis Comites sui iuris factos, à Francorum simul & Germanorum supremitate fecisse diuortium. *vt mox in* §. *Hannonia &* §. *Hollandia diximus.* Jgitur, quod attinet ad Westfrisios, ij nunc cum Hollandis vnam rempublicam faciunt, vt ait Grotius, Hollandisque iure & situ coniuncti Boreales Hollandi vocantur, & Regio *Nort-Hollandia.* adeoque, eis suæ potestati relictis, transeamus ad Frisiam Orientalem, quæ propriè eo nomine nunc accipitur, cum inter septemdecim prouincias Inferioris Germaniæ numeratur. sed & Westfrisia dicitur cum opponitur illi ditioni, quæ vltrà Amasim sita est, vbi metropolis est Emda, Frisiaque Orientalis dicitur: vtraque autem hæc iuris Imperialis semper habita. est. & credere mihi lubet simul fuisse duas de Frisia partes, quas diximus portioni Ludouici fuisse adscriptas: vt prior illa Flæuo à Nort-Hollandia; Amasi ab hac disterminaretur: tametsi veteris Frisonum regni limites etiam ampliores fuisse non dubitem, quod huc non pertinet Cassano satis esse debet duas de Frisia partes Ludouico fuisse attributas, ab Jmperio

tot

tot ſæculis poſſeſſas. Orientalem Fredericus III. Jmp. Comitatus titulo anno 1465. in varias præfecturas diuiſam, Valricho conceſſit, quam poſteri etiamnum obtinent: Occidentalem noſtram anno 1494. Cæſar Maximilianus Alberto Saxoni tribuit: ſed is, bello non ſatis ex voto ſuccedente, quod Friſij eâ conceſſione libertatem ſuam nonnihil imminui exiſtimarent, cecidit: filius Georgius, patre haud multò felicior, ſumptuumque pertæſus, oppida quæ armis ceperat, atque ius omne quod in Friſiam habebat, in Carolum, Belgij, tunc Principem, poſteà Jmperatorem an. 1515. transſcripſit: qui fortuna & armis melior, ac demum pace etiam intercedente, per legatum rege Galliæ compoſita, regionem omnem obtinuit: promittente etiam Geldro impoſterum ſe nulla Friſijs auxilia miſſurum, in poſteroſque tranſmiſit. *Ita Montanus ad chartas Kerij in Friſia, alijq; paßim annales.*

## §. *Vltraiectum*

A Pipino & Carolo Magno, fundato Epiſcopatu, eiuſdemque dono oppidi dotato, cultum eſſe, ac penes Epiſcopos ſucceſſores manſiſſe, donec Carolus V. poſſeſſionem inuaſit, & Epiſcopum ſpoliauit, ait Caſſanus. Bochius *in Principatu Belgij* §. *Vltraiecti* à Pipino Auſtraſiæ Rege miſſum ad Friſios, iam debellatos, Chriſti ſacris imbuendos, S. Willebrordum ann. 694. & à Carolo Martello Vltraiecti conſtitutum Epiſcopum attributa regionis vniuerſæ iuriſdictione. quod Montanus *in tabulis Kerij*, ad tempora Sergij Pontificis & Juſtiniani minoris F. Conſtantini refert: ibidemque ex binis tabulis in æde S. Martini ſuſpenſis aliquot verſus refert; qui narrent vrbem ibi Antonianam, tempore Neronis, ædificatam, vaſtatam deinde à Barbaris, & caſtrum Wiltorum conditum, euerſum illud, aliudque conditum à Francis iam Chriſtianis, hoc à Danis deſtructo, vrbem à Balderico Præſule, mœnibus, quæ nunc videantur, cinctam à Dagoberto eo loci Eccleſiam S. Thomæ ædificatam, à Friſijs deſtructam, à D. Willebrordo in honorem S. Martini reſtauratam. *Epiſcoporum opes & potentia*, inquit Bochius, *multorum Jmperatorum aliorumque Principum liberalitate, & regionum, vnde barbaros & tyrannos expulerunt, acceßione eo vſque excreuit, vt dominatu Traiectenſi regni haud exigui amplitudinem adæquaret.* Satis hyperbolicè: niſi ad veteres regulos exiguis circinis circumſcriptos reſpiciamus. planius paulò inferius: *His igitur, inquit, viribus & opulentia, prouincias Trans-Iſalanam cum Groninga in poteſtatem ſuam redegerunt, multoſque Principes & dominiorum illuſtrium toparchas feudorum beneficiis ſibi deuinxerunt.* Situs ſanè glebæque fæcunditas nulli cedit. *Illud vero*, inquit Montanus *vbi ſupra*, *notatu dignum, eo loco poſitam eſſe hanc vrbem, vnde vnius diei itinere (& vbi terrarum quaſo has vrbium denſitas?) pedibus peruenire queas ad quodcumque libuerit ex quinquaginta, vt minimum, oppidis Traiectum vndique circumſtantibus, nec maiore quàm diximus ſpatio, quod & tabula geographica ſatis oſtenderit, illo abiunctis. amplius poſſe aliquem mane Traiecto egreſſum ad quodvis è ſex & viginti prædictis oppidis etiam lento gradu inambulantem accedere, genio ibi indulgere, & veſpere domi rurſus ad cœnam adeſſe.* Enimuero Vltraiectum in ea quam toties citauimus Diuiſione Ludouici portioni aſſcribitur, tertio loco poſt Coloniam & Treuiros, teutonica voce Vtrech: qua etiamnum audit: ſucceſſoreſque Epiſcopi ſemper Jmperium ſecuti ſunt: quod quidem Caſſano ſufficiat: ne quam camarinam moueat. Cæterum quia more ſuo Caroli V. acta ſugillat, inuaſionis ſpoliationiſque nomine donat hæreditarios etiam titulos & pacificos ingreſſus Auſtriacorum; lubet omiſſis annalibus claſſicisque auctoribus hic inſerere exemplum diplomatis, quo ceſſio cauſaque continetur: quam ideoque & Clemens VII. ſummus Pontifex XIII. Kalend. Septemb. 1528. confirmarit. refert tabulas Haræus *ſub Carolo V. ad annum* 1528. his verbis: *Quoniam Carolus Geldriæ Dux nullo iure nullaque legitima de cauſa vrbem Vltraiectinam occupauit, ac ex ea bellum antiſtiti Henrico Bauaro intulit, occupatoque oppido Rhena, arce Horſtia, ac Ema vniuerſam ditionem Vltraiectinam ad grauißimarum exactionum ſolutionem coëgit, nullo ei recuſantes, ſiue profani, ſiue ſacri Ordinis homines, ſæuitiæ nec calamitatis genere omiſſo, adeò vt vniuerſam tandem prouinciam ſubegiſſet, niſi Caroli V. Cæſaris Duces obſtitiſſent, ac pedite equiteque adducto, Geldrum repreßiſſent: ne rurſum in eaſdem recideremus calamitates, ac aliqua ratione Cæſari de factis huius belli cauſa ſumptibus ſatisfieret, communi conſilio liberaque voluntate conſenſimus, ac tenore præſentium conſentimus, Henricus Bauarus Antiſtes noſter Cæſari Carolo tanquam Brabantiæ Duci, & Hollandiæ Comiti, pro ſe ſuiſq; ſucceſſoribus vtriuſque ſexus legitimis liberis cedat, inque perpetuam poſſeßionem tradat vrbem Vltraiectum, Amersfortium, Rhenam, Wicam, reliquaque oppida, arces, caſtella ac munitiones prouinciæ, agrique Vltraiectini, cum omni apparatu bellico, pagis, villis, prouentibus, tum iuriſdictione ſumma, media, infima, mixta, ac denique vniuerſum abſolutumque profanæ iuriſdictionis Jmperium; ea ratione ac modo quo id præcedentes Antiſtites ſupra nongentos poſſedere, rexereque annos, ac vt abſolutum decet Dominum Principemq; tum vniuerſo Nederſticht (nempe Overſtichtij, id eſt Trans-Iſalani dudum ante in Ianuario ſe tradiderant) nihil inde excipientes præter ſacram iuriſdictionem, ac annuos eius prouentus, qui Antiſtiti eiuſque ſucceſſoribus in ſempiternum ſarti tecti manebunt: quemadmodum Curia Epiſcopalis quæ eſt in vrbe Vltraiecto, ac altera Antiſtite digna in hac prouincia quam elegit. Adhæc Cæſar Carolus Antiſtiti Henrico Bauaro ſingulis numerabit ad vitam annis duo millia florenorum, donec tot ei ſacerdotia procurarit, quæ dictam in ſingulos annos ſummam conficiant, eaque in perpetuum Epiſcopatus reditibus adiungi curarit. ſupplicantes & orantes Romanum Pontificem hæc omnia ſua auctoritate approbare, confirmare rataque habere dignetur. hoc primum à quinque Canonicorum collegijs, deinde ab Abbatibus, tum ab vrbis Senatu, ac nobilibus fuere ſubſignata, ſigilliſque munita, ac tandem anno ſequenti à Papa*

*Clemente VII. 15. Kalend. Septemb. confirmata.* Antiſtes, ergo inquit Haræus, *ſua renunciat ionis litteras 12. Octob. huius anni conſignauit, & Caſaris Legato Antonio Lalaino Comiti Hooghſtratano die 13. Kalend. Nouembris ſolemniter tradidit, ac poſtero die populus Vltraiectinus Caſari ſacramentum dixit, hinc 3. Nonas Nouemb. Amersfortij, & non multò poſt etiam Wicani, & Rhenani.* idem mox docebimus de Tranſ-Iſalanis & Groninganis. Quibus ex rebus patet Carolum requiſitum fuiſſe, vt perditam penè hanc Rem-publicam hoſti eriperet, ac ſuo ære in libertatem aſſereret, priuilegiaque ac dignitatem bello amiſſam reſtitueret: quod ſuſcepit, peregitq; Carolus: vt nec inuaſerit ditionem, ſed pretio adeptus ſit, Antiſtitemque non ſpoliarit, quod ait Caſſanus; ſed ſupplicem dignitati ſeruauerit, ceſſionem ab eo ſponte, omniq́ue Clero, Nobilitate, populoque factam à S. Pontifice confirmatam, ſuſceperit requiſitus.

## §. *Tranſ-Iſalania.*

Eodem iure quo Vltraiectum in Caroli V. manum venit, rogante Antiſtite, Ordinibuſque vniuerſis ditionis: qui nihilominus ſeorſim etiam à Carolo V. ſtipulati ſunt, vt ijs priuilegia ac immunitates veteres tartæ rectæ manerent, iudicijs conſuetis vterentur, bellum Tranſ-Iſalanis à quocumque illatum Cæſar, eiuſque ſucceſſores ſuis ſumptibus propulſarent: Cæſar Duci Geldriæ, donec is ablata reſtitueret, bellum ſuo ære inferret: aliaque quæ habet verbotenus Petrus Montanus *ad Tabulas Kerij*, quibus promiſſis Cæſar in omnibus Tranſ-Iſalaniæ locis inauguratus eſt, eamque in poſteros tranſmiſit. Antiſtites ſolos hæc ditio Jmperiumque Romano-Germanicum in ea vſque tempora ſemper agnouit: veteribus Francis non ſolùm paruit, ſed & primos Francos dedit. *vt ſupra c. 6. latius demonſtrauimus.* prima eorum ſedes, regnique primordium, eoque nomine argumentati ſumus, ſi huiuſmodi antiquitates ſint ſpectandæ, vt ſemper Caſſanus commentatur, rerumque vetuſtarum initia; ei Principi, qui caput regni, ſcaturiginemque primam gentis Francorum poſſidet, ſummum in Francos omnes ius competere; cæteros paulatim exinde victos, acceſſorios horum eſſe tantum. quod quia nolit Caſſanus; nihil vlterius hic vrgebimus, quàm vt ſuis nunc ergo terminis Franciam ſuam coërceat, Jmperio etiam iam olim attributa, atque tot ſæculis poſſeſſa, ne vellicet.

## §. *Groninga.*

Vltima prouinciarum Jnferioris Germaniæ, ad Carolum V. peruenit ex ceſſione Antiſtitis Vltraiectini, quatenus ei ante paruerat: nam is omnem omninò iuriſdictionem temporalem in quaſcumque ditiones in Carolum transſcripſit. ſubſuerat maximè Jmperio, ab aliorum dominatu libera, diplomate Maximiliani Albertum Saxonem quaſi perpetuum Friſiæ Gubernatorem datum diximus, ſed noluerunt in eius poteſtatem tranſire Groningani varijs bellis luctati, ab Jmperatore etiam proſcripti, auxilij cauſa Geldrum ſollicitarunt, cum nec is ſatis potens eſſet, etiam Franco Sacramentum dixerunt, eoque maieſtatis rei, cum armis diffiderent, dediderunt ſe Carolo V. Jmperatori an. 1536. non qua tali, ſed qua Brabantiæ Duci, atque Hollandiæ Comiti impoſterum pariturος: ſaluis veteribus legibus, atque immunitatibus, alijſque pactis, ac nominatim vt Dammum æmula vrbs, ad modum pagi Ommelandici, dirutis munitionibus, dirigeretur; & quæ Geldrus diſtraxerat, prouinciæ reſtituerentur. quare illa vrbs mænibus nudata, Geldrus armis, ac pace poſteà omne ius in ditionem prætenſum, Ommelandiam, Dammum, Drentam, Twentam, Couordam, cæteraque prouinciæ huius loca reſtituit, eiuratque. Ditionem hanc à Francis, Salijs, Manarmis, Cruptoricis, Bructeris etiam olim infeſſam, ſatis compertum videtur, comprehenſamque ſub duabus Friſiæ partibus; quæ Ludouico ceſſerunt, *vt in §. Friſia diximus*, non dubitem, à tot ſæculis Romanas aquilas ſecuti ſunt Groningani, vt & vrbs ipſa bicipitem aquilam in inſignibus gerit. potuiſſe autem Carolum vt Jmperatorem maieſtatis, vt diximus læſæ reis gratiam facere, nihil eſt addubitandum: ſibique vt Duci Brabantiæ ſupplices in ſubditos dare, accipereque, nihil habet difficultatis, cum & conſul qua priuatus apud ſe ipſum qua conſulem poſſit emancipari, *l. ſi conſul. D. de adopt. vbi in gloſſa plura id genus alia.* cui accedit ceſſio iuris à Georgio Saxonico in Carolum tranſlati. *vt in §. Friſia mox diximus*, & Edzardus Friſiæ Orientalis Comes, qui Groninganos bello diu vexauerat, tandem impar iam pridem eos dimiſerat. quinimò Cal. Junij 1517. Gandaui Carolo ceſſerat non tantum ius omne quod in has ditiones prætendebat, ſed etiam ſuſceperat Oſt-friſiam vt clientale Hollandiæ feudum deinceps poſſidendam. pacta refert ad eum annum in Annal. Haræus. adeoque Carolus & hanc ditionem in poſteros pacificam tranſmiſit, donec Belgici tumultus etiam illam inuoluerunt.

## §. *Cameracum*

Corodinis loco exagitat Caſſanus. fuiſſe ait ex primiſque Francis Rhenum tranſgreſſis ceſſerim. à Carolo Caluo Balduino Ferreo in feudum datum ait, poſtquam Jmperatores Lotharingiam vſurparint etiam huius vrbis hominia recepiſſe, receſſiſſe tamen in poteſtatem Philippi Valeſij, Ludouici XII. Henrici III. quando Dux Alenſonius in reditu ex Flandria eam intercepit, licet poſtmodum Comiti Fontano dedita ſit, non deffiteor veteribus Francis hanc vrbem ceſſiſſe: quin nec in Diuiſione ſæpius citata Caluo aſſcriptam: Flandriæ Comites eam obtinuiſſe, non à Caluo tantum; ſed etiam tutelam ab Jmperatoribus, Henrico V. & Frederico I. Diuiſionem illam non vndequaque ſeruatam pluribus ex cauſis iam dixi ſæpius: ſæcula tam plura lapſa ſunt, quod vrbs hæc atque ditio in manum Antiſtitum ſuorum venit, & feudi nomine ab Jmperio habetur. & quidem gliſcentibus inter Galliam Belgicamque

eamque bellis vtriſque intericcta limitibus non ſemel à Francis fuit intercepta; ſed armis aut deditione deinde recepta; non tantum à Comite Fontano, ſed etiam à Maximiliano Cæſare: cum Cameracenſes, milite illius in vrbem intromiſſo, Ludouici XII. præſidium eiecerunt: donec tandem, vt olim Imperatores tutelam hæreditarijs Comitibus Flandriæ conceſſerant, ita Carolus V. Caſtellaniam hæreditariam, extructa ibidem arce, Philippo filio dedit. quam is deinde à Francis dolo interceptam, ductu Fontani recuperauit ann. 1595. miror tamen hîc Caſſanum Alenſonij meminiſſe, nec alibi Francorum eius nomine Jmperium prorogare. is ſiquidem pluribus Belgicæ locis à tumultuante populo in Dominum aſſumptus erat, etiam Antuerpiæ Marchio inauguratus; ſed vt aliena inuaſerat, ita & à populo quam acceperat dynaſtiam in tyrannidem vertit, diſignato pluribus locis eodem die, & imprimis Antuerpiæ, vbi coram aderat quaſi exercitum luſtrans, quo eam à ſanguinaria cæde auſpicaretur; ſed fortuna melius vertente cæſis ſuis omni Belgio eiectus eſt, redijtque pars maior ad verum Dominum.

Sunt alia loca quæ peculiari ditionum nomine in Belgio cenſentur, vt Neruiorum vrbs & ager Tornacum & Torneſium, ac Valencenæ: ſed illud pridem Flandriæ membrum fuerat, hæ quidem Hannoniæ annumeratæ. *vt latius vbi ſuprà Bocbius, alijque paſſim.* & licet Franci aliquando armis tenuerint, armis tamen vltra veteres titulos recepta, & fœderibus firmata ſunt ſæpius, neque horum Caſſanus meminit, ideoque nec prolixiores nos erimus: meminit tamen hîc Caſſanus Coloniæ, Leodij, & Moguntiæ: quas vrbes cùm Auſtriaci non poſſideant, alienum eſſet hic tractare: vt & Argentoratum, quod à Ludouico Pio D. Virgini ſacratum ait. ſed & Diuiſio ſæpius iam citata Ludouico Coloniam adſignat, & Strasburgum, *Linguas etiam quod eſt de iſta parte*: quod Miræus interpretatur Leodium: nec Moguntiam Caſſanus inueniet in portione Calui: omnia autem illa multis iam à ſæculis Jmperio accenſentur.

## §. *Burgundiæ*

Comitatus fines ferè Belgarum attingit, quos etſi tranſilire non ſtatueram, inuitat tamen vicinia, & quod quaſi Belgio annexus à Philippo II. in dotem Alberto & Jſabellæ Principibus datus fuit. & licet pridem Francus, ſeu liber vocetur; tamen & Jmperialis ſolet nuncupari, ac ferè creditur intra Jmperij metas multis ſæculis conſtitiſſe. vnde Circulus Burgundicus Romano Jmperio, accenſetur. *in receſsibus ann.* 1522. in comitijs votum, ceſſionem, acceſſorem in Camera habet, in Turcica expeditione quantum tres alij Electores contribuit. quibus de rebus videnda eſt tranſactio Burgundica *in Comitiis Auguſtanis* 1548. *edita & aliis* 1560. *confirmata Receſsibus Imperij inſerta.* refert tamen Beſoldus *diſcurſu de Burgundia*, &c. vidiſſe ſe multa diplomata penes Fiſcalem Dolanum, quibus ille Comitatum Burgundiæ ab omni ſuperioritate liberum eſſe, nec vllum niſi Deum & gladium ſuperiorem habere aſſerebat: ideoque in Curia Dolana expeditionibus ab Jmperio profectis non deferri, vt nec Gallicis. & verò antiquum Burgundiæ regnum memoriam refricat vetuſtæ libertatis, & ſi Jmperatores olim etiam aliquando in contrarium aliquid geſſerint, vt & Comites viribus impares debuerint hominium præſtare. vt fecit etiam Margareta Flandrenſis 9. *Ian.* 1373. Jmperatori tunc in vrbe Pariſienſi exiſtenti, quod Franciæ Rex ibi vtique non admiſiſſet, ſi ea ſibi fidelitas debita fuiſſet. Marchantius *in Flandria l.* 3. *c.* 1. refert Burgundorum regnum duraſſe ad annos 144. *quo titulo extincto*, inquit, *ad annum* 1037. *in Ducatum & Comitatum, Burgundia diſſoluit: hunc ad Imperij ſemper: illum ad Francorum maieſtatem ſubinde reſpicientem.* Enimuero, vt vetera omittamus, quibus ſæpè iam eſt reſponſum, à multis ſæculis Comitatus hic vel pro libero eſt habitus, vel ſingularibus cum priuilegijs ita Jmperio coniunctus, vt Franciæ nihil debeat: quod ſatis eſſe oportet Caſſano. Jn cuius tamen gratiam lubet dicere, fæmininæ ſucceſſionis etiam eſſe patientem, vt pluries ea obtinuit: quippe an. 1295. Otho Henrici V. Jmperatoris filius Comes Burgundiæ (de cuius ſtemmate, ſerieque Comitum videri poteſt Miræus in Chronico Belgico ad an. 1010.) Joannam filiam nuptui dedit Philippo Longo filio Philippi Pulchri Regis, tunc Comiti Pictauorum poſteà Regi, & cum ea hunc Comitatum in dotem, ex quo matrimonio Joanna primogenita nupſit Duci Odoni Burgundiam hanc, & Arteſiam marito adferens: ex hiſce rurſum nuptijs Philippus Burgundiæ Comes, cuius filius Philippus infans defunctus ſucceſſorem habuit amitam Margaretam Flandriæ Comitem, hæc Ludouicum Maleanum, is filiam Margaretam nuptam Joanni Jntrepido, hic Philippum Bonum, & is Carolum Audacem, ex quo Maria Burgundica Maximiliano Auſtriaco nuptâ, in poſteros hunc Comitatum tranſmiſit. quæ proſecuti ſumus latius, vt conſtaret iam ſæpius Comitatum ad fæminas delatum, ne quid hîc Caſſanus de lege Salica, etſi extra Franciam, opponendum æſtimet, tametſi nec deficit veterum Comitum ſtirps maſcula, quam deſignat Miræus *in Chronico vbi ſupra.*

## §. *Burgundiæ*

Ducatus duobus iam ſæculis controuertitur armis, & calamis: multis vndique ſagittis diuerſis ex pharetris depromptis. Faius ſanè, cuius iam ſæpius meminimus, Mariæ Burgundæ optimo iure latè aſſeruit. mihi viſum in medio ſtatuere ipſum diploma, vnde omnis quæſtio ſcaturiuit; illudque oppoſito ad marginem gloſſemate in quo Faius potiſſimum præiuit. vertitur autem in eo ſolum quæſtio, an deſinente in Carolo Audace Burgundorum Ducum ſtirpe maſcula, Ducatus ad Coronam fuerit regreſſus? quæ ex eo pendet, an ea lege olim ſit conceſſus? tabulis ergo inſpectis ea de re iudicandum eſt. eas recitat Miræus *in Cod. donat. piar. c.* 105. à Joanne Rege an. 1363. conceſſas, à Carolo V. illius filio

filio laudatas an. 1364. Ita ergo habent: *Joannes Dei gratia*, &c. post prologomena de seruanda quiete, & iustitia, & stabilimento regni per fideles vasallos, & digna remuneratione, arcenda oppressione hostili Ducatus Burgundiæ, *qui ex successione bonæ memoriæ Philippi*, inquit, *in nos vt propinquiorem in genere nouiter est delatus*: merita filij Philippi apud Pictauos vulnerati, capti, ac pòst præstita memorat, interseritque filijs Regijs naturaliter patrem teneri assignare, *vnde statum iuxtà sua prosapia perspicuitatem honorificè continuent*: quod aliquid sonat de causa impulsiua legis appennagialis, sed non de finali aut formali; quæ est vt ex bonis Coronæ liberi Regij in posterum congruè exhibeantur, sed finita linea mascula ad Coronam bona auulsa redeant: ne perpetua decisione nuda illa tandem, & inanis fiat. sed hic Ducatus ad regem Joannem non deuenerat iure Coronæ, sed successionis cognaticæ, tamquam ad proximum per maternam lineam vltimò defuncti Ducis; nec fuerat vmquam de domanio Coronæ: sed & iam ante Philippo prouisum erat, quoad digna alimenta per Ducatum Turoniæ: quare Joannes non in alimentis substitit, sed ad *id tamen impendendum eò liberalius inducimur*, inquit, *suam meritò cupientes honorare personam* (ecce causam donationis) *perpetuoque* (iterum nota) *præmio* (ecce remuneratoriam, adeoque perpetuò irreuocabilem) *fulcire sibi paterno correspondentes amore* (ecce amorem, non iam obligationem de qua ante) *naturaliter nostris tenemur liberis.*

1. Nota requisitionem Ordinum Burgundiæ aduersus vnionem an. 1361. illis inscijs factam: qui ea propter illius reuocationem & singularem sibi Principem obtinuerunt: ne procul absente rege à præfectis malè haberi pergerent. quo spectant anteriora diplomatis verba *spem & fiduciam gerentes in Domino quòd ipsius* (Philippi) *crescente prouidentia dicti nostri subditi Ducatus eiusdem à suis oppressionibus releuentur.* magna sanè causa, regis confessione, contradicendæ, impediendæ, soluendæque vnionis.

2. Pariformi verborum tenore paribus passibus æquiparantur hic à Rege concessio Ducatus & Comitatus Burgundiæ: sed in hoc absurda foret legis appennagialis illatio: ergo & in illo. vnde nec in hoc pretensa vmquam fuit, quare eadem est æstimanda vtrobique virtus verborum.

*Notum*, inqnit, *facimus vniuersis præsentibus pariter & futuris, quod nos his & alijs iustis considerationibus excitati, & ad humilem supplicationem subditorum nostrorum dicti Ducatus.*

*1. prædictum Ducatum Burgundiæ in pariatu, & quidquid iuris. possessionis & proprietatis habemus, & habere possumus, & debemus in eodem, nec non & in Comitatu Burgundiæ, & in quacumque parte ipsius 2. ex successione prædicta, cum vniuersis & singulis honoribus, iuribus, redditibus, & prouentibus, hominibus, homagijs, feudis, & retrofeudis, iurisdictionibus altis medijs & bassis, mero & mixto Imperio, ciuitatibus, villis, castris, & castellanijs, domibus, manerijs, stagnis, fluuijs, seu riparijs, nemoribus, forestis, vineis, terris, pratis,*

3. Ex proprio corpore in legitimo matrimonio procreandos hæredes indistinctè vocat Rex: distinctionem sexus abominatur lex, *maximum. C. de liber. præterit. & ex hæred.* & generalis Franciæ consuetudo in Ducatibus etiam Pariatibus, & summis dignitatibus: vt supra diximus §. Flandriæ ex Chassanæo; qui eas enumerat. Cuiac. autem obser. *l.* 8. *c.* 14. Salicam legem esse ait abrogatam excepta successione regni, sed & Fatus MS. vbi & rem pro Britannia ex ea regula iudicatam citat. *an.* 1341. vt nuper vidimus in Regina Margareta Valesia. citat vlterius vsum in alijs Normandia, Aquitania, Flandria, Campania, Bria, Engulisma, Veromandua, Artheſia, Neuersa, Rethela, Claromontio, Blesa, Chartresia, Bolonia S. Pauli, Guisna, & alijs generatim; præterquam in vnis aut alteris, in quantum concessione id fuit expressum disertè: ius enim commune vel consuetudo generalis, quæ non mutatur expressè, cur stare prohibeatur? *l. sancimus C. de testam.* Francorũ porrò ius ciuile sunt propriæ ipsorum consuetudines generales, non leges Romanorum: *c. super specula. de priuil.* minus vsus feudales transalpini per Insubres aliquos compilati, per Longobardos olim habiti; quorum si Franci victores se sub Carolo Magno fuisse gloriantur, velintne pro præmio referre, vt illorum legibus redierint irretiti? cedant ergo horum vsus feudistici, qui hæredum vocabulo filios masculos aliquando intelligunt, iuri Francorum proprio, atque consuetudini illorum, quam diximus generali, cedant inuictæ, quam hic explicuimus, rationi. cui accedat quod cum multis verbis Ioannes *hæredes de proprio corpore, de legitimo matrimonio* exigat, si mens eius fuisset vlteriorem distinctionem admittere vnicum verbum in tam longo diplomate poterat adijcere *masculos*; ideoque cum is satis aduersus hæredes externos consanguineosque illegitimos prouiderit, non debet in claris dari locus coniecturis: aut si quis dubium subesse velit, admittat regulam necesse est, quod in obscuris contra eum facienda est

*censibus, & alijs possessionibus quibuscumque dictis Ducatus, & iuris quod habere possumus ex causa prædicta in Comitatu prædicto quocumque nomine nuncupentur, & cuiuscumque valoris existant, dicto filio nostro concessimus, donamusq; & concedimus tenore præsentium, de nostris specialis gratia, certa scientia, auctoritate regia, & nostra regiæ potestatis plenitudine præmissaque in eum transferimus tenenda, possidenda per eum & hæredes suos, in legitimo matrimonio ex proprio corpore procreandos. 3. Ponentes ex nunc dictum Ducatum Burgundiæ, & ius quod ex successione prædicta habemus in Comitatu prædicto, cum suis prædictis pertinentijs extra nostrum domanium, & separantes omnino: cui siquidem Domanio præmissa duxeramus adiungenda. 4. non obstante si voluerimus & ordinauerimus sub quibuscumque modo, obligatione, submissione & forma verborum, vel quòd eiusmodi ordinatio præcesserit, vel si habitatoribus dictorum Ducatus & Comitatus seu communitatibus villarum, castrorum, vel locorum aliorum eorumdem vel personis singularibus concesserimus*

est interpretatio, qui legem dicere potuit apertius, vt hic donator. iterum ex more regionis, ex materia subiecta, quæ erat ea ditio, quæ ad donatorem peruenerat per tramitem maternum, quæ iam ante sæpius fæminino iure habita fuerat. vt ipse Chassanæus vbi supra fatetur, ipsa hæres nupsit Roberto Hugonis Capeti fratri, quem Miræus filium facit, & *Stemma deducit in Chronico ad ann.* 998. ita Faius MS. *ex Chronico* ait Franciæ, & nisi fæminini iuris esset ad Ioannem peruenire non potuerat, nisi Franci impingant in quæstionem Anglicam, vt hic masculum ex fæmina incapace genitum admittant, ibi Eduardum Angliæ Regem regno exclUserint, quod per matrem incapacem, ille incapax esset habendus. eoque minus Ioannes fæminas exclusisse censendus est, ne ipse suam successionem, maternumque titulum damnaret. quem ex aduerso disertè laudat, non iure Regio, sed viciniori matris sanguine ad se deuolutum.

4. Vnio hæc facta inauditis Ordinibus ijsdem postulantibus, grauibusque quas diximus causis merito reuocata. qualis reuocatio præualere omnino deberet quamuis vnio fuisse valida daretur inscijs Ordinibus facta. *qua de re egimus supra l. 2. c. 19. & seqq.*

5. Iterum verbosa repetitio, cui facilis fuerat adiectio *masculi.* quo non adiecto sub masculino comprehenditur & fæmininum, vt in dictione *si quis* decidit *Lex 1. D. de verb. sign.*

6. Ecce cum omni iure, libertate, & franchisia conceditur, Ducatus, quibus apud antecessores fuerat, atque vltimo defunctum; atqui apud illos fuerat, vt feudum fæmininum, olim etiam vt nec feudum quidem, sed summo iure: non ergo donator imposuit seruitutem feudi masculini, aut ius fæmininæ successionis intercidit.

7. Atqui antea Ducatus Burgundiæ non possidebatur aliquo iure ap-

*serimus, præmissa in tot vel in parte à nostro & Coronæ nostræ Domanio nullatenus ex tunc in antea separari, quorum dictum filium nostrum Ducem, primumque Parem Franciæ facimus, & creamus: volentes & concedentes eidem, vt ipse suique hæredes ex proprio corpore in legitimo vt prædicitur matrimonio 5. procreati, qui ei succedent in Ducatu prædicto, vtantur & fruantur perpetuò & pacificè vniuersis & singulis priuilegijs, franchisijs, iuribus, libertatibus, & prærogatiuis, quibus vsi sunt hactenus & vtuntur cæteri Pares Franciæ, omni modo & forma quibus tenebant dictum Ducatum, & dictis priuilegiis vsi fuerunt hactenus Duces Burgundiæ, & vtebatur dictus defunctus vltimus Dux Philippus dũ viuebat. 6. saluis tamen donationibus & concessionibus, si quas fecimus postquam dictus Ducatus deuenit ad manum nostram, vt prædicitur, quas noluimus effectu frustrari: saluis insuper & retentis nobis & successoribus nostris Franciæ Regibus superioritate & resorto dictorum donatorum, fide etiam ac homagio Ducis præstandis nobis & successoribus nostris prædictis, modo debito & consueto fieri, & præstari per Duces Burgundiæ, temporibus, anteactis, regalibusque, & iuribus alijs regijs, ad nos pertinentibus, ad causam nostræ Coronæ, &*

pennagij, mansit ergo in eadem libertate, neque per hanc donationem appennagij seruitus est indicta.

8. Hæc exceptio ab eo quod imposterum hæredes Philippi Ducatum possiderent, nisi deficiant hæredes ex corpore proprio, & legitimo matrimonio, firmat regulam in non exceptis, non sunt exceptæ fæminæ, firmata ergo in illis successionis regula. Appennagij ordinatio vetusta non est, nec credit Faius huius donationis tempus vllam præcessisse, demum incepisse cum excessa in Ioanne Caroli V. Regis filio esset liberalitas multarum nimis ditionũ donatione, eamque vellet moderari, à proceribus iudicatum fuisse ditiones omnes ei, hæredibusque vtriusque sexus relinquendas, sola excepta Aureliæ ad masculos restricta in Jan. 1366. sæpius ergo iudicatum est, nisi disertè secus cautum sit, censenda feuda fæminina, quamuis summæ dignitatis in Francia, vbi minora etiam redacta sunt, ad instar patrimoniorum: in ambiguitatibus autem quæ ex legibus *proficiscuntur*, inquit Calistratus *in l. 38. D. de Legib. consuetudinem aut rerum perpetuò similiter iudicatatum auctoritatem vim legis obtinere Seuerus rescripsit, & Paulus in l. 37.* respondit, *imprimis inspiciendum esse quo iure ciuitas retrò in huiusmodi casibus vsa fuit.* vtrumque hic est, & consuetudo, & res iudicatæ, vt diximus. Idem fuisse sensus & donatorum & donatariorum ex eo conuincitur, quod Carolus Joannis filius ante regnum, atque iterum post regnum patris donationem confirmarit, multis etiam verbis:

*quæ habebamus viuente dicto vltimo Duce defuncto in Ducatu prædicto. 7. Pro quibus donatis prædictis dictus filius noster nobis fecit homagium, tamquam Dux & primus Par Franciæ prædictus, & eo modo quo defuncti Duces Burgundiæ tenebantur, & consueuerunt facere, nobis, & nostris prædecessoribus. Ad quod homagium admisimus eundem, quem per hoc emancipauimus, & extra potestatem nostram paternam posuimus, & ponimus per præsentes saluo interim & retento, quòd si dictus filius noster vel sua posteritas, vt prædicitur, procreanda decesserint, quòd absit, absque hærede, ex proprio corpore, succedente in dicto Ducatu, præmissa vniuersa & singula sic donata pleno iure integraliter reuertetur ad nos, & successores nostros Reges, qui pro tempore fuerint 8. nostræ Coronæ domanio applicanda. Per hanc autem concessionem nostram præsentem & donum, Ducatum Turoniæ, quem cum suis pertinentijs dicto filio nostro aliàs donauimus, ad manum nostram ponimus, & retinemus, ordinaturi de eodem ad nostra beneplacitum voluntatis: quapropter damus præsentibus in mandatis vniuersis Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis vniuersis, Ducibus, Comitibus, Baronibus & alijs nobilibus, alijsque clericis & laicis, ad quos pertinuerit quatenus homagia, & deueria, honores, seruitia, & obedientias in quibus nobis tenebantur ante præsentem donationem, ratione Ducatus & aliorum donatorum prædictorum præstent, & faciant indilate. & de cætero dicto filio nostro, suisque hæredibus antedictis, de legitimo matrimonio procreandis, modo & forma, quibus ipsa fecerant, & facere debuerant dicto vltimo defuncto*

vt *apud Miræum legitur d. cap* 105. nec interuit tamen semel verbum vel vnum restrictionis *mascula*. donatarij plura Ecclesijs donaria dederunt, legarunt, super ipso Ducatu vxorum duaria constituerunt sæpius, quæ ipsis defunctis sine controuersia fuerunt soluta. iterum Philippus Bonus Ordinem Aurei Velleris instituens perpetuum illius caput, Ducē Burgundiæ nominat: & si contingat decedere sine stirpe mascula, vt sit gener, vti Dux Burgundiæ. in Pace Atrebatensi, vt capella in memoriam cæsi Ducis fundanda perpetuò sit collationis Ducis Burgundiæ: sine distinctione sexus: & vt Comitatus Masconiensis, Auxerrensis, Barrensis, ad Sequanam, appendices vtique Ducatus Burgundiæ perpetuò competerent Duci, hæredibusq; ipsius masculis & fæmellis: ergo Dux hæredes masculos & fæmellas habere poterat. Hic fuit sensus, mens, interpretatio vsque ad obitum Caroli Audacis: ideoque licet non essent mutanda, quæ certam semper interpretationem habuerant, nec optima legum interpres consuetudo vellicanda *d. l.* 37. 38. *D. de leg.* mirum tamē non est cæso ad Nanceū Carolo Ludouicum XI. hunc cauillum inuenisse, qui etiam alias ditiones pupillæ, vbi nullus color prætexi poterat, inuasit titulo tutelæ: quam in lupinam vertit. *vt in §. Flandr.æ diximus.*

*Duci, per quorum præstationem nos inde absoluimus penitus, & quitamus eosdem, volumusque obediant dicto filio nostro, tamquam Duci dicti Ducatus & Pari Franciæ primo, plenariè & absque difficultate quacumque.*

*Mandamus insuper dilectis & fidelibus consiliarijs nostris, Præsidentibus, & alijs gentibus nostri Parlamēti Parisiensis, vniuersis insuper iustitiarijs & officiarijs nostri regni, præsentibus & futuris, quatenus dictum nostrum filium & hæredes suos prædictos Duces Burgundiæ, & Pares Franciæ recipiant & admittant, ipsosque faciant & permittant vti, & gaudere pacificè è prærogatiuis Francisijs, libertatibus, honoribus, & iuribus Ducatus & Pariatus, & nostram præsentem Ordinationem teneri perpetuò inuiolabiliter: nihil facientes vel attentantes in contrarium quoquo modo: non obstantibus consuetudinibus, statutis, vsibus, & priuilegijs contrarijs quibuscumque, donisque & gratijs dicto filio nostro factis aliàs, & quæ in præsentibus non fuerint expressata.*

*Quod vt firmum & stabile permaneat in futurum nostris præsentibus litteris fecimus apponi sigillum: saluo in alijs nostro, & in omnibus alieno.*

*Datum Germiniaci supra Maternam in die sexta Septembris anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo tertio.*

Per Regem Iuo.

Atque hæc de hæreditarijs domus Burgundicæ, inferiorisque Germaniæ prouincijs sufficiant, quæ exegit obseruantia Principis, Patriæ amor, &, quoad Cassanum ratio legis *diffamari. C. de ingen manumiss.* Nuper Nicolaus Vernulæus Apologia quam edidit pro augustissima gente Austriaca regnorum ditionumque, quas illa vbicumque terrarum possidet, iura asseruit historicè breuiterque: ampliora per otium promittens: sed & *Romano Germanicus Cæsareæ Maiestatis Splendor nebulosum* Cassani *somnium l. 2. cap. 1.* dispersit auctore G. V. H. equite Germano, asseruitque Nationi Germanicæ Imperatoriam dignitatem. narrantur etiam Cassani Somnia prodijsse generalius, sed videre mihi hactenus non obtigit. Verum Vernulæus spero aliquando, vel alius pro cæteris Principum ditionibus idem præstare, & Cassani errores propius detegere operæpretium putabit: si etiam stulto suadeamur respondere secundùm stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur, ne alijs debilibus ingenijs fucum faciat, ne nimium creduli non vera, sed pro veris admittant affabrè concinnata. nam me plura persequi alienum esset ab hoc instituto, siue defendendo quæ Rex Catholicus possidet; siue vendicando illa, quorum possessio aliquando substracta est: multo illa magis, quæ ad exteros Principes pertinent: etiam Britannia minor, domus Valesiæ hæredium, vltimo à Regina Margareta Valesia, cui Henricus IV. repudium miserat, possessum, eaque sine liberis desinente ad Principem Isabellam ex Henrici II. filiâ progenitam, à qua maritoque Alberto Pio Ludouico XIII. apud Senatores Parisienses lis dictata est; & per huius itidem improlis obitum ad Principes Sabaudos sororis illius natu minoris liberos deuolutum: minimè vero Pictauiam, Aquitaniam, Normandiam, peruetus Anglicorum Regum patrimonium, aliaque: quæ si ad iuris Cassani regulas excutiantur, non ritè Coronæ Francicæ inserta dicentur: quibus etsi Angli, aliique felicioribus quàm iustis armis, vel à magicis etiam puellis sint exuti, Cassani regulæ, fortuna benignius ridente, armatam repetitionem permittunt, contemtumque fœderum, quæ ex Ordinum Anglicorum assensu inita non fuerint: qualem Cassanus intra proximam annorum miriadem non produxerit: minimè verò gentium annulos, sigillo Pharamundi, vt supra diximus, dictatorumque legis Salicæ, appensa tabulis, quæ in controuersia Eduardi Regis Angliæ aduersus Philippum Valesium producenda recognoscendaque erant; qua totum Francorum regnum postulabatur. quæ Anglis in suo otio relinquemus; Post hæc pridem edita & votum hic nuncupatum, vt exoriretur aliquis qui Cassano plenius responderet, prodiêre anno 1645. Vindiciæ Hispanicæ à Ioanne Iacobo Chifletio Equite & Archiatro Regio, quibus omnia Cassani similiumque commentaque prosternit, originem veram Hugonis Capeti eruit, masculinum fœmineumque stemma, quo ne ductu quidem fœminino per Capetum à Carolo Magno vllum ius transfusum in Ludouicum XIII. demonstrat, ac pridem Caroli Magni stirpem omnem masculinam interijsse, per fœmineam seriem Philippum IV. à Carolo Magno pluries oriundum esse, quàm Ludouicum XIII. natalium que prærogatiua antecedere, sed & Legem Salicam fœminas ab hæreditate arcentem à Francis ortiuis sancitam esse, ad Occiduos qui hodierni sunt Franci, nullatenus pertinere: illorum etiam Saliorumque proponit originem, quod & præstitit non minus curiosè iam antè Isaacus Pontanus ,...... Salicam illam legem docet per plura exempla à Francis Occiduis in regni delatione

latione non seruatam 1. in Meronæo. 2. Ægidio. 3. Carolo Martello. 4. Pepino. 5. Widone. 6. Odone. 7. Roberto. 8. Rudolpho Franciæ Regibus. 9. Blanchia Regina. 10. Hugone Capeto. 11. Adela Hugonis Capeti nepte. 12. Dugueranno Magno de Conciaco. 13. Joanna Ludouici Hutini filia. 14. Joanna Philippi Longi filia. 15. Eduardo III. Franciæ & Angliæ Rege. 16. Carolo Rege Nauarræ. 17. Henrico V. Franciæ & Angliæ Rege. 18. Henrico VI. Franciæ & Angliæ Rege. Sed neque in Ducatibus & Comitatibus Franciæ occiduæ, vtique Burgundiæ, cæterisque, ac denique perperam Francos occiduos prærogatiuas ortiuorum ad se trahere, quæ illi sibi adscribunt, his competere, vt si argumentis Cassani locus foret illis ea competerent, quæ Cassanus suis attribuit. vt nos non semel diximus de ijs, qui eas nunc ditiones habent, vnde exiêre primùm Franci, Salijque qui ex Sabaudia, vicinisque locis supra Rhenum, mox eo transito, Mosaque suas sedes intra limites Romani Imperij transtulerunt, sed & nos de Belgicis ditionibus mox docuimus in Dominatuum delatione legem Salicam non fuisse seruatam, sed fœminis locum esse datum, non exstantibus masculis, idemque in alijs principatibus ortiuos obtinuisse, infinitis exemplis doceri posset, quæ tam apud ortiuos quàm occiduos, si regna spectes commentum tantum fuisse legem Salicam commonstrant, vt docuimus *l.* 1. *c.* 6. etsi demus in hæreditatibus priuatorum apud ortiuos legem Salicam vsu & moribus receptam fuisse, vt etiam nunc dicitur in Transisalana vicina Cliuensi & Juliacensi auita hæredia inter solos masculos diuidi, filiabus dotem pecuniariam dari Christin. Vol. ........ & quod Sigebertus in Chronic. ad Ann. 422. Franci, inquit, vti cœperunt legibus & legem Salicam dictauerunt per quatuor gentis suæ proceres, credendum videtur potiùs, non sanciendo illam latam esse, sed id quod consuetum foret inquirendo & declarando processisse, sicut vsus feudorum leges feudales vocantur, quæ à Prudentibus quibusdam annotatæ sunt atque collectæ. eoque videtur spectare quod addit Sigebertus causarum origines solicitè tractantes de singulis discutiendo &c. quomodo & Tacitus de moribus Germanorum, ex quibus Franci, scribit non legibus eos sed moribus vixisse, & si sanciendo processum fuisset, non populus aut proceres, sed Rex qui tum erat Pharamundus legem edicere debuisset.

Et porrò *suprà c.* 6. rationem dedimus, cur fœminæ excluderentur à successione agraria, de regno quippiam dicere frustraneum erat, quippè quibus notoria esset omnibus consuetudo Germanorum, quam refert Tacitus omnibus obseruatam, vt Reges ex nobilitate, Duces ex virtute eligerent, vt per Transennam lubet annotare per electionem Reges creatos esse eos quos suprà retulimus ex Chifletio, quam S. Fulco vt ab eo citatur *d. c.* 6. morem, inquit, Gentis Francorum semper fuisse, vt Rege decedente alium de eadem stirpe vel successione sine respectu vel interrogatione Maioris, aut potentioris Regis, eligerent, ex quibus ait Æmilius ius regni Franciæ, non singulorum hominum sed sanguinis esse, sed potissimum colligitur electione deferri moribus restrictam intra sanguinem vt etiam nunc videmus vsu venire in regnis electiuis Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, nisi ratio aliqua liberam electionem suaserit. vt euidens faciunt exempla Chifletij: & auctores omni exceptione maiores, ab eo citati. Clodione defuncto Meronæus ad regendum populum eligitur, eiecto Childerico Ægidium vnanimiter Regem asciuêre, Carolus Martellus, requisitus Rex Francorum fieri noluit, Pipinus secundùm morem Francorum, electus est in Regem, totius militiæ voto, vnà cum authoritate Zachariæ Papæ, Widonem Franci Regem constituerunt curctis petentibus, Odonem Occidentales Franci consensu Arnulphi Regis Regem creant. Robertus regni ferè totius consilio Carolum Simplicem Regem deturbauit, Rudolphus ob meritum suæ probitatis electus est à Pontificibus, ac proceribus totius Gallici regni, Blanchia ex Ludouici test. mente Regina Hugo Rex factus est à Francis, atque electus, atque prouectus in Regem. cætera quæ suprà retulimus exempla sunt eorum, qui idem regnum ex huiusmodi causis prætenderunt quidem quamuis adepti non sint possessionem. Itaque hoc conficitur regnum occiduæ Franciæ tum origine, tum per plura sæcula fuisse electiuum, prout electionis ceremoniæ latè apud Aimoninm & Gregorium Turonensem recitantur, ita notoriè vt ad causarum origines, quas proceres apud Sigebertum solicitè tractare & discutere debuerunt spectare non debuerit, nec proindè ad illorum leges, quas per mallos conuenientes concinnarunt, prosecutus est etiam idem Chifletius quam iure summo atque imperiali iustâ successionis serie neque minus Catholici Reges Hispaniam possideant, origine ac stemmate alijsque ex causis prærogatiuas supra Reges Franciæ diuersas obtineant. Scripsit etiam amplè Joannes Caramuel, Lobkowitz de iure Regis Catholici in regnum Lusitaniæ, libro inscripto, Philippus Prudens Caroli V. Jmp. Filius &c. Nobis iam tempus imperat fœderum, quibus contentiones aliquando sopitæ fuerunt, firmitudinem libro proximo examinatum vt eamus.

# LIBRI SECUNDI.

## CAPUT I.

### *De fœderum obseruantia.*

PRopoſuimus enim initio dicere de Pacis fœderumq́ue vinculo, debitaq́ue in regalibus controuerſijs obſeruantia. Ea in re eximia eſt decretalis Jnnocentij III. Epiſtola ad omnes Franciæ Prælatos olim miſſa ad pacem inter Franciæ Angliæq́ue Reges iuratam ritè ſeruandam. *relata in c. nouit. X. de iudiciis*, eam, quia ſingulariter ad rem præſentem facit, extensè recitabimus cum ſupplementis, vt in Codice Juris Canonici per ipſum Gregorium XIII. edito habetur. *Jnnoc. PP. III. Prælatis per Franciam conſtitutis, nouit ille, qui nihil ignorat, qui ſcrutator cordium eſt, ac conſcius ſecretorum, quod chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Francorum Illuſtrem, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta diligimus, & ad honorem, & profectum, & incrementum ipſius efficaciter aſpiramus: exaltationem regni Francorum, ſublimationem Apoſtolicæ Sedis, reputans ei: cum hoc regnum benedictum à Deo ſemper, in ipſius deuotione permanſerit, & ab eius deuotione nullo vmquam, ſicut credimus, tempore ſit deceſſurum. quia licet interdum hinc inde fiant immiſſiones per angelos malos, nos tamen, qui ſathanæ non ignoramus aſtutias, circumuentiones ipſius ſtudebimus euitare, credentes quod idem Rex illius ſeduci fallacijs non ſe permittet. Non Putet aliquis quod iuriſdictionem illuſtris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cum ipſe iuriſdictionem noſtram nec velit, nec debeat impedire, ſed cum Dominus dicat in Euangelio, ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit. lucratus eris fratrem tuum, ſi non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus: Rex Angliæ ſit paratus ſufficienter oſtendere, quòd Rex Francorum peccat in ipſum, & ipſe circa eum in correptione proceſſit ſecundum regulam euangelicam, & tandem quia nullo modo profecit, dixit Eccleſiæ; quomodo nos, qui ſumus ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ ſuperna diſpoſitione vocati, mandatum diuinum poſſumus non exaudire, vt non procedamus ſecundum formam ipſius? niſi forſitan ipſe coram nobis vel legato noſtro ſufficientem in contrarium rationem oſtendat. non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum ſpectat iudicium, niſi fortè iure communi per ſpeciale priuilegium vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum, ſed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus. Non igitur iniurioſum ſibi debet regia dignitas reputare, ſi ſuper hoc Apoſtolico iudicio ſe committat, cum Valentinianus inclytus Imperator ſuffraganeis Mediolanenſis Eccleſiæ dixiſſe legatur: talem in Pontificali Sede conſtituere procuretis, cui & nos qui gubernamus Imperium ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & eius monita (cum tamquam homines deliquerimus) ſuſcipiamus neceſſariò, velut medicamenta curantis, nec ſic illud humillimum omittamus quod Theodoſius ſtatuit Imperator, & Carolus innouauit, de cuius genere Rex ipſe noſcitur deſcendiſſe, quicumque videlicet litem habens ſiue petitor fuerit, ſiue reus, ſiue in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cum negotium peroratur, ſiue cum iam cæperit promi ſententia, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ Sedis antiſtitis illico ſine aliqua dubitatione) etiam ſi pars alia refragetur) ad Epiſcoporum iudiciũ cum ſermone litigantium dirigatur: cum enim non humanæ conſtitutioni, ſed diuinæ potius innitamur, quia poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo, nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet de quocumque peccato mortali corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correctionem contempſerit per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere. Quod enim debeamus corripere, & poſſumus ex vtriuſque patet pagina teſtamenti. Cum clamet Dominus per Prophetam: clama ne ceſſes. quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & ſubiungat ibid. niſi annunciaueris impio impietatem ſuam, ipſe in iniquitate quam operatus eſt morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram, Apoſtolus quoque nos monet corripere inquietos, & alibi dicit idem: arguè. obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. quod autem poſſimus & debeamus coercere, patet ex eo quod dicit Dominus ad Prophetam, qui fuit de ſacerdotibus Anathot: ecce conſtitui te ſuper gentem & regna, vt euellas & deſtruas, & diſſipes, & ædifices, & plantes, conſtat verò quod euellendum, deſtruendum & diſſipandum eſt omne mortale peccatum. præterea cum Dominus claues regni cælorum B. Petro Apoſtolo tradidit, dixit ei quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Verum nullus dubitat quin omnis mortaliter peccans apud Deum ſit ligatus. Vt ergo Petrus diuinum iudicium imitetur. ligare debet in terris, quos ligatos conſtat in cælis. ſed forſan dicetur quòd aliter cum Regibus & aliter cum alijs eſt agendum. cæterum ſcriptum nouimus in lege diuina ita magnum iudicabis vt paruum, nec erit apud te acceptio perſonarum. Quam B. Jacobus interuenire teſtatur, ſi dixeris ei qui indutus eſt veſte præclara: tu ſede hic benè, pauperi verò, ſta tu illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum. Licet autem hoc modo procedere valeamus ſuper quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, præcipuè cum contra pacem peccatur, quæ eſt vinculum charitatis, poſtremò cum inter reges ipſos reformata fuerint pacis fœdera, & vtrumque præſtito proprio iuramento firmata: quæ tamen vſque ad tempus prætaxatum ſeruata non fuerint, numquid non poterimus de iuramenti religione cognoſcere, quòd ad iudicium Eccleſiæ non eſt dubium pertinere, vt rupta pacis fœdera reformentur? ne ergo tantam diſcordiam videamur ſub diſſimulatione fouere, prædicto legato dedimus in præceptis, vt (niſi Rex ipſe vel ſolidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel ſaltem humiliter patiatur*

tur

*tur vt idem Abbas & Archiepisc. Bituricensis de plano cognoscant, vtrum iusta sit quarimonia quam contra eum proponit coram Ecclesia Rex Anglorum, vel eius exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis literas duxit exprimendam) iuxta formam sibi datam à nobis procedere non omittat. Ideoque vniuersis vobis per Apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientia pracipimus, quatenus postquam idem Abbas super hoc mandatum fuerit Apostolicum executus, sententiam eius; imò nostram verius, recipiatis humiliter, & faciatis ab alijs obseruari, pro certo scituri quòd si secus egeritis, inobedientiam vestram grauiter puniemus.* Bellum ergo exstiterat inter Franciæ & Angliæ Reges, pax coaluerat, iuramento roborata erat: Rex Angliæ querebatur pacem infringi à Rege Franciæ, ille Anglum dicebat vasallum esse, feudi iure acta sua subniti: at Anglus non de feudi lege iam disputari, sed de pacis vinculo, fidem promissorum exposci: interponit se Pontifex, inquiri iubet an Euangelica Regis Angliæ denunciatio veritate nitatur; an iusta aduersus denunciata Regi Franciæ competat exceptio: sin minus, & ille denuntiata reddiderit probata; Rex Franciæ solidam pacem cum Rege Angliæ reformet; aut aduersus eum agatur iuxta præceptum Euangelij, delegatorumque sententia recipiatur, ab omnibus obseruari curetur.

Causam belli glossa, Panormitanus, alijque *d. c. nouit*, aiunt fuisse Comitatum Pictauiensem; Chassanæus *ad consuet. Burgund.* R. 3. *de fiefs* §. 5. plenius refert *S. Guilielmus ex se*, inquit, *erat Comes Pictauiensis, & ex eius vxore tenebat Ducatum Aquitania, ex qua habuit filiam, qua nominata fuit Domina Aleënor, & copulata fuit matrimonio Ludouico VII. filio Ludouici le Gros Regis Francorum, & postmodum repudio inter eos habito, fuit copulata matrimonio Henrico filio Regis Anglia qui postmodum fuit Rex Anglia, & Dux Normandia, & per eius vxorem fuit Dux Aquitania, & pratendebat Comitatum Pictauiensem, sed dictus Ludouicus VII. filius Ludouici Grossi obtinuit pradictum Comitatum, ratione cuius & repudij supradicti initium guerrarum inter Francos & Anglos processit.* Nangius refert ad *annum.* 1204. noluisse Anglum hominium præstare: Auctarium Aquicinctinum à Miræo editum cum Chronico Sigiberti, *Joannes Rex Anglorum*, inquit, *destruxit castella Vilcassini pagi, Gisortium scilicet & alia, vnde tota guerra iam per multos annos inter vtriusque regni Reges fuit exagitata.* feudalis ergo quæstio erat, siue de iure successionis, siue de obsequijs vasalli, siue de nimis munitis locis, adeoque suspectis, inuito Domino non habendis, & quæ ergo Franciæ Rex præsidijs suis tradi vel destrui iusserat, & Rex Angliæ tergiuersatus: eaque erat à Paribus Curiæ cognoscenda: sed in bellum itum erat, & pax exinde composita, & iuramento vallata. *Fædus*, inquit Mariana, *in Historia Hispania l.* 11. *c.* 21. *magis necessarium, quam honestum Anglis, ex quo à Francis capta paulò ante vrbes eis relicta, ea tantum lege vt Blanca Alphonsi Castella Regis filia Ludouico Philippi Regis Gallia filio nuberet nulla alia dote: ea scilicet honestatis species obtendebatur: quòd Ioannis* (Regis Angliæ) *sorore genita esset. Andes ex fædere Anglis dati, Imperij Anglicani maiestatem eo fædere imminutam, non obscurè dolebant Angli, prorsus vt Regem in Angliam trajicientem malignis oculis intuerentur, neque vrbes ineunti faustis vocibus, vt fieri solet, acclamarent*: ita Mariana: non festiuos ignes struerent, non fœdera facto, in vicem suffragij, probarent. & tamen Philippus paulò post Normandiam inuasit, Rothomagum obsedit, totamque ditionem ad corpus regni reduxit, post 292. annos, quo Carolus Simplex illam cum filia in dotem dederit primo Duci Normannorum. vt ait Naugiacus. Philippus siquidem nouum Regem euertere parabat, vt testatur Mariana, & bellum maiori mole coortum, discordiæque flamma Galliam vniuersam æstuasse, *d. c.* 21. *&* 22. Anglosque Francorum armis petitos, *rupto*, inquit *l.* 12. *c.* 3. *per iniuriam fædere, quòd inter vtramque gentem stabat*, de Aquitaniæ etiam Imperio periclitatos. *Rex Francia*, inquit Gloss. *d. c. nouit, non obstante iuramento venit contra illam compositionem, & occupauit Comitatum Pictauiensem.* Rex ergo Angliæ viribus bellicis impar ad sacram anchoram confugit, Sedem Apostolicam, ex qua Innocentius III. detonuit, *Legatos*, inquit Bzouius in *Annal. Eccles. ad an.* 1199. *ad conciliandum Regem Gallorum cum Anglorum Rege mittens, eos ad concordiam ineundam sub censuris Ecclesiasticis compelli pracepit*: iuramentum, pacemque seruari. Sæpè religiosè inter Principes conciliata fœdera sinistris consilijs à timore Dei, & iuramenti religione alienis, perfidè infringuntur. Videamus igitur argumenta, quibus huiusmodi infractio solet palliari.

---

## CAPUT II.

### *An aliqua excellentia, merita & tituli Regum Francicorum huiusmodi Pontificio mandato, fæderibusue obstare possint?*

TRibuit Innocentij decretalis, quam recitauimus (quà regnum illud benedictum à Deo, in illiusque deuotione permanens prædicatur, & quà monet ex lege diuina ita magnum iudicabis vt paruum, non erit apud te acceptio personarum) causam, vt indagemus, an contractis fœderibus, alijue gentium iure obsit. quàm Arroyius longis dissertationibus, Cassanus *l.* 1. *c.* 1. *p.* 2. ac alibi breuioribus, alijque nonnumquam Franci buccinant, excellentia aliqua Regis Franciæ? Reprehendi non potest, quam Deus indidit, natura simiarum, vt præ cæteris animalibus catulis suis delectentur, susque deque versent eos, & strictè nimium amplexentur, vnde natum illud *suum cuique pulchrum.* inuidere non possum, quod Franci Reges suos præ reliquis efferant, encomia, merita, titulos in cælum tollant: adeo vt vix aliqua diuulgetur dissertatio, quin ex illis in scenam aliqua producantur, & venia quidem danda est, cum parergos, vt in commœdijs solent ludicræ quædam personæ interloqui, ad fallendum spectatorum tædium, ea dicunt: sed tolerari non potest, vt aliquid huiusmodi fulcris stabiliatur, quod nec cælo nec terra cohæreat:

vt si disputetur de regnorum iure, de successionum iustitia, de armorum æquitate, huiusmodi paleæ misceantur. & tamen Arroyius alijque nonoulli scriptis suis non inspergunt tantum hæc, vt flosculos, sed etiam argumentorum suorum partes faciunt. qua de re nihil lubet iam dicere, plus satis executus id est Alexander Patricius Armacanus *in Marte Gallico totis* 28. *primis capitibus l.* 1. vbi luculenter disctit Clodouæum delibutum fuisse vnctione baptismi tantùm, non regia (etsi in testamento D. Remigij, quod refert Miræus *in Cod. donat. piar. c.* 1. hæc verba legimus *per eiusdem sacri chrismatis vnctionem ordinato in Regem*) vnctionem Regum spiritualem esse cæremoniam, non imprimere characterem, iteratam in pluribus fuisse, Reginis etiam tributam, non tribuere summam potestatem, sed alias quasdam prærogatiuas spirituales, plerisque Regibus Christiani orbis esse vsitatam (prout *c.* 1. *X. de sacr. vnct.* de Regibus generaliter loquitur) priscos Gothorum Reges ante mille annos vnctos fuisse, adeoque ante omnes Reges orbis Christiani: Pipinum I. Regem Francorum inunctum fuisse; oleum cælitus allatum non tribuere maiorem potestatis eminentiam, quam ab Ecclesia sanctificatum; sed neque strumarum sanationem: quæ & recens est, neque titulum Christianissimi; nec sacerdotium: titulum illum gesta Clodouæi non peperisse, non Clotharij, vel Cloduardi, non Dagoberti, & Lotharij, aut Ludouici V. non Philippi Pulchri: non significasse prærogatiuam honoris apud eos, qui primo eo vocabulo sunt vsi aliquot sæculis: antequam eum Pontifices Romani Galliæ Regibus tribuissent, Hispaniæ Regibus vsitatum, debitumque fuisse: quibus & Catholici concessum, & antiquitus tributum; nec non orthodoxi; eosque gestis suis Hispanos pridem meruisse: ad hæc vltima vsque sæcula, quibus postremas etiam paganorum reliquias toto orbe Hispanico pepulerunt, fidemque Christianam ad vtrosque Indos prouexerunt; in Chynas, aliasque Orientes ignotas ante prouincias, in orbem nouum Americanum intulerunt, aduersus hæreses vbicumque terrarum defensarunt, vnde & religiosissimi & gloriosissimi titulum antiqua possessione, nouoque iure sint adepti: sed & post hæc pridem edita Joannes Jacobus Chiffletius in vindicijs suis Hispanicis *c.* 10. *& seqq.* ostendit quam Rex Catholicus ortu, dignitate, potentia, religione antecellat origines, series, genealogias amplè describit, dignitatem ab Jmperiali maiorum in Hispania Regum cum supremo omnium iure, stemmatibus iterum clarè deductis, vbi è contrà regnum Occiduæ Franciæ coluit Cæsares recognouitque, vt regnum Arelatense pluresque alias hodiernæ Franciæ ditiones membra sunt Jmperij, quoad potentiam, ditionumque multitudinem amplè easdem explicat, prærogatiuam denique antiquitatis etiam quoad Christianismum diu ante in Hispanijs quàm Francia Occidentali acceptum, elucidat mihi tantum illud proposui, vt ex decretali Innocentij monerem nullam Francis tantum esse prærogatiuam à Deo, natura, aut Pontificibus tributam, quæ Dei, naturæ, aut gentium iura soluat, pactis, fœderibus vim suam auferat, bella illis iusta faciat, quæ, ab alijs eodem titulo suscepta, sint iniusta: vbi de iure, iustitia, iudicio agitur, nullam inter illos ac alios cadere acceptionem personarum, manere diuinæ iustitiæ regulam *ita paruum iudicabis, vt magnum*, manere ex iure gentium reciproca pactorum vincula: quibus nec Deus ipso solutum se facit: *quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Psal.*88. Et ne olim Rex Franciæ faceret, coëgit hæc decretalis. sed neque Rex ipse Regum & Dominus dominantium ex sua supremitate & prærogatiuarum omnium immensitatem rerum iustitiam diiudicat: sed *cum sit iustus*, inquit Sap. 12. *iustè omnia disponit. Ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à virtute tua. Virtus enim tua iustitia initium est.* Exterum erit ergo à virtute, à iustitia Regis Franciæ ex personalibus suis dotibus & priuilegijs rerum iustitiam inuertere, aliena postulare.

---

## CAPUT III.

### *De pacto pacis.*

INter summas maiestatis notas refertur arbitrium belli & pacis: vt nec illud decerni, nec hæc confici posset, nisi ab eo penes quem esset summa reipublicæ. *c. quid culpatur* 23. *q.* 1. *c. Dominus* 29. *q.* 2. quapropter qui bellum aliter suscipit maiestatem lædit. *l.* 3. *D. ad leg. Iul. maiest.* & ex contrariorum disciplina, pax inita citra eius, penes quem est summa rerum, auctoritatem, nullius est momenti. adeoque cùm penes populum Romæ summa esset auctoritas, *Senatum*, inquit Salustius, *vti par erat, decreuit suo atque populi iniussu nullum fieri potuisse fœdus.* ecce ius Romanum, quo non sibi domi viuebant tantum, sed vt iure gentium vtebantur. sic & ipse Posthomius in Oratione in Senatu habita, *iniussu*, inquit, *populi nego quidquam sanciri posse, quod populum teneat*, causam addit; *hosti nihil spopondistis, ciuem neminem pro vobis spondere iussistis, nihil ergo vobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis, nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis.* Neque enim, tametsi cuiquam bellum gerendum demandetur etiam cum generali potestate, & libera, ea quæ sunt summæ auctoritatis comprehensa verbis generalibus censentur; sed ei in signum supremitatis, reseruata, penes quem est rerum summa *c. quod translatione. X. de off. leg. l.* 1. *D. de off. eius cui mand. iuris c. vnic. quæ sint regal.* & ideo idem Posthumius, *ne illud quidem*, inquit. *quod quosdam forsitan moueat. refert, Consul, an dictator, an prætor spoponderit*, Magna tamen erat Romæ Consulum, & libera dictatorum potestas. *dictator*, inquit Liuius, *l.*4. *creatus est aduersus cuius vim tribuni plebis, aut ipsa plebs ne attollere quidem oculos, aut hiscere audebat.* sic rescissa est pax Caudina, & quæ cum Iugurtha, cum Brenno, alijsque iniussu populi Dictatoribus facta erat; aliæque; apud Liuium, aliosque, sic Cato censuit *apud Plutarchum in vita Catonis Vticensis, & Iulij Cæsaris* reuocandum exercitum, & Cæsarem hostibus dedendum, quod

quod iniussu populi bellum in Gallia gereret. Sed postquam populus omne Imperium, potestatemque Principi lege Regia detulit, *l.1. D. de constit. princ.* hoc belli pacisque arbitrium est penes solum Principem. *d. l 3. D ad leg Iul Maiest. d. c. quid culpatur.* 23. *qu.* 1. ille solus pacem facit, *Gentil disp. de vnion. Britann. Gudelin de pace cap.* 7. *Vasquez illust. quæst: qu.* 7. 23. nec ab eo auelli potest: *latè Bodinus de repub. cap.1. l.vltim.* atque eo spectat quod populus Regem, à Samuele postulans, *I. 1. Reg. cap.* 8 *constitue*, inquit, *nobis Regem, vt iudices nos, sicut & vniuersa habent nationes*: & infra, *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra, pro nobis*: ecce quasi gentium omnium iure; sacra historia belli, pacisque Iura regibus detulit, nec minus historiæ omnium temporum, nostrique præsertim sæculi vsus Regibus eam competere potestatem contestantur, nec ipsi porrò Galli negauerint.

## CAPUT IV.

### *De pace, quæ partem regni hosti tribuit.*

SEd hoc in controuersiam vocant, cum rebus suis conuenire existimant, an Rex ea lege pacem possit componere, vt pars aliqua regni hosti cedat? negant eam Regi esse potestatem, legibus regni fundamentalibus prohiberi, vsufructuarium hic tantum esse contendunt, vti debere salua rei substantia, vt maritum dotis dominium, restrictum ne alienet, iureiurando obstringi ne regnum minuat, aliaque id genus. & Cassanus *recherchel.2. c.2. pag.41.* regni Arelatensis supremitatem an. 1330. Philippo Valesio Regi Franciæ venditam ab Henrico Jmperatore eo potissimum puncto sartam tectam seruari posse contendit, quod Ordines Jmperij consenserint. *In omnibus*, inquit, *regnis consensus Ordinum auctoritatem præstat venditionibus & alienationibus rerum Dominicalium: ideoque tractatus Madriliensis dissolutus fuit, quod non interuenisset Ordinum Franciæ consensus: & hac consuetudo obseruatur in omnibus alijs Europæ regnis, & notabiliter in Germania & Polonia.* & infra. *nec posset venditio supremitatis regni Arelatensis magis esse valida, eo quod pro necessitate & conseruatione Jmperij sit facta. cum consensu & approbatione Generalium Statuum: in quibus consistit Principalis potestas & auctoritas Soverana.* ita ille. an sanè ita sentiant alij Franci de hac causa, induci non possum vt credam; sanè non ita Albericus Gentil. *tot. disp. de potest. reg. absolut. & disputat. de vnion. Mag. Britann.* omnem Franci etiam supremitatem non penes populum aut regni Ordines esse existimant, sed penes ipsum Regem, & quidem iure ensis sui, non populi concessione. vnde aliàs cum patronus quidam clientis causam in Curia Parisiensi perorarent, & per transennam legem Regiam allegaret, qua populus ei, & in eum potestatem regiam transtulisset, surgente exemplo Regio procuratore, & obstrepente Regem non beneficio populi, sed maiorum virtute, successioneque regnum possidere, Curia patrono illi silentium imposuisse dicitur, *Bodin. l.6. c.5. de Rep.* quod vt de primis Francorum regibus recipiatur, de secunda & tertia linea dici nequit: nam Senatusconsulto Regni Pipinus & Capetus assumti sunt, quamuis Pipino & auctoritas & sacratio Pontificia accesserit. sed, vtut id sit, non credam Cassanum, aliosque aduocatos Regios, cum Regum Francicorum gratia, dicturos, supremitatem regni penes populum, penes Ordines esse: eaque de causa, vt consules, aliósve belli Duces Romanos, iniussu Senatus populique pacem, aut fœdus inire non posse, quo res Regiæ minuantur. nam & hoc est quod dictator Camillus apud Liuium *d. 1. l. 5.* negat pactionem, à Senatu populoque Romano quamuis factam, de redimendo Capitolio mille auri pondo ratam esse, *quæ postquam*, inquit, *ipse dictator creatus esset, ab inferioris iuris magistratu facta esset.* vt huiusmodi pactiones iure negari nequeant ijs competere, qui non habeant alium superiorem. dicendumque ideo est, quod quidquid apud Romanos olim potuerit Populus, potuisse deinde Jmperatores, & in Francia Reges: aliunde ergo quærendam causam cur non possint.

## CAPUT V.

### *An obstent regni leges fundamentales?*

LEges Salicas, vt aliquas esse, & veras demus, nullas tamen in ijs esse inuenias, quæ de regnis loquantur, sed *de terra* quidem & *hereditate*, quam & ipse Cuiacius allodium significari interpretatur: neque reperias regni partisve alienationem prohibitam, sed *vt de terra Salica mulier nullam partem habeat, sed vt tota hereditas ad filios pertineat.* quod de allodiali hæreditate decretum (quasi quod in priuatis placuit, ad publicam regni successionem administrationemque pertineat, vt quot in membris iustum æquum visum est, in capite non displiceat; & quod in feudis seruandum vasallis proponitur, à Dominio principali non reijciatur) existimare licet Ordines Franciæ mouisse maximè cum Philippo Valesio regnum detulerunt consanguineo ex stirpe mascula remotiori, reiecto Eduardo Rege Angliæ stirpe fœminina proximo. quamuis aliàs in regni successione, partitione, & administratione non idem seruatum fuerit, quod in re priuata. & eam regulam in regnis cessare bene tradit Gudelin. *de feud. c. 3. p. 3. n.15.* quod in prima Regum Francicorum, & secunda linea, vt ipsemet fatetur Cassanus *Recherch. l.2. c.1. p.2.* pro arbitratu suo Reges regna diuiserint inter filios summo vbique iure imperantes, filiabus etiam partes in dotem dederint, pacti sint, transegerint, Normannis alijsque prouincias pro Sedibus dederint, alijsque pacis fœderibus diuersimodè distraxerint diminuerintue: prout temporum ratio exigebat pluribus infrà demonstrabimus. Jd nunc negamus, vllas esse fundamentales regni Francici

leges

leges, quæ disertè populi iniussu pacem fieri vetent, qua aliquid ex regno hosti cedat, præsertim dum cogit necessitas, quæ nullam patitur legem. & quamuis ergo Cassanus *l. 2. c. 5. p. 155.* id ad leges Salicas referat, negamus esse vllam in ijs mentionem.

Nec vero, si qua Regum edicta nuperis sæculis super domanijs ritè administrandis, recuperandis, incorporandis quippiam ordinant, non leges Regni fundamentales illæ vocantur, neque Regibus ipsis illam auctoritatem, vel vim regni auferunt, aut ad Ordines transferunt, sed ministris tantum præcepta figunt, iuxta quæ domi iudicent & administrent, sed & illis est permissum de domanio quid alienare. *vt latius Le Bret de la souuerainité l. 3. c. 1.* vt ad ædes votiuas ob victoriam struendas, dotandas, liberis Regijs prouidendum, ad regem captiuum redimendum, merita in regnum compensanda, similibusque de causis, vt illas edictum 1562. complectitur. quinimò etsi daremus leges esse fundamentales, quæ Francis Regibus adimant minuendi regni potestatem, tamen sicut in eadem repub. res priuatæ cedunt publico bono: in concursu iuris ciuilis Francici cum iure gentium hoc præ illo valeret: adeo vt nec Reges contra ius gentium statuere quicquam possint. *Azor. Inst. Moral. p. 2. l. 11. c. 4. q. 5.* & edicta tantum in sphæra regni sui ligarent, non cùm inter se Reges contrahunt, aut colliduntur. *vt diximus supra l. 1. c. 10.* adeoque obtineret, quod iure belli captum ex regno fiat capientis: quod iure pacis, quà bellum necessario redimitur cessum, fiat eius cui est cessum, nisi non summa rerum potestasque apud paciscentem, sed Populum, Ordines, aut optimates fuerit, quo casu nec gentium iure pacta eorum valent, quibus paciscendi ius potestasue abest: igitur aliundè rursum quærendum est, quid obsistat.

## CAPUT VI.

### *An leges communes id vetent?*

DEscendendum igitur est ad leges communes, easdemque quas consuetudinem vocat omnium Europæ regnorum Cassanus: *vbi supra,* aut si lubet ex ipsa prius lege Regia, qua populus in Vespasianum potestatem omnem contulit. *vti scilicet quæcunque ex vsu reip. maiestate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumque rerum esse censebit, ei* (Vespasiano) *agere, facere ius potestasve sit: vti Augusto fuit.* ita hanc referre dixi *in Iud. l. 4. c. 4. n. 2.* Besoldum ex ænea tabula. ius ergo regium, potestasque est agendi, paciscendique, quæ ex vsu maiestatéve reip. esse censebit: potestas ei defertur simul & censura: olim si consules aliive belli Duces de pace paciscebantur, clausula inserebatur, *ita id ratum fore, si populus censuisset:* ita Liuius refert initum fœderi à Romanis icto cum Asdrubale, atque aliàs; censura ergo hæc Vespasiano etiam lege regia delata est, non populo iam amplius reseruata. quin & idem Besoldus *disp. de fœd. iur. c. 3. ait SC.* tum de imperio Vespasiani factum, *quod Romæ,* inquit, *in Capitolio extat, & à D. Grutero inter inscriptiones totius orbis relatum fuit, expreßè potestatem fœdera contrahendi Imperatori confert, fœdus cum quibus volet facere liceat, vti licuit diuo Augusto.* vnde vt olim fœderibus inserebatur, ita illa fore si Populus censuisset; ita illud deinde arbitrium ad Imperatorem delatum est. hinc illud Taciti 15. *Ann. donec referantur literæ Neronis, an paci annueret.* Sed vt potestas omnis à Deo est ordinata, ita in ædificationem non in destructionem instituta. D. Paulus 2. *Cor. c. 13.* Reges ergo & censuram vt viri boni, *l. 75. de leg. 1.* & potestatem habent, vt iusti, ad regna seruanda, conditionemque eorum meliorem, non deteriorem reddendam, pro lubitu quidem & arbitratu, ne illa imminuant: sed si dura necessitas, vt illa seruentur, minui compulerit, ius, potestas, censura, Regibus competit: dum non nisi, vt boni medici, vrunt & secant, dum omnia alia remedia sunt desperata, & ipse Cassanus, *d. l. 2. c. 2. p. 2. p. 42.* ac alibi: *vt hic infra* alienationem admittit ex necessitate, & pro Imperij conseruatione, ad modum quo res pupillorum, ciuitatum, & Rerum-publicarum alienari possunt. *iuxta l. vlt. de reb. ciuit. C. l. 12. l. rempublicam C. de iur. reip. l. si secundum. C. eod.* vtique cum curatorum auctoritate, decreto præsidum, ex necessitate, & quandoque ex euidenti necessitate: *tot. tit. D. & C. de reb. eor. qui sub tutela vel curatela sunt sine decret. non alienand. tot. tit. X. & in 6. de reb. Eccles. non alien.* Sed tamen non parum interest inter huiusmodi alienationes; & regni administrationem. quippe illa semper tutorum auctoritatem, præsidumve decretum, vt superiorum, respicit, cuius ius, potestas, censura apud regem tota est. ita legum regiarum scientissimus Salomon Hiran dedit 20. oppida 3. *Reg. cap. 9.* vtique ob ligna in vtilitatem reip. seu templi structuram tradita, Rex autem Iudæis dari postulatus fuit, vt habebant cæteræ nationes: 1. *Reg. c. 8. & 10.* si ergo id Salomoni licuit iure Regio; & aliarum nationum regibus licuit. Ad quid ergo, inquies, Ordinum consensus efflagitatur aliquando? Ad quid illum etiam non quidem exegit Carolus V. sed obtulit Franciscus I. in tractatu Madriliensi? vtique declarationis causa, vt ex viri boni iudicio censura potestasque exercita videretur, atque ex vsu, necessitateve reip. vt quæ in alterius arbitrium conferri solent, in boni viri conscientiam relata iure censentur; faciliusque adeo seruetur quod ab omnibus probatum est: ad vitandam denique calumniam, ne populus atque Ordines, quibus iuramentum de non minuendo regno præstitum est, in illud impegisse Regem existiment. Id quidem nemo iuerit inficias, si nulla iusta sit causa Reges regna dilapidare non posse, vt insana fuisset Neronis prodigalitas cuncta vectigalia tollere, idque donum generi mortalium dare volentis; cui refragatus est vtique senatus inquiens dissolutionem imperij futuram, si fructus, quibus resp. sustinetur, diminuantur. quippe sublatis portorijs, sequens vt tributorum abolitio expostularetur: Imperium autem sine vectigalibus retineri nullo modo potest, neque

quies

quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. huiuſmodi ſane alienationes irritæ ſunt vbique gentium, effuderat Nero bis & vicies mille ſeſtertium. Galba appellari ſingulos iuſſit, decima parte liberalitatis apud quemque relicta, *iuſtiſſimum*, inquit Tacitus, *fuit, hoc inde repeti, vnde inopiæ cauſa erat.* Alexandro, *apud Lamprid. dies numquam tranſijt, quin aliquid manſuetum, ciuile, pium faceret: ſed ita vt ærarium non euerteret.* Hæc vtique regula proborum eſt Principum, cum neceſſitas non aliud exprimit. Cæterum omnino ſtatuendum eſt, (quamquam liberiorem multi Iuriſconſ. primæ claſſis facultatem faciant, vt quos citat Vaſquez illuſt. controuerſ. *c.* 3. 4. 5. 6. tamen) tum ſaltem poſſe Regem pacem pangentem regni partem cedere, ſi iniqua fors iubeat. quæ vel ideo dicenda ſunt, quod pacem pangentes, pro ſe, ſubditis, ac ditionibus paciſcuntur ſuper bello, re ipſa, ne quis deinceps ex eo quidquam petat, adeoque quidquid vtrimque bello quæſitum eſt, quærentibus manet, niſi expreſsè ſecus cautum ſit: titulus enim pacis hoſtilitatem deinceps tollit, non effectus belli præteritos irritat, niſi pactis vt dictum eſt expreſſum ſit: adeoque, quas quiſque vrbes aut loca bello capta obtinet, eadem retinet, niſi pactis reſtitutio ſit addicta. *Grot. de bell. iur. l.* 3. *c.* 9. *n.* 4. ideoque nec ipſe nec ſucceſſor aliquis aduerſus pacta illa petere poteſt, nec quæ belli titulo iam capta habentur, auferri vllatenus poſſunt, etiam pace ſolum pacta, hoſtilitateque prohibita, nam pacis ſubſtantia in eo conſiſtit. Sane Poſthumius apud Liuium non dicit cum diſtinctione Conſules pacem componere potuiſſe, ſed non eam qua pars reip. alienaretur, ſed ab euidentiori tantum ita argumentatur, *quid ſi ſpopondiſſemus vrbem hanc relicturum populum Rom.? ſi incenſurum, ſi magiſtratus, ſi leges non habiturum?* pacis pactio ergo qualiſcumque Conſulibus erat inhibita, Populo reſeruata; poſt Jmperatoribus Regibuſue omnem Populi poteſtatê lege regia nactis permiſſa. nam aliàs argumentum Poſthumij erat abſurdum; paciſci Conſuli non licet, vt vrbs deſeratur, ergo nullam pacem paciſci poteſt, niſi omnis omnino Pax Populo reſeruata fuiſſet æqualiter. In ijs porrò quæ bello capta non ſunt, bellatores conſiderandi ſunt, vt in priuatis cauſis litigantes: atqui tutor & curator, cui lubenter Caſſanus comparat Principes, quantum ad prouidentiam pupillarem domini loco habetur. *l. tutor. D. de adminiſt. tutor.* quare etſi iuſiurandum detulerit, quod inſtar pacis & tranſactionis eſt, ratum id haberi debet: nam & alienare res, & ſolui ei poteſt. *l. iuſiurandum §. ſi tutor. D. de iureiurand.* etiam cum fure tranſigere poteſt: *l. interdum §. qui tutelam. D. de furt.* quin & propius in adminiſtratoribus reipublicæ Jmperatores *in l.* 12. *C. de tranſact.* ita rem explicant, *præſes prouinciæ æſtimabit, vtrum de dubia lite tranſactio inter te & ciuitatis tua adminiſtratores facta ſit, an ambitioſe id quod indubitatè deberi poſſet remiſſum ſit: nam priore caſu ratam manere tranſactionem iubebit; poſteriore vero caſu nocere ciuitati gratiam non ſinet.* Sequuntur omnes ſcribentes, vt liquidum ambitioſa donatione profundere eis non liceat, ſuper re dubia tranſigere mandatæ adminiſtrationis reip. poteſtate ſit comprehenſum: quanto magis Regum & Principum auctoritate continebitur, de re belli verè dubia tranſigere, qui præſidem non habent ſuperiorem, à quo tranſigendi decretum debeant poſtulare? ſunt populi, quibus pars in rep. competat, qui Principes habent non vndequaque abſolutos, qui & leges Principatus habent, ne ſine ſcito aſſenſuque populi Principes bellum indicere, pacem pangere poſſint: quibus lege id eſt ademptum: de his non agimus, ſed de ijs quibus id non eſt exceptum. Lex Francorum nulla profertur, ne hæc Rex non poſſit: vt diximus *proximo cap.* communi ergo lege regia competet. præſertim cum & iure feudorum disertè deciſum ſit feudum compromiſſo poſſe alienari, & tranſactione: *l.* 2. *feud. tit.* 26 *§. ſi vaſallus eod. l. tit.* 18. 34. & 46. *ſi vaſallus de beneficio ſuo*, inquit, *d. §. ſi vaſallus agat vel conueniatur. ſiue obtineat, ſiue non, licet ignorante Domino ſiat, omni tempore firmum erit iudicium: nam & tranſigere rectè poterit.* leges porrò feudales, tam à Caſſano, quam alijs in regalibus quæſtionibus quàm maximè citantur, ſi vaſallus ergo tranſigere rectè poteſt, cum priuatim id ei viſum erit, non id permittetur Domino cum cauſa publica ſuadebit? cum periculo reſp. eximetur, cum victoris arma ſiſtentur, cum Rex redimetur, cum iactu rerum aliquarum nauis leuata portum aſſequetur, alioquin peritura? Legem Rhodiam de iactu prudentia & æquitas naturalis inuenit, eaque tanti ſemper fuit, vt Antonius Jmp. Eudæmoni naufragium paſſo reſponderit; *Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris, lege id Rhodia, qua de rebus nauticis præſcripta eſt, iudicetur. l.* 9. *D. ad leg. Rhod. de iact.* ergo ſi nauem reip. tempeſtas inualeſcit, iactus prudenter fieri poteſt: ſupra mundi Dominum, legis Rhodiæ æquitas tum hic Domina erit, quæ nec quærit an ex inſtitoris decreto iactus ſit factus, ſed an ex iactu cæteræ merces ſaluæ ſint *l.* 1. & *tot. tit. D. eod.* vnde & pyratis permiſſum dare, & datum omnes ſarcire debere conſtitutum eſt: *l.* 2. *§. ſi nauis D. eod.* anchoras, armamenta, funes præſcindere, ne dum his leuandis mora impenditur, claſſis præternauiget & periculosè ſola nauis ponè nauiget. *Quintin. Weytſen tractat. teuton. de Auarijs ſeu lege Rhodia argumento l habitatores. §. fin. D. loc.* Quare rectè Cicero, *omnino*, inquit, *deoff. l.* 1. *qui reip. præſunt, duo Platonis præcepta teneant: vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agant ad eam referant obliti commodorum ſuorum: alterum, vt totum corpus reip. curent; ne cum partem aliquam tuentur reliquas deſerant. vt enim tutela, ſic procuratio reipub. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt.* ex his ergo præceptis Platonis ſtatuendum eſt, cum in rem regni eſt paciſci cum aliqua imminutione, poſſe id Reges; debere etiam, cum periculum eſt, ne ſi præfractè vnam tueri tenereque velint partem, totum regnum amittant, quod ſi receptum ſit, vt Rex pacem contrahens etiam priuatorum res poſſit concedere, iniurias illatas,

damna

damna data remittere: *Vasquez. illust. l.* 1. *c.*4. *Molin. de iust. tit.* 2. *d.* 117. *Malder. de iust. de bello d.* 6. *Duaren. ad l. conuentionum. D. de pœn.* quod & Transibulus curauit Athenis fieri *Valer. l.*4.*c.*1. & Cicero Romæ suasit,*Philip.*1. & vbique passim vsurpatur: *vt diximus in Ind. l.* 4. *c.* 19. *num.* 9. quid ni regni partem possit, in quod maius Rex ius habet salem, quam in res singulorum? & quidem de vrbibus, arcibus, territorijs bello iam captis, non potest rectè quæstio moueri, quia iam iure belli hostium sunt, *tot. tit. D. de captiuit. diximus ibid. num.* 10. *& l.*4. *c.*10. *nu.* 10. *plenius*, atque cum non in hostium ea peruenerunt potestatem, sed prælio victor obuia quæque sternit, vt cætera seruentur, etiam ex nondum occupatis cedi aliquid potest. *Gudelin. de pac. c.* 9. *Vasq. illust. quæst. c.* 4. 5. 23. Varro pulchrè, *digitum præscindi oportet, si ob eam rem grangræna non sit ad brachium ventura.* Quid quod etiam victo Antiocho victor Scipio terras bello iam captas restituit? *quas*, inquit, *apud Liuium l.* 37. *pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus.* quid quod Scipio bello Carthaginensi confecto *apud Liuium d.* 3. *lib.* 10. *in fin.* Massanissam ad regnum paternum, Cirtha oppido, & cæteris vrbibus agrisque, quæ ex regno Siphacis in populi Romani potestatem venissent, adiectis donauit? quid, quod Gothis alijsque gentibus sæpius ab Jmp. Rom. assignatæ sedes, dati agri, etiam Normannis à Franciæ Regibus? quin etiam veterator ille Tiberius Lentulo Getulino, qui legionibus Germanicis præerat, multa largitus est, ne quid periculi concitaret: cum ille scripsisset Tiberio, successorem se non aliter quam indicium mortis accepturum, adeoque firmaret velut fœdus, quo Princeps cæterarum rerum poriretur, ipse prouinciam retineret, quæ denique veterum historiæ suorumque annales leguntur, vbi non ad belli finem vrbes, castra, agrique aliqui his abscissi, illis attributi memorentur? *vt l.* 5. *D. de Iust. & iur.* dicuntur introducta bella, discretæ gentes, condita regna, agris termini positi, idque adeo frequens fuit apud veteres, vt Tacfarinas desertor & prædo ad Tiberium legatos miserit, vt sibi, suoque exercitui sedes in Africa concederet, alioquin nullum bello finem fore: vt refert Tacitus. *l.* 3. additque *non alias magis sua populique contumelia Rom. indoluisse Cæsarem, quam quod desertor, & prædo hostium more ageret.* Jn more ergo gentium, iureque consueto erat, sedes peti, darique ab hostibus. Sic apud Liuium *d.* 1. *l.* 10. ab Hetruscis Galli sedes petebant: *multa*, inquit, *de eo consilia populorum Hetruriæ habita, nec perfici quicquam potuit, non tam quia imminui agrum, quàm quia accolas sibi quisque adiungere tam efferatæ gentis homines horrebat.* Nonne in ipsis Romani Jmperij cunabulis Metius Suffetius Albanorum dictator, & Tullius Romanorum Rex solus magna tamen fœderis ceremonia *apud Liuium l.* 1. conuenit, vt Jmperium penes eum populum esset, ex quo in duello victores fuissent, Curiatij seu Horatij? & cùm fortuna Romanis fauisset, dedit Tullus, accepit Suffetius, mandata, vt iuuentutem in armis haberet? denique per totas Liuij decades, Taciti, aliorumque annales, & historias nihil frequentius, quam fœdera pacemque contrahi, quibus vrbes, agrique etiam adimantur, cedantur, donentur à populis quidem, penes quos maiestas, rerúmve summa esset, alioquin ab ipsis Regibus solis, suorum iniussu. nec tamen Romani, iuris belli pacisque scientissimi, tam supini fuerunt, vt ignorarent conditionem eorum, quibuscum contraherent, iuxta normam *legib.* 16. *de reg. iur.* Et pro Francis sanè Cassanus probat, vt iustam alienationis causam, sumptus belli, quibus regna recuperentur, conseruationem vitæ, *l.* 1. *c.* 5. *p.* 275. & conseruationem status, & necessitatem regni: *l.*2. *c.*2. *p.*42. *l.*1. *c.*8. *p* 392. *l.*2. *c.*2. *cum periclitatur*, inquit, *status, tempore belli, cum hostis in visceribus regni est, possunt regni res alienari*, quia vrgens necessitas fortior est lege prohibente. *lib.* 1. *c.* 1. *p.* 56. ita Cassanus, cùm pro Francis disfertat. quotiescumque vtiliter regni negotium gestum est. adde quæ ex *le Bret suprà l.* 2. *c.* 5. *diximus*, & vide an Reges in Francia tantilli sint, & Franciscus I. fuerit tantillum de Francis meritus, vt nihil potuerit remittere ijs fœderibus, quibus vita ei dabatur, & libertas, ac vicissim magnæ ditiones, iuraque remittebantur: quæ pacis Madrilianæ tabulis recensentur.

---

## CAPUT VII.

### *An iuramentum de non alienando Regibus iustæ necessitatis causa coactis refragetur?*

IAm ergo de iureiurando videamus, quo Reges Franciæ obstringuntur in sua inauguratione. quod admodum extollit Cassanus *l.* 1. *c.* 1. *p.* 80. *exuunt se*, inquit, *Reges in sua inauguratione absoluta sua potestate, eamque hic impotentem faciunt*: at id negatur, cum administratio reip. suadet, & *c. vlt p.*403. effectum tribuit irritandi alienationem: at vero iuramentum firmat quidem pactorum obligationem, sed vltra huius terminos non extenditur: itaque iuramentum hoc inutiles alienationes cohibet, pactum vt vltra hos non extenditur, ita neque iuramentum: *c. pen. X. de iureiur. cap. fin. X. de ædific. Eccl. vbi Tusc. V. iurament. concl.* 708. sed & insuper iure decisum est, obligare quidem iurantem, rem autem non afficere iuramentum: *c. sicut. X. de sponsal. Couuar. in c. quamuis de pact. in* 6. *p.* 2. §. 2. *n.* 2. *& seqq. vbi & de casu nostro in terminis.* sic qui iurauit non testari, non reuocare testamentum, si quidem testetur reuocétve, & si peieret, valet tamen testamenti factio: post *Couuar. Gutier. de iuram. confirm. l.*2. *c.*1. *sic in alijs Tusc. V. iuram. concl.* 512. 513. 514. sed vt id omittamus, idem Cassanus *l.*1. *c.vlt. p.*403. ad virtutem huius iuramenti demonstrandam citat *c. intellecto*, malè intellectum. *X. de iureiur.* quod explicat *Couuar. vbi suprà*, vt alienationes Regis adeò sint irritæ, quod

quod factæ ſint in præiudicium regni, non quia iuramento contrariæ. Porrò *d. c.* intellecto agit de Rege Hungariæ: ſed & conſcius eſſe debet domeſticas iuramenti vires maiores non eſſe, quàm ſint in alijs regnis. atqui ego in Europa nullum eſſe exiſtimo, cuius Reges, illud non præſtent, par erit ergo omnium conditio, illudque multos titulos impedierit; quibus regna ditionéſve totæ vel partes in manus aut iura Francorum Regum veniſſe prætenduntur; aut non magis illud Francicis alienationibus obeſt, quàm alijs. & ſanè eo iuramento non obſtante in *c. licet. X. de voto.* Hungariæ Rex grauauerat regnum, ſucceſſorémve profectione Ieroſolymitana, oneroſis ſumptibus atque expenſis; & tamen Innoc. III. ſummus Pontifex ſucceſſori filio primogenito ſcribit, vt illud grauamen ſubeat, aut regno cedat: iuramentum ergo huiuſmodi interpretationem capit ex materia ſubiecta, obligationem illud intendit, non extendit aut ampliat. *Tuſcus de iuram. concluſ.* 501. 2. 3. 507. 508. iureque permiſſa non excludit. *conc.* 508. ſed potiùs ſtricti iuris eſt & reſtringitur. *c. pen. X. de iureiur. & ibi* DD. ideoque quo caſu iuſta eſt alienatio regni, ditionis, partiſve, iuramentum, niſi aliud tabulis diſertè contineatur, non eſt impedimento; nec verba dubia trahi in eum ſenſum debent, vt abdicent ſuam Regi poteſtatem: ſed ad iuris ſenſum explicanda ſunt. Vnde Prælatus, qui iurauit non alienare res Eccleſiæ, non impeditur eas alienationes facere, quas ius permittit *c. vt ſicut in X. de reb. Eccl. non alien. & ibi Panorm. Silueſt. in ſum. V. alien. n.* 16. Gutier. *de iur. c. 1. & 2. in p. t. c.* 52. *n.* 3. & in terminis regijs *num.* 7. vt rerum ſterilium & exiguarum *c. terrulas* 12. *q.* 2. in feudum, emphyteuſim dari ſolitarium *c. 2. X. de feud. c. 5. X. de donat.* Choppin. *de ſac. pol l. 3. t.* 7. ſimiliúmue: neceſſariam denique alienationem, vt ſenſuum redimibilium Choppin. *de ſac. pol. l. 3. t. 6. n.* 3. 4. 14. 15. Denique ſi vrſerit Eccleſiæ neceſſitas, vel euidens vtilitas, *c. dudum de reb. Eccleſ. non alien. in 6. Tuſc. V. iuram. concl.* 508. Itaque quemadmodum bona Eccleſiæ in redemptionem captiuorum diſtrahi poſſunt, *c. & ſacrorum. c. ſacrorum cum redemt. c. aurum. c. gloria* 12. *q.* 2. & filij vt ingrati exhæreditari, qui patrem captiuum non redemerint: §. *aliud in Auth. vt cum de appell.* ita non dubitandum ſi Rex capiatur ab hoſte, ſi reſp. à periculo redimenda ſit, præſcindere aliquid de regnis quin liceat Principi, patri patriæ, *de quo Caſſanus l. 2. c. 4. p.* 104. laudat illud Senecæ: *Ita temp. Cæſar induit, vt ſeduci alter ſine alterius pernicie non poßit?* ſi Princeps ergo captus perpetuò ſeduceretur, auertenda eſt illa reipublicæ pernicies, & elargiendum aliquid eſſe reip. ita ſerpentes, quorum prudentiã nos imitari Chriſtus iuſſit, *Matth.* 10. vt caput ſeruent, corpus ſecandum præbent. id tamen intereſt, quod in huiuſmodi alienationibus, Prælatus ad ſuperiores debeat recurrere, vt & curatores rerum pupillarium, ciuitatum, prouinciarumque, qui cauſa cognita decretum, & auctoritatem interponunt: at Rex ipſe, quia ſuperiorem non habet, de cauſa ſuæ alienationis cognoſcit, decernit, auctoritatem quam ipſe ſupremam habet, interponit: maieſtatem lædit, qui aliam neceſſariam, niſi ex arbitrio, quo religioſius inſtruatur, deſiderat. Ad quem modum *lex* 8. C. *de leg. & Conſt.* Senatus auctoritatem in legibus ſanciendis requirit conſilij cauſa non verò, quaſi quod Principi placuit, legis non habeat vigorem: ſi ſciens prudens Senatus deliberationem velit omitti. ſi itaque iuſtæ atque à iure probatæ ſint cauſæ, cur aliquid alienandum ſit, iuramentum huiuſmodi alienationem non irritabit. quod eo fine tantùm proponitur, ne Reges poteſtate abutantur, regna dilapident, non in ædificationem, ſed deſtructionem adminiſtrent. ſic deciditur *in c. fin. X. de Eccl. ædif.* Epiſcopum non obſtante iuramento teneri ad alienationes Eccleſiæ neceſſarias, iure permiſſas.

---

## CAPUT VIII.

### *An vis, metus, carcer poßit fœdera irritare?*

ETiam hanc exceptionem prætexunt Franci vt Caſſanus *l. 1. c. 5. p. 293. ac alibi.* quam ſanè Bodinus politico iure Regibus indignam cenſet. *de rep.* & ſanè Magnanimum eſt elogium *nec ſpe nec metu*; ſi referatur, *in Dominum adiutorem*: ſed regium tamen eſt. neque verò ea exceptio iure gentium vmquam fuit recepta: ſed belli indicti ab ijs qui ſumma auctoritate pollent, pro iuſto habitus eſt metus. *Grotius de iur. belli l. 2. c. 17. n. 19. l. 3. c. 19. num.* 11. neque, vt captiuus libertatem conſequatur, iura gentium, niſi victoris aſſenſum, quodcumque lytrum exegerit, tribuunt exceptionem: nec ſanè Romani in ſummis reipublicæ afflictionibus vſi vmquam ea exceptione, non apud Brennum Capitolium ad redemptionem adigentem, non apud Samnites, Poſthumium totumque exercitum ſub iugum mittentes, non apud Numantinos, aut Annibalem poſt cladem ad Traſimenum & Cannas, vt octo millia captiuorum redimerentur. iuris gentium ſunt bella, captiuitates, ſeruitutes, lytra, regna condita, dominia diſtincta, pacis bellique commercia *l. ex hoc iure 5. D. de inſt. & iur. l. conuentione D. de pact.* neque verò vis, metus, carcer, ſimiléſve belli effectus à bello vmquam abſunt, & tamen *d. l.* 5. pactorum nomine comprehenduntur, quæ ſuper ijs homines paciſcuntur. quin etiam in illis vera eſt lex 1. *de D. pact. l. iuriſgentium. D. eod.* quod eius obſeruatio ſit ex æquitate naturali. *quid enim*, inquit, *tam congruum fidei humanæ quàm ea quæ inter eos placuerunt ſeruare? pactum autem à pactione dicitur, inde etiam pacis nomen appellatum eſt.* ita Vlpian. *d. l.* 1. adde gentium iure victori in captiuum ius eſſe vitæ & necis, & illud ſacrum; *quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Matth.* 16. *Marc.* 8. an ergo Regum Francorum animæ ſunt viles, vt redimi nulla vrbecula in commutationem data poſſint? religioſè

profectò Maximilianus Austriacus Poloniæ Rex electus cùm in hostium potestatem venisset pacta eiusmodi metus, vis, carceris nomine non accusauit, nec ipse regnum repetijt vnquam, nec alius ex familia Austriaca eiusmodi quidpiam suasit, qui tamen non defuisset si fidei etiam taliter datæ obseruantiores non essent, aut monarchiam meditarentur, quæ semper ijs obijcitur, & de qua agemus *l.* 3. *c.* 6. & sanè aut bello captos fatendum est promissis teneri, aut redeundum ad captos occidendi plus quam barbaram crudelitatem.

## CAPUT IX.

### *Eiusdem argumenti, & an fœdera ab ipsis paciscentibus saltem Regibus seruanda non sint?*

Laudat Reguli factum Cicero *de off. l.* 3. & *Valer. Max. l.* 1. *c.* 1. D. Augustinus *de ciu. l.* 1. *c.* 18. quod maluit ad Pœnos redire, quam fidem fallere: cui modo loquendi locus non esset, si promissio non fuisset rata: nec enim hostilis vis supra fidem ponenda est: *nulla res*, inquit Cicero, *tanta existit, vt possit mihi maiorem vim adhibere metus, quam fides.* & *quamuis vis maior sit, etiam quæ proficiscitur ab hoste, respondemus attamen iustam legitimamque esse: sed & neque ita appellari, nisi quam diu ferro res agitur, sed si quid cum eo pactum est, si fide, si religione interueniente, conditionem, non vim; ius non iniurium esse.* quare & Cicero de Regulo, non tantùm quod gloriosè fecerit laudat, sed neque aliter facere potuisse asserit: *non debuit*, inquit, *conditiones, pactionesque bellicas perturbare periurio.* ergo captiui redire promittentis, nec redeuntis, periurium vocat. Sed neque edictum prætorium ad eum metum pertinet, qui iure infertur, vt bello iusto: *l. si mulier. D. quod met. caus. quæ latiùs prosequitur Ayala d. c.* 6. *num.* 3. 4. vbi Ferrandum Diaconum ad Reginum Ducem de officio pij & Christiani Ducis citat in hæc verba; *cum quibuscumque bella suscepta sunt, aut nulla fide data bello aut pace facta, inuiolata fide iurisiurandi resp. seruanda, vel adiuuanda est.*

Sed & Cassanus *l.* 1. *c.* 5. *p.* 264. probat Frederici Neapolitani obsessi intra Castellum nouum à Ludouico XII. Rege Franciæ cum eo pacta, quibus omnibus regnis renunciat, *l.* 2. *c. vlt. p.* 250. Guilielmi Cabilonensis captiui, quibus supremitati renunciat Principatus Aurausiensis Ludouico XI. Clementis VII. obsessi, quibus censum octo millium vnciarum auri remiserit: *l.* 1. *c.* 5. *p.* 223. denique *l.* 1. *c.* 8. *p.* 371. Raymundi Tricanelli captiui, quibus Comiti Tolosano magnam terrarum suarum partem: Tolosano-Francos hæredes facit, & eo iure terras illas eis competentes. Sed quid opus est his immorari cum Madrilianæ pacis metus (pone eum fuisse aliquem, pone nec iustum fuisse) toties exinde purgatus fuerit, & pace, Cameracensi, Cresfpiensi, Cambresiensi promissa eadem, præter Burgundiæ restitutionem, quæ mutata est in causæ cognitionem, toties sint contracta? vt omittamus literas à Francisco I. postquam in regnum redijsset, ad Carolum V. scriptas; quibus pacem Madrilianam seruaturum omnino se addixit, verbisque idem etiam coram Legato Cæsareo sanctè est protestatus: donec adulatores religionem iuramenti apud eum labefactarunt, & ad solicitandos Ordines, ne ipsi consentirent, quo minus ipse reus videretur, induxerunt.

Adeoque Cassanus ipse coactus est fateri, *lib.* 1. *cap.* 2. *p.* 82. *ac alibi sæpiùs* ipsos paciscentes Reges ad vitam saltem suam teneri, ijs etiam in rebus fidem exoluere, vbi posteros obligare non potuerint. quare excusari non potest Franciscus I. quod ipse viuus ex ijs, quæ spoponderat, quædam sæpiùs, non præstiterit: præsertim cum ei obtulerit Carolus V. nouationem fœderis, si ipse, iuxta pacta, in captiuitatem rediret, Romani, si quid pactis Ducum esset comprehensum, quod populus ratum habere noller; fidem tamen ipsi paciscentes seruabant. ita Posthumius, alterque consul, Tribunique Samnitibus per fœciales dediti, lotis reuincti, *quo populus*, inquiebat fœcialis Romanus, *scelere impio sit solutus:* ita Mancinus, Regulus, alijque eandem præstiterunt, quinimò ea apud veteres religio fuit, vt ipsi vicissim Samnites Brutilium Papium, ruptarum induciarum causam, Romanis dedi decreuerint. & cùm is in via vitam finijsset, cadauer ipsum Romæ deditum fuerit. quin etiam Rex Franciæ Joannes in prælio ab Anglis captus, & sub fide sua pollicitus reditum, si quædam præstare non posset; cum nequijsset, reuersus est in Angliam, ne fidem violatet: tametsi filium obsidem dedisset, aliasque conditiones subrogari obtulisset. *vt post Bodinum de rep. l.* 1. *c.* 8. *refert Ayala de iur. bell. l.* 1. *cap.* 6. *num.* 5. vbi contrarium Francisci I. factum damnat, Bodinumque pro eo sentientem propter filios obsides, quasi illi promissa dissoluerent, reprehendit, cum è contra fideiussor principalem reum non liberet, quinimò sine principali obligatione fideiussio esse non possit, aut pignora. *Instit. quib. mod. toll. obl. in princip. l. fin. D. de pact. l.* 19. *C. de vsur. l.* 6. §. 1. *D. quib. mod. pign. solu. sunt huiusmodi officia*, inquit Cicero *de off. l.* 3. *etiam aduersus eos seruanda, à quibus iniuriam acceperis.*

## CAPUT X.

### *An pactis conuentis Franciscus I. fide promissorum liberatus fuerit soluta pecunia?*

ID siquidem contendit Cassanus *Recherche l.* 1. *c.* 5. *p.* 295. *l.* 1. *c.* 5. *p.* 160. quod Franciscus I. vim & carcerem causatus promissis non stetit, pecuniam surrogare obtulerit, quantam Reges aut Principes alij iudicassent, & dimissis etiam Francisci liberis (quos pro obsidibus datos ad soluendum pactis Regem mox diximus non suffecisse.) ea ab Hispanis sit accepta, qui ideo consen-

conſenſerint in pactorum diſſolutionem, ſed paulò anteà *p.* 29. fſſus erat libera Franciſci pacta cum Carolo an. 1516. Nouioduni conuenta, vt is Carolo regnum Neapolitanum appendiceſque cederet, Franciſco verò annua penſio ſolueretur triginta millium ducatorum: negat hanc redemptam, negat apochas exhiberi poſſe; at verò nec mora ſoluendi irritat contractus; itaque ſatis eſt huic argumento iure illorum regnorum liberè ceſſiſſe, ex pacis fœdere Franciſcum: deinde quantilla eſt ea penſio, vt in lytrum tanti Regis iudicio aliorum Regum imputetur? quin & anno 1544. Pax Sueſſionenſis eadem pacta firmat, inita inter Carolum V. & Franciſcum I. in acie armata vtrimque filio huius etiam libero exiſtente facta. Sed & aduerſus ipſas tabulas illius fœderis inuerecundè Caſſanus eam pecuniæ ſurrogationem fingit, è contrario ita habent tabulæ, *Rex pro redemptione duorum filiorum Cæſari vigeſies centena aureorum liliorum millia puri puti auri perſolutio, pax Madriliana paucis mutatis rata eſt*: inter ea non aliud fuit; quod ad regna aut Principatus pertineret, quàm vt Cæſar, cui Rex Ducatum Burgundiæ, quæque inde dependent, promiſerat primis pactis reſtituere, ac in æternum vtriuſque ſexus hæredibus relinquere; Cæſar, inquam, ex ſecundis pactis contentus eſſet actione, iureque quod ſibi tempore fœderis Madriliani, ac anteà in Ducatum Burgundiæ, Comitatum Auxerrorij, & vicina competebat; iure illa, non armis repeteret. Itaque manet quod Madriliano fœdere comprehenſum erat, vt rex omni actione ac iure in ſempiternum cederet, quod in aliquod regnum, prouinciam, ditionem à Cæſare hoc tempore poſſeſſam; nominatim verò in regnum Neapolitanum, Siciliæ, Ducatum Mediolanenſem, vrbem ditionemque Genuenſem, ac Aſtenſem allegare poſſet: & viciſſim Cæſar omni iure cederet, quod prætenderet in ditiones, quas Rex Galliæ hoc tempore poſſidebat, præter ea quæ illius pacis legibus exprimuntur: inter quæ primum locum vindicabat Ducatus Burgundiæ: cætera ergo, quæcumque tabulis non ſunt expreſſa, poſſeſſoribus vtrimque cedebant. quippe iam iure belli facta erant poſſeſſorum. neque ampliùs in reſtitutionem veniebat, quàm tabulis fœderis diſertè vocabatur. manſit ergo regnum Neapolitanum fœdere Nouiodumenſi Cæſari ſub penſione triginta millium Ducatorum, Madrilianenſi, Cameracenſi, aliiſque etiam liberum, ſæpiùs enim eædem ſuper hac conuentiones ſunt repetitæ, & maximè in vltimo Veruiniano fœdere *an.* 1595. 2. *Maij*, vt ſi vmquam geminatio vllas vires habeat quàm ſæpiùs pro ſuis extollit Caſſanus, ſanè robur ſuum hîc exerere debeat: ſi vmquam iureiurando aliqua reuerentia debeatur, toties interpoſita conteſtatione Numinis ſuper hac re conuenta omninò ſint ſeruanda. vt puduit Caſſanum referre, cùm refutare nec poſſet; pacta illa Veruiniana inter Philippum II. & Henricum IV. quem Franci Magnum meritò vocant inita: inter quæ pax illa Cameracenſis, Madrilianæ innouatrix paucis, vt diximus, refectis, approbatur, ſeruandaque promittitur; non ſecùs, quàm ſi tabulis Veruinianis eſſet inſerta; reſtitutiones deinde vtrimque faciendæ diſertè exprimuntur, & demum 23. articulo ita cauetur: *Regi Chriſtianiſſimo & Nauarræ, eiuſq; hæredibus & actionem habentibus reſeruantur quæuis iura, actiones & prætenſiones, quibus nec per ipſum nec maiores eius expreſſè renunciatum eſt, vt de iis etiam amabiliter, vel iudicialiter, non armis experiri poſſit* 24. *quemadmodum etiam Regi Hiſpaniarum & Infanti Sereniſſimæ filiæ eius maiori, eorumque hæredibus aut actionem habentibus nihilominùs iura omniaq; actiones, & prætenſiones, quibus nec per ipſum, nec per maiores eius expreſſè renunciatum eſt, reſeruantur, vt de iis amabiliter vel iudicialiter non armis experiri poſſit*: vt antè de Ducatu Burgundiæ conuentum. & hoc fœdere innouatum: quod adeoque etiamnum manet. Hæc eſt igitur Regia Principum regula, vt quibus iuribus renuntiatum ſit, non repetantur; pacta conuenta præſertim iurata ſeruentur, *iuxta c. quamuis pactum de pact. in* 6. aliàs quæ belli iure poſſidentur, non reſtituantur, niſi quatenus pacis fœdere comprehenſum ſit.

---

## CAPUT XI.

*An poſſit aliqua belli iniuſtitia obiici fœderibus Hiſpano-Franco-Belgicis? quo minùs etiam bello capta illorum fierent, ſi tituli alij iuſti abeſſent?*

NVmquam de bello Caſſanus loquitur, quod Hiſpani Auſtriacive geſſerint, quin iniuſtum illud, inuaſionem, detentationem vocet, in Gallis generoſum deſiderium limites extendendi, vt in Carolo VIII. *l.* 1. *c.* 8. *p.* 395. *ac alias ſæpè.* & propterea, quamuis pro Gallis dicat titulum acquirendi iuſtiorem dari non poſſe; *l.* 1. *c.* 2. *p.* 69. tamen bello Hiſpanis acquiri non poſſe promiſſa etiam iurata non obligare: vt Cicero, *ſi prædonibus*, inquit, *pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus erit, ne ſi iuratus quidem id feceris l.* 3. *offic.* quod in latronibus & pyratis etiam admittit ayala *de iur. bell. l.* 1. *c.* 6. *n.* 6. *ex cap. peruenit. cap. ſicut de iureiur. cap. ſollicitè de reſtitutione ſpol.* nec ob metum tantùm reſcindi huiuſmodi promiſſa poſſe, ſed ipſo iure irrita eſſe, ſimul & quæ acceſſerint iuramenta. at verò quamuis communius receptum ſit omne iuramentum eſſe ſeruandum, quod non continet animæ iurantis diſpendium, nec tertij præiudicium; adeoque etiam metum & vim paſſo abſolutionem eſſe poſtulandam: *d. c. peruenit & d. c. ſicut* 29. *& ibi DD.* cogendumque victorem ſeu cui promiſſa indebita ſunt facta, pactum remittere: *d. c. ſicut.* etiam cùm aliàs iuramentum dicitur illicitum: tamen prius Eccleſia conſulenda eſt, quàm contraueniatur. *c. venerabilem.* §. *nec valet. X. de elect.* & tamen fallere vult Caſſanus, aut fallitur vocabulo *iuſti*: ſiquidem illud diuerſimodè accipitur, pro perſonis; pro modo, & ritu, atque pro cauſa. quoad perſonas: *hoſtes ſunt*, inquit Vlpian.

*in l. hostes. D. de capt. quibus publicè populus Romanus bellum decreuit, vel ipsi populo Romano, cæteri verò latrunculi, vel prædones appellantur.* iisdem pænè verbis Pomponius in *l. hostes. D. de verb. signif.* atque his prædonibus conueniunt, quæ Cassanus & Ayala citant. quare iustum nullum est bellum, nisi quod ab eo geritur, cui belligerandi ius est; qui domi suæ supremus sit Princeps: penes quem sit summa rerum. *c. quid culpatur. 23. q. 1.*

Quoad modum, & ritum; *iustum bellum est quod ex edicto geritur. c. iustum 23. q. 2.* nisi enim indictum nisi denunciatum sit, iustum dicitur non esse. ideoque formulæ, ritus, cæremoniæ indicendi belli ab Anco Martio proditæ sunt: *vt Liuius testatur l. 1.* vel à Numa: *vt Dionys. Halicarn. antiquit. Rom. l. 2.* quod officium fecialium, quod patris patrati, quis ritus, quis habitus fecialis, agendi, verbena caput, & frontem cingendi: *Plutarch. in quæst. Rom.* quæ expostulandi, résve repetendi formulæ.

Denique ex causis dicitur iustum bellum. de quibus apud Romanos etiam collegium fecialium cognoscebat. *Belli æquitas*, inquit Cicero *l. 1. de offic. sanctissime feciali populi Romani iure præscripta erat.* verba hæc erant, inquit l. 2. *de leg. belli, pacis, fæderum, induciarum. Oratorum feciales iudices sunto,* vt hodie sacræ Theologiæ mystæ, iustitiæque sacerdotes, eas partes habent, & quæ porrò Christiana natio ea in re Hispanis regibus est accuratior; qui præter cæteros Senatus, etiam Concilium *conscientiæ* habent? vbi inquisitione diligentissima libratur quidquid ad iustitiam bellorum, aut fœderum pertinet: maiori sanè examine, quàm varijs apud Romanos sententijs scribitur *à Floro l. 49.* de tertio bello Punico certatum inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Násicam: quorum alter sapientissimus vir in ciuitate habebatur, alter optimus vir etiam à Senatu erat iudicatus.

Itaque vt iustæ nuptiæ à ritu contrahendi, iusta ætas, iusta persona standi in iudicio, iustus filius, iusta libertas, iustum prælium dicitur, ita & iustum bellum à persona, ritu, modoque suscipientis, & à causæ æquitate. quin & si causa non fuerit æqua, effectus, tamen, quem ius bello tribuit, hoc ipsum etiam sequitur. quod inde patet, quod cùm iure feciali diligentissimè cautum esset, ne etiam nisi iustis ex causis bellum susciperetur, *Hallicar. l. 2.* adeoque hostes iustam simul belli causam habere non possent; capti tamen hostium serui fiebant. *l. postliminium. D. de capt.* etiam tunc cùm liqueret de iniquitate causæ. vnde Paulus in *l. postliminium in princ. naturali*, inquit, *æquitate inductum est, vt qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is vbi in fines suos redijsset, pristinum ius suum reciperet:* iure scilicet postliminij: cuius fictione opus non esset, si causæ iniquitas sufficeret. quemadmodum postliminio illi opus non est, qui à latronibus vel pyratis detentus fuit. quippe qui statum non mutarit, qui seruus eorum fieri iure nequierit. *l. qui à latronibus. D. de testam. l. postliminium. §. à Pyratis. l. hostes. D. de capt.* satis est ergo ad iuris effectus, & vt iura belli locum habeant, bellum geri ab ijs, qui hostium numero sunt definiti, & belligerandi ius habent. *ita Ayala de iure belli l. 1. c. 2. num. 34. post Fulgosium, Jasonem, Anchoranum, Aretinum, Albericum, Abbatem, Nattam ibi citatos aliosq́; & maximè Ferdinand. Vasquez. l. 1. c. 9. num. 18. & seqq. latè.* quo modo ius considerare possumus differre à iustitia, vt sit illud regula actionum, hæc autem causæ æquitas: sic *iustè quod iustum est persequeris, Deut. c. 16.* ex iuris significatione dari potest bellum vtrimque iustum; ex iustitiæ consideratione non item. nam hæc causam belli, illa gerentis personam ac ritum respicit. causam vtrimq; æquam esse non posse satis est certum, cum illa liquet: sed in causæ actionibus moralibus multæ prætexuntur, multæ obscuræ sunt, multæ rationes vtrimque probabiles, multæ problematicas habeat, quæ his placent illis displicent. vnde tot statuta ciuitatum, regnorum gentium inuicem contraria. quo in genere *post Fulgosium* Alciatus *paradox. l. 2. c. vlt.* rectè ait bellum etiam dari vtrimque iustum: *nec absurdum est*, inquit, *propter ancipites sententias,* & quia iactare vt priuatim litigantes, ita & publicè belligerantes vtrimque solent litem, bellumque suum esse iustum. à quibus non multum discrepat Grotius *de iur. bell. l. 2. c. 23. num. 13.* nec malè hostes inde, & hostimentum esse dictum quis censuerit, *Nónne, hostes.* inquit ibidem Alciatus, *ab eo dicti sunt quod vtraque pars æquo iure pugnet? Hostimentum,* inquit *Nonius Marcellus æquamentum est.* cur in litibus priuatis causidici vtrimque docti iuxta ac probi diuersas tuentur sententias? cur historici vtrimque & iurisperiti minimè mali bella omnium ætatum defendunt? cur. Mulciber à Graijs, pro Troia stabat Apollo? sanè cùm vtrimque iusta arma prætenduntur, cum de iure gentium agimus, nulla inter eas differentia est: *tunc quippe,* inquit Alciatus, *id ius in vsu est, quod omnibus commune, nulli proprium existimatur. §. ius gentium instit. de iur. natur.* vnde, vt diximus, per Romanas ex iure vsuque gentium leges in bello quod cum hoste gerebatur, capti vtrimque serui fiebant, alijque belli effectus obtinebant. Ex quibus sequitur etiam, si quod bellum, si causæ æquitatem tantùm respexeris, minùs iustè ab Hispanis gestum esset, quæ capta tamen fuerint iure belli victoribus cessisse gentium omnium iure. quod de æquitate autem causæ inquiritur, quæ palam non sit iniqua, magis ad animæ scrupos spectare, quàm ad forum, & armorum tribunal; & rem iure gentium iudicatam. vnde *& d. c. sicut* non nisi canonicam coërctionem præscribit; videlicet excommunicationem: sicut in omni peccato *c. nouit. X. de iud.* quare & notoria debet esse iniustitia, vt textus satis præsupponit, quæ qualitas cùm cessat, & cùm quis negat cum apparente ratione bellum esse iniustum, cessat officium Ecclesiæ. *Panorm. & alij in d. c. nouit.* vbi ius liquidum *d. c. nouit. §. ne ergo,* sequitur coërctio per excommunicationem: de iure autem belli controuerso, quia citra peccatum licet sequi opinionem probabilem, Ecclesia non cognoscit. sicut Pontifex *d. c. nouit.* negat de feudo se velle cognoscere; quantum autem ad denunciationem Euangelicam quæ non fundatur

nisi

niſi in peccato, inquiſitio facti competit Eccleſiæ, *ibid. in fin. d. c. ſicut.* & iniuſtitiæ belli ex iure liquido *ibid.* Porrò quæ gens tardius arma ſumit quam Hiſpani? quæ plus temporis cunctando, ſcrutando ſingula cauſarum momenta conſumit, dum prius more legitimo queri malit? quippe ad mores gentis Philippus II. mandatis monitiſque vltimis, quæ filio dedit, & hoc inſeruit, *bellum nemini ſine iuſta cauſa, conſilioque inferret.* quæ gens ſtatim magis, quam Franci; ad arma procurrit; prius in hoſticum proſilit, quam hoſtes decreti ſint? prius arma induit, quam bellum denunciatum ſit? præſumendum eſt itaque potius pro Hiſpanis tardigradis ad bellum, quam Francis leui pede in illud ruentibus. quam animi vocat alacritatem ſæpiùs Caſſanus, & generoſum deſiderium Jmperium ſuum ampliandi, *vt mox diximus.* ſecus quam D. Auguſtinus *nocendi*, inquit, *cupiditas, vlciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis iure culpantur. d. c. quid culpatur,* Hiſpani autem Auſtriacique quæ pactis, dotibus, tranſactionibus, hæreditatibus; fœderibus obtinuerunt, tueri tantum deſiderant. vt quamuis verſaremur in dubio, potior cenſenda eſſet conditio poſſidentis. *l. in pari. D. de reg. iur. Grotius de iur. bell. l. 2. c. 23. num. 11. citat Victoriam, Leßium, Molinam, Lorcam.* quinimò quamuis à maioribus iniuſta geſta eſſent bella, pace tamen & fœderibus ſubſecutis iuſta reddita foret poſſeſſio. etiam litem iniquam iuſta ſequi poteſt tranſactio. & quamuis à parte rei ſit ſeruus quiſpiam aut liber, ſi tamen palam de ſtatu non liquet, iuſtè ſuper eo tranſigit, tametſi de liquido paciſci non poſſit. *l. fin. C. de tranſact. l. nec ſi volens. C. de liberal. cauſ.* neque poſt tranſactionem, aut bellum pace finitum iam ampliùs de rei veritate quærendũ eſt, ſed an tranſactum ſit, an pax inita. poſt rem iudicatam, tranſactione, iureiurandoue deciſam, non de cauſæ meritis ampliùs quærendum; ſed an iudicatum, tranſactum, iuratum ſit. *l. poſt rem. D. de re iud. l. non minorem. C. de tranſact.* at verò pacis fœdera ſimul tres has continent plerumque rem à Marte iudicatam, tranſactione ſopitam, iureiurando ſeruari promiſſam: vt diximus de Madrilienſi: quo ferè conuentum vt præter Ducatum Burgundiæ quidquid Rex Franciæ, quidquid Cæſar poſſideret ex Martis Bellonæque ſententia haberet, ex pace tranſactioneue, ac obſeruantia iuramenti firmiter retineret. & quamuis inuicem nihil præſtitum eſſet, non Rex captiuus dimiſſus, non renunciatum à Cæſare foret pluribus ditionibus; tamen ſi in priuatis negotijs firmitudini tranſactionis ſatis eſt à lite diſceſſum eſſe: *l. 2. C. de tranſact.* non videbitur cuiquam ſatis à belli alea, quæ cætera abſumere poterat, eſſe liberatum tot incommodis expeditum, imminentibus ruinis ſubductum, ſummam rerum ſeruaſſe, reliquum corpus regni ſanum habere, vſto, ſecto quamuis aliquo membro? Jnfinitudo malorum belli euitata ſat habet reciprocationis, vt iuſta ſit tranſactio, vt pax ſit iuſta. *quorum malorum*, inquit D. Auguſtinus *de ciuit. l. 19. c. 7. multas & multiplices clades, diras, & duras neceßitates. ſi vt dignum eſt eloqui velim, quanquam nequaquam ſicut res poſtulat, poßim, quis erit prolixæ diſputationis modus?* at verò fœderibus illis, quæ diximus, ampliſſimæ ſunt comprehenſæ renuntiationes, omnium iurium, quæ in poſſeſſas vtrimque ditiones à maioribus repeti poterant, renouata omnia ab illis deſuper icta fœdera, & multò maximè quoad omnes & ſingulas ditiones ab alterutra parte poſſeſſas, expreſſis exceptis; quæ iure non armis repeti poſſent, tametſi ſæpiùs paſſim Caſſanus non iure tantum, ſed & armis repetenda dicat, ſuadeat, ſtimulet.

Et quamuis fœdera & renuntiationes nullæ interueniſſent, ſuper quibuſdam tamen temporis diuturnitas modo ſubnaſcentibuſque cauſis, vt diximus *lib. 1. cap. 15.* præſentium poſſeſſorum conſcientiam ſcrupulis exolueret, quamuis primordia rerum non iuſta ſatis; quin & iniuſta viderentur. vt domi ſuæ Franci habent exemplum illuſtre in S. Ludouico, quippe cuius ſanctitatem, & in Diuos relationem non impediuit Hugonis Capeti, vnde deſcendebat, duobus vixdum ſæculis elapſis; iniuſtitia regni inuaſio, iuſti hæredis excluſio, atque tyrannis. & ſi omnium regnorum ſpectentur initia, vix erunt quæ à vitijs excuſentur, Francorum ſanè minimè: qui nullo iure Gallias inuaſerunt, quas hodie ſucceſſores poſſident. Hiſpani ſanè nihil poſſident quòd non pluribus fœderibus firmatum ſit, & maximè vltimo Veruiniano, omnia præterita innouante, aut non armis ſaltem, ſed iure dumtaxat repeti permittente. Franci autem aduerſus idem fœdus Britanniam minorem detentant, totamque hæreditatem Margaretæ Valeſiæ, tametſi eodem fœdere Veruiniano, *ar. 24.* comprehenſum eſſet, vt omnia iura actioneſque manerent ſaluæ Eliſabethæ Jnfanti Hiſpaniarum, eiuſque hæredibus, quæ ei competerent; vt erat neceſſaria ſucceſſio in Britanniam, fæminis etiam debitam, totaque id genus hæreditas Margaretæ: quæ & Eliſabethæ per iniuriam ſubtracta eſt, & nunc etiam Duci Sabaudo ex ſorore nepoti, eiuſue in illam ſcriptis hæredibus denegatur.

Et vero, vt de antiquis maiorum bellis nihil dicamus, quæ exigerent integra volumina; ſanè quæ inter Carolum V. Jmp. & Franciſcum I. Galliæ regem geſta ſunt, manifeſtam cauſæ Caroli iuſtitiam vbique proclamant. Carolum iuuenem, vt primordia tangamus tantum deluſit Ludouic. XII. deſponſata ei an. 1501. Claudia filia, & contra fœdus Franciſco Valeſio Enguleimi Comiti tradita an. 1515. id eſt Franciſco I. deinde Regi Galliæ. ſecunda fuit Renata ſoror altera, deinde Herculi Eſtenſi Duci Ferrariæ data 1516. tertia fuit Ludouica filia ipſius Franciſci I. qui nunc ob vnam Helenam Græcorum bellum iuſtum dixerit, qui huic diſſentiat? nec ob id tamen Carolus bellum mouit; diſſimulauit iniuriam. & Dauid pacem dare noluit Jſboſeth ſeu Abner, niſi ſibi traderetur deſponſa filia Saul Michol. *Reg. l. 2. c. 3.* & raſam legatis ſuis barbam armis vindicauit, *Reg. l. 2. c. 10.* ſed cum Carolus V. obtinuiſſet Jmperium, quod à Franciſco I. ambiebatur, ex eo pomo natum irreconciliabile odium.

odium. Franciſcus ergo belli cauſam quærit: Robertum Marcanum à fœdere cum Carolo inito ſollicitè deducit magnis promiſſis; is Aimeriæ Regulo Cæſaris clienti propter Hiergæ oppidum ab hoc poſſeſſum bellum infert: Cæſar clienti iure poſtulanti auxilia decernit; Francus Marcano: hæc ſcintilla totam Europam incendit. piget toties initа deinceps pacis fœdera, toties infracta referre; ſemper iſto odio æſtuante in Franco, & vindictæ, ignominiæque ex captiuitate delendæ deſiderio animum turbante, in Carolo autem ruptæ pacis Madrilianæ, hæreditarijque Ducatus Burgundiæ contra pacta negatæ reſtitutionis tædio armatam defenſionem ſemper excitante: præter alias, quas tot repetitis bellorum vicibus interueniſſe multiplices, claſſici paſſim referunt hiſtorici. lubet tamen paucis verbis infractionum Francicarum meminiſſe: ergo pridem fœdere Londinenſi conuenerat, vt Rex Angliæ arma aduerſus illũ ſumeret, qui prior fœdus infregiſſet; in conuentu Caletano probatum eſt id feciſſe Francum. Henricus VIII. igitur pro Carolo arma ſumpſit. fœdere Pariſienſi quædam præſtari conuenerat in tempus mortis Ferdinandi aui Caroli, ea adueniente placuit Franco illud habere pro infecto. ſucceſſit Nouiodumenſe: poſt hoc aſſumpto Carolo ad Imperium, præter cauſam Aymeri de qua mox egimus ſponſores exigit Francus, qui promiſſi non erant: Nauarræ reſtitutionem, de qua actum non erat: niſi præſtentur; declarat fœdera pro ruptis ſe habere; armaque vbique mouet. pacis Madrilianæ ruptura in confeſſo eſt, quæ tot futilibus nugis excuſatur. ſed & cùm Carolus fœderis nouationem obtuliſſet, ſi Franciſcus iuxta pacta in captiuitatem rediret, is fidem fregit, non tantum non reuerſus; ſed & improbum illud fœdus iniit, quod ſanctum ſcilicet alij appellarunt, quo fœderati eius ditiones in Italia & Sicilia partiebantur; ſed quorum neminem, ex ſucceſſu, quem Deus Carolo dedit, non pænituit. Cameracenſis deinde pax coaluerat, quæ etiam palam à Franco rupta eſt, dum mortuo Franciſco Sfortia, Mediolanenſem Ducatum is ſibi poſtulat, & Cæſar non mox pro eius voto reſpondet, & quo arma eo ferre facilius poſſet, Sabaudi (quem ea res non tangebat) Francus ditiones non inuadit, & Smalcaldico Proteſtantium in Germania fœderi omnium in Germania malorum fonti ſe iunxit, Hinc Niceæ adlaborante Pontifice Paulo III. decennales induciæ pactæ ſunt anno 1538. eaſdemque fregit Franciſcus I. an. 1541. cauſatus legatos ſuos, ad Turcam miſſos, in itinere occiſos; ſed nullo publico iuſſu, priuata ex rixa; & latrones quæſiti ad vindictam ſe ſubduxerant: vndique mox arma graſſantur, Franciſcus Turcam etiam in ſocietatem conducit, cum eoque Nicæam Sabaudi vrbem expugnat, aliaque loca, vt de captiui in æternam perniciem ad multa millia abducti. Secuta eſt anno 1544. pax Creſpienſis: eius pactis Carolo Franciſci I. filio Belgium cum Cæſaris filia, vel Mediolanum cum Ferdinandi, in dotem promiſſum; nuptijs nondum ſecutis, eo aliquot poſt menſibus mortuo, anno 1547. prid. Kalend. Aprilis etiam exceſſit è viuis Franciſcus I. ob mortem duorum filiorum non ſine domeſtica ſuſpicione ſublatorum, vigore animi non parum minuto, vt ſaltem Imperatori Germanicis ex fœdere Smalcaldico turbis implicito, non aliud bellum mouerit. Henricus filius, rebus ab Imperatore in Germania feliciter compoſitis. Duci Parmæ ad rebellionem miſit auxilia, Tripolim Mauritanæ ciuitatem, iunctis cum Draguto Turca viribus, nec indicto quidem bello, cepit: onerarias Belgarum ex Aquitania, in Hiſpaniam pacis fiducia tendentes abduxit, ſæuijtque exinde palam vbique bellum. quod demum ſecutæ induciæ nonis Februarij 1556. in quinquennium eas Francus anno ſequenti infregit, miſſis in Italiam copijs, interpretatus pro Belgis tantum pactas inducias, quas & paulò poſt ibi infringit, Duacum inſidijs tentans. poſt hæc pax Cambreſienſis 1559. & poſt eam intra non ita multos annos plures regnauere in Francia Reges, qui, cùm domi ſuæ quod agerent ſat haberent, externa bella non ſunt commentati, donec Ducis, ac deinde Cardinalis Guiſij cædem Henrici III. parricidium excepit, & Cardinalis Borbonij, & Henrici Nauarræi, illius à Catholicis, huius ab hæreticis eſt facta Regum proclamatio: natumque ſanguinarium in Gallia nomine Liguæ ſacræ bellum, per annos amplius decem geſtum, vbi religioni Catholicæ dum Hiſpaniarum Rex vires accommodat, grauis deinde belli moles in eum incubuit: quod Veruiniana demum pace ſopitum. qui redintegratum ſit nomine Ludouici XIII. *l. 3.* pleniùs ediſſerimus. Ex his id ſatis iam euidens eſt, bella ab Hiſpanis aduerſus Gallos, noſtra auorumque memoria, fœderibus continuò per Francos infractis, geſta, non tantum iuſta fuiſſe ad ſua defendenda, ſed etiam ad infractiones vindicandas, & belli iure pomeria ſua proferenda. quod tamen vt diximus Hiſpani Auſtriacíve minimè fecerunt, ditionibus iure ſanguinis deuolutis ſemper contenti.

Verum enim verò vt pro poſſeſſore rei priuatæ, ita dominatuum regnorumque præſumitur, donec petitor de dominio docuerit, ideoque defenſiuum bellum planiùs iuſtum creditur, quàm offenſiuum: cùm ergo Carolus V. ſucceſſoreſque ob defenſionem ſuam, ſuorumque in bella tracti ſint, ſemper pro eis vtique præſumendum eſt, donec de iniuſtitia conſtiterit: quod ad nullas calendas fiet. at verò omnia illa ob quæ Caſſanus controuerſiam Hiſpaniarum Regi mouet, Carolus V. ab auo paterno & materno accepit, ſed & iure etiam belli, quamuis nullum aliud ſuppeteret, toties geſti, illius ſunt facta, quod ius eſt gentium. *l. 5. D. de iuſt. & iur.* Franceſque ſtringit: nec Caſſanus de alio glorioſius vnquam pro Francis declamat. *vt diximus l. 1. c. 4. §. de bello quæſitis hic ſuprà in princ. ac alibi.* quamuis Francis in ditiones vllas ius aliquod competijſſet, quod ſemper negatum fuit, & de Belgicis iam ſuprà probauimus; de alijs alij præſtiterunt, præſtabuntque, vt confidimus: vt vel ob id renunciationes, fœderaque vellicari minùs poſſint, quaſi aliquid de regno abdicantia, cum Hiſpanis, Auſtriacis, Belgíſve negetur terrarum

quidpiam

quidpiam datum vmquam à Francis cessurue, quod iam ante suum non esset.

## CAPUT XII.

### *An fœdera ad successores transeant?*

REgiam hanc esse quæstionem à Regibus non Iurisconsultis tantum disputatam dixi *in Ind. l.4.c.20. num. 22.* & magis sanè obtinuit, vt successores pactis comprehensi censeantur, vt Demosthenes *etiam posteros*, inquit, *Philipp. 2. implicastis pace.* istiusmodi enim conuentiones publicæ non pangentium personas, sed remp. ac Principatum, qui æquè per vtrosque repræsententur, *l. proponebatur. D. de iudic.* spectare creduntur, in successoresque ideo transire. *c.1. X. de probat. & ibi DD. & in l. 1. C. de const. & constitut. de pace Constant. in verb. successor, & tit. qui successores teneantur in feud. & in c. vlt. ne Prælati vices suas.* atque hæc cùm de coniectura voluntatis agitur: disputatio autem ea cessat, cùm paciscentes profitentur disertè se ditionis suæ, non personæ tantum nomine fœdera inire, cum pactis expressum est successores, populum, gentem, ditionem comprehendi: vt ferè hodie conueniri solet; & fœderibus Hispano-Gallicis expressum semper est: & clausulæ huiusmodi plenissimæ Veruiniano continentur. Obligari regnum non negant vmquam Franci, si Ordinum accesserit assensus, Regnum ita obligatum transit vtique eodem cum vinculo ad successorem, nec hoc habet dubium: sed quid si non verbis scriptisve assentiatur, sed alio quocumque modo? nec minus obligari Regnum & Successorem, dicendum est. *quid enim interest*, inquit, *l. de quibus. D. de legib. suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis?* populi legati sunt Ordines regni, siue ergo illi collatis suffragijs siue populus vniuersus rebus & factis animi sensum explicet, nihil interest aut facit. *c. dilecti de appellat. c. fin. de coniug. seruor. in verb. nec verbo, nec facto. c. is qui fidem de sponsal.* adeò vt nec in matrimonio verba requirantur, si agnosci consensus ex signis potest. *Sanchez de mat. l. 2. d. 31. n. 5. vbi legionem Theologorum & Iurisconsultorum producit.* Ita cum Romanis Carthaginensibusque fœdus esset ictum ab Asdrubale, adiectum esset, *si populus Rom. censuisset*; & de Sagunto quæstio orta, & an populus Carthaginensis probasset, scripta non proferebantur: Q. Fabius Princeps legatorum dixit, *si verborum disceptationis res esset apparere iniuria Saguntum oppugnari, Carthaginenses fœdus Asdrubalis & re, & tempore, & taciturnitate approbasse.* quid Fabius dixisset de structis ignibus, triumphis, plausu? si tum vsus eos habuisset. etiam pedibus olim in aliorum sententiam ibatur, cùm Senatores in partes dissidentium opinionum transirent.

## CAPUT XIII.

### *An obligari successor possit inuitus?*

SI cum Cassano solo disputatio mihi instituenda esset expedita res esset: siquidem pluribus locis *Recherch. lib. 1. cap. 1. p. 25. 54.* cùm liberum facit solum Franciæ Regem, tametsi nullis tabulis, tamen contendit obligari hæreditarios paciscentium regni successores, adeò, vt & periuros faciat, si promissa à maioribus non impleant: *l. 1. c. 5. p. 281.* hæreditarios autem esse eorum regnorum in quibus & fœminæ succedunt: atqui omnes illæ ditiones de quibus totis duobus libris differtat, secundùm hanc illius definitionem forent hæreditariæ, quippe in quibus omnibus hactenus fœmininæ successioni locus datus est: vtique ergo omnium prædecessorum fœderibus teneretur Ludouicus XIII. atqui sæpiùs prædecessores iuri omni, atque actioni renuntiarunt quoad eas ditiones quas Rex Hispaniæ possidet: & luculentissimè pater eius Henricus IV. fœdere Veruiniano, & de non renuntiatis spopondit armis non se acturum, sed legibus: quoad omnes ergo eas ditiones, quæ Cassano hæreditariæ vocantur, nexu exsoluere regem suum non poterit.

Sed agamus etiam cum alijs: & obligari etiam successores ex ijs, quæ *proximo capite* citauimus liquet, quippe ditionis nomine, qua non alio iure possident, quàm antecessores, qui pro illa pepigerunt. sed & veritas Cassanum *p.56.* fateri cogit, semper qualescumque Reges teneri cùm vtiliter negotium gestum est, si status seruatus sit, si ruina præcauta regni.

Redit ergo tantùm hæc quæstio an rebus perperam alienatis parte regni præcisa, hosti concessa, eadem sit obligatio: & sanè iuramentum quod vergit in apertum præiudicium regni, nec iuranti quidem seruandum, sed reuocandas esse istiusmodi alienationes rescriptum est *in c. intellecto X. de iureiurand.* Nihilominus cùm in rem ipsius regni alienatio vergit, ad propitiandum Numen, publicámve tranquilitatem, conseruationem status, Regis regnique pertinet, secus statuendū est: cum *rescindere numquam Dîs licet acta Deûm.* Sic eiusdem Hungariæ Regi mandatum, vt peregrinationem votiuam patris testamento iniunctam filius expleret, aut regno cederet: *c. licet. X. de vot.* sic Regi Tancredo *in c. 1. X. de prob.* rescribitur peti in rem eius edi instrumenta ab Imperatore non posse, non autem pacta pacis etiam realia seruanda non esse: cùm hoc tamen responsum, prius euacuasset: cùm ergo Papa illud dederit, hoc præsupponit. sic pacta iurata inter Francum & Anglum quamuis aduersus regni, feudique iura, sub anathemate iussa seruari: *d. c. nouit. X. de iudic.* quod *supra c. 1. h. l.* latiùs propositum est. multi ergo successores in regnum pactis nomine regni vtiliter contractis tenentur. quæ autem sit, bello pactis sedando, vtilitas, tetigimus *supra c.11.* Regibus ius esse pacem pangere;

gere: *cap.* 1. *&* 2. etiam cum imminutione regni: *cap.* 4. *&* 5. cum necessitas cogit: *d. c.* 4. 5. *& seqq.* eius iudicium censuramque Regi competere: *c.* 6. ex his suppositis infertur inuitos obligari successores. res enim cum sua causa transeunt, non in hæredes tantùm: *l. cum heres* 11. *D. de diuers. & temp præscript.* sed singulares etiam successores: *l. alien.* 67. *D. de contrah. empt. l. traditio* 20. *D. de acquir. rer. dom. l. inuitus. §. cum quis & seq. D. de reg. iur. d. l. DD. in l. qui in ius. D. & in c. is qui in ius in 6. de reg. iur.* igitur regna transeunt in qualescumque successores, eo affecta iure, pacto, fœdere, quo apud antecessorem fuerunt, & si non ijs affectatur conditionibus, quæ personales fuerunt. *l. priuilegia* 156. *D. de reg. iur. c. priuilegium* 7. *eod. tit. in* 6. *& vtrobique DD.*

Sed lubet tamen in Cassani gratiam hîc inquirere, quæ hæreditaria regna dicantur? & sanè liquidum est eam hic dictionem electiuis opponi, vt omnia ea hæreditaria censeantur, quæ non populi suffragijs, sed iure sanguinis deferuntur. quomodo & Franciæ regnum hæreditarium est: is omnium auctorum hac in quæstione sensus est: quis præter Cassanum classicus voce fœminina dixit hæreditarium venire? sed hæredem in feudis significare filium masculum textus est in *c.* 1. *§. & si clientulus de alien. feud.* sed hoc disputant Doctores an feuda rectè diuidantur in hæreditaria pro primo & hæreditaribus concessa, & ex pacto & prouidentia cum illo & filijs descendentibusque: *Fachin. contr. illustr. l.* 7. *c.* 3. & qui non admittunt hanc distinctionem, hæreditaria volunt respectu primi acquirentis, non vltimi decessoris. quo sensu nihil Cassano qualitas hæreditaria in regnis argumentanti proficeret, nam astringeret tantum ad pacta primi acquirentis: in hæreditarijs autem delationibus subdiuisio sequitur; vt alia maribus solis, alia fœminis etiam debeantur: tum & inquisitio, qua ætatis, stirpis, qua maris ex fœmina supra fœminam prærogatiua sequitur, quod ex instituto, vsuque domestico cuiusque gentis diximus *l.* 1. *c.* 3. discernendum: ex eodemque, an in regnis aliquid vendicet priuata regula hæreditatis: ex qua hac in quæstione semper argumentatur Cassanus, vt hæres cum defuncto eadem censeatur persona, eius factum præstare teneatur, quod ex qua persona quis hæreditatem capit, eius factum præstat: *l. ex qua D. de reg. iur.* sed negant Reges etiam fœminis succedentes se beneficio vltimi possessoris regna capere, sed antiquo iure sanguinis; victrice primorum manu, prouidentiaque maiorum non minus, quàm Francos, qui soli mares ex vsu Francorum succedant: posse regna se aiunt adipisci, & si vltimorum antecessorum hæredes non sint, & debitis non in rem regni, etsi fœminini, prodigè contractis non teneantur. quod generatim in regnis hæreditarijs admittit Grotius *de iur. bell. l.* 2. *c.* 7. *num.* 19. *& seqq.* an non infinita sunt etiam priuatorum feuda, quæ ad agnatos, non hæredes, deuoluantur? & quos ideo Doctores vocant hæredes sanguinis? & ipsi textus feudales decernunt, *quos citat Fachin. d. c.* 3. *& est textus in c.* 10. *An agnatus vel filius* expressus agnatū, non extantibus liberis, repudiata agnati hæreditate, feudum paternum capere, & si filius non possit: in hæreditarijs vtique: possit autem in ijs, quæ posteris, non vt hæredibus, sed vt liberis competunt: vt verior est sententia, & si eius textus interpretatio in plures sensus distracta est. vt apud Fachin. *d. l.* 7. *c.* 5. videre est. & licet inter filium & agnatum Cuiacius subtiliter distinguat, veriùs tamen est rectam rationem dari non posse differentiæ, cur, omissa hæreditate, iure sanguinis, filius minus quam agnatus feudum auitum adire possit? nam si ad primum respicias, vt ille; quid si intermedij sint parentes, quorum hæres bonorum non fuerit agnatus, in eone textus *d. c.* 1. locum non habebit indistinctè loquens? & hæc fuerit noua alia opinio. quin & in auitis feudis, non præstare successorem factum defuncti, classici multi auctores probant. vt in controuersijs diuersis apud Fachin. *l.* 7. *c.* 13. 18. & in fideicommissis *l.* 5. *c.* 19. sed cum de regnis agitur facilè rursum redibimus ad thesim quam *supra l.* 1. *c.* 3. struximus, nec feudales leges, nec Romanas in Regna, nisi precarium imperium habere, sed mores cuiusque gentis summo iure præsidere.

Jtaque merito nulla hic Regum distinctio sit, an mares tantum, an etiam fœminæ succedant: sed si sanguinis iure, maiorumque prouidentia, instituto, vsuque gentis regnum capiant, ex vsu vt gentis successores inuitos obligent pactis nomine, & ex Re-publica contractis, æqualiter omninò omnes.

---

## CAPUT XIV.

### *An consuetudine vsuque vetere, seu hodierno gentium iure, pacis fœderibus rectè reges regna minuant?*

Diximus *cap.* 6. lege regia Vespasiano potestatem omnem esse tributam, & nominatim etiam fœdera sanciendi, vti D. Augusto fuerat: at Augustus, vt Tacitus ac Dion refert, statuerat Jmperium esse coërcendum Euphrate, Nilo, Danubio, Rheno: iam ante tamen Romani terminos istos sæpiùs excesserant, multaque iure belli loca Jmperio acquisiuerant: præcidit ergo Augustus minuitque Jmperium, sed in rem Jmperij: causam dat Dion, *ne si imperium*, inquit, *dilatare voluisset, id difficiliùs tueretur, faciliùs etiam partem amitteret.* ita pulcherrimè Reges Chinarum regni partem pro derelicta habuerunt, montibus muro continuatis regnum tutius concluserunt. fecere idem alij Jmperatores Romani, Persæ, Assyrij, aliæ vbique gentes, vbi tempora reip. seruandæ suaserunt. *Sanè prægraue*, inquit Curtius, *l.* 4. *imperium difficilè est continere, quod capere non possis; videsne vt nauigia, quæ modum excedunt, regi nequeant, nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimia opes magnæ iacturæ locum faciunt. faciliùs est quædam vincere, quam retinere: quam Hercule expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent?*

Et hæc quidem consilio libero ita politico prudentissimis Principibus visa sunt, vt magis compositum sit corpus reip. vt quadratæ acies, quæ securius confligunt, vt Tacit. *l.* 1. *Ann.* mari Oceano, aut montibus longinquis septum Imperium, legiones, prouincias, classes. cuncta inter se connexa faciliùs Romani tutari se existimabant. & gloriatur Augustus apud Julian. in Cæsar. de eo consilio *bellis*, inquit, *ciuilibus sæpenumerò in extremum discrimen adductam rem Romanam sic composui*, firmauique quod si porrò res eò à fortuna adductæ sunt, vt seruando corpori partem, præsertim belli iure iam occupatam, seu aliàs ambiguo iure controuersam, pacis legibus abscindi expediat potiùs, quàm de toto periclitari, nihil esse dubitandum diximus *suprà c.* 6. quin Rex id possit. Sic Darius Alexandro ante conflictum obtulit quidquid terrarum cis Euphratem esset: sic Barbari, Reges Romani, ac Jmperatores vsurparunt, sic Honorio ad postremum *sententia sedit*, inquit Jornandes, *de rebus Geticis*, *quatenus prouincias longè positas*, *id est Gallias Hispaniasq́*, *quas iam pene perdidisset Gizericiq́*, *Wandalorum Regis vastaret irruptio si valeret*, *Alaricus cum sua gente tamquam lares proprios vindicaret*, *donatione*, *sacro oraculo confirmata*, (notâ firmitudinem sacri Oraculi non populi Ordinumque assensum) ita & Paulus Diaconus *l.* 13. *miscel.* ait ab *Alarico sedes*, *quo cum exercitu consistere posset*, *petitas Gallias ab Honorio concessas*: iterum idem *l.* 14. Honorium fœdus firmissimum cum Vallia Rege Gothorum pepigisse, & Aquitaniam vicinasque ciuitates tribuisse *Isid. Hispal. in Chron. Goth.* secundam Aquitaniam vsque ad Oceanum datam, cum quibusdam ciuitatibus confinium prouinciarum: item Theodoricum Aquitanias cum ingenti exercitu, & licentia Jmperatoris ingressum, & Jornandes Euricum crebram mutationem Romanorum Principum cernentem, Gallias demum suo iure nisum occupare, totas Hispanias, Burgundionesque accepisse. sic veterum mediorumque sæculorum, nostræque ætatis historiæ plenæ sunt huiusmodi fœderum, pactorumque exemplis, pluunt *quasi imber super herbam*, *& quasi stella super gramina*: quibus transigentes de bellicis controuersijs Reges, vrbes, castra, territoria, prouincias vni alijs cesserint: totum quin etiam scatet Cassani opus. Consuetudo ergo Regum, sine Ordinibus vbique paciscentium, huiusmodi pacta fœderaque probat, firmatque. *Si de interpretatione*, inquit, *l.* 37. *D. de legib. legis* (fundamentalis regni, vt vocat Cassanus sæpiùs) *quæratur*, *imprimis inspiciendum est*, *quo iure ciuitas retrò in huiusmodi casibus vsa fuit*, *optima enim legum interpres est Consuetudo*. vsumque ciuitatis & prouinciæ pro iure similiter habet *l.* 34. 35. 32. 33. *D. eod.* quia ex duobus actibus in Regijs etiam controuersijs arguitur. *c. per venerabilem in fin. de elect. c. ita vos* 25. *q.* 2. *c. Moyses* 8. *q.* 1. *DD. passim &c. proximo hic infra latiùs.* Jtaque necessarium est, vt interpretemur Reges, qui sexcenties ita sunt pacti, eo iure in huiusmodi casibus retrò sunt vsi, posse sanè sine Ordinibus, scitè fœdera contrahere, quibus etiam pars regni, cùm ita opus est, omittatur.

## CAPUT XV.

### *An consuetudine regni Franciæ Reges per pacis fœdera, vbi reip. expedit, regni limites possint imminuere.*

HUiusmodi argumento vtitur Cassanus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 21. vt probet venditionem supremitatis regni Arelatensis ritè ab Henrico Jmperatore factam: *quia non sunt*, inquit, *noua huiusmodi in Imperatoribus alienationes*, citatque plura exempla, quibus stabiliam putat huiusmodi auctoritatem: fauetque ratio *c.* 2. *X. de feud. c.* 5. *X. de donat.* & quæ *cap. proximo diximus.*

Domestici sanè iuris apud Francos omninò magna est auctoritas; & meritò: sed est tanta philautia, vt excedat aliquando omnes limites, vt & ea pro iure recipiantur, quæ in rerum natura fuisse vmquam comprobari non possint: vt de lege Salica *c.* 6. *l.* 1. diximus. ita Opinio etiam leges generat. Neque porrò multorum actuum frequentiam adeò quidem non exiguni, vt si vel vnius speciem apprehendisse videantur, Consuetudinem regni audeant quidam appellare, ita nuperi quidam Doctores eo vsque prosilierunt, vt non posse sanguinis Regij Principes, præsertim præsumptiuos in Coronam successores, sine assensu Regio ex consuetudine Franciæ validè matrimonium inire contenderint. Consuetudinem vnico Judithæ Caroli Calui filiæ exemplo probare, conantes: quæ tamen inuito quidem Rege contraxit nuptias cum Balduino Ferreo, indignationemque patris incurrit, & vt in gratiam rediret diu multumque luctata est, maritum tamen numquam deseruit, nec vllo præsulum Franciæ procerúmve decreto matrimonium irritatum est: quod tamen ad huiusmodi consuetudinem inchoandam factum esse astrui debuisset. imò in contrarium auctoritate Pontificia negotium illud compositum, filia quidem quasi rapta parenti iussa restitui: sed tamen non aliter, quàm si ille promptus esset mandata Apostolica implere. ideoque etsi nec posteà nuptiarum solemnitati Rex voluerit interesse, tamen honores Balduino propter intercessionem Pontificis donauit, *ita in epist. Hincmarus Archiep. Remensf. relata à Mirao c.* 17. *Cod. donat. piar.* nam cùm solius Ecclesiæ sit impedimenta dirimentia matrimonium statuere, vt latiùs *Sanchez. de mat. l.* 7. *d.* 1. & clarè innuit Concil. Trid. *s.* 24. *de reformat. mat. c.* 1. *in verbis*, *quam diu Ecclesia ea irrita non fecit*, tamen admittunt nonnulli cleri simul & populi consuetudinem: *Sanchez. ibid. d.* 4. quasi ad id sufficientem pridem præscriptam, tamquam Ecclesia annuente, cuius ea propter iudicium interuenisse probari oporteret, etsi Pontius alijque rectiùs dissenserint.

Enimverò vniformem consuetudinem, non actus difformes interuenisse oportet. & tamen Ludou. Balbus eodem patre inuito duxit Ansegardam, ex eaque tamen nati Ludouicus & Carolomannus in Francia regnarunt, & ipse Ludouicus

uicus regno non excidit. Philippota Guidonis Flandriæ Comitis filia desponsa erat filio Regis Angliæ, insciо Philippo Pulchro Rege Franciæ, mandatum à Bonifacio VIII. vt libertati restitueretur filia. *Meyer. in annal. ad. an.* 1296. *Bzouius in Ann. Eccl. ad eadem anum, Sueyro in annal. Fland. ad eumdem an. & seq.* Maria Burgunda Caroli Audacis filia Maximiliano Austriaco nupsit, inuito Ludouico XI. Rege cognato, qui & inter pacis propositæ conditiones exigebat, ne illa sine assensu suo nuptias contraheret. *Haraeus in Ann. Belg. ad. an.* 1477. qua stipulatione opus non erat, si impedire non tantùm, sed & irritare matrimonium aliter ineundum potuisset. dicit tamen Cassanus l. 2. c. 5. p. 134. eam Pacem tractatam per summos viros illius æui: summum ergo illorum iudicium cum Consuetudinis huius fabricatoribus non conuenit. Ludou. Malanus Comes Flandriæ Margaretam filiam Edmondo filio Regis Angliæ desponderat, inuito Rege Franciæ, at hic apud S. Pontificem supplex factus est, ne super consanguinitate dispensaretur: quid opus istis ambagibus, si suo Marte Rex poterat prouidere? recenset quosdam *Le Bret de la Souueraineté l.* 1. *c.* 8. quibus crimini datum sine Regis assensu nupsisse; esto: nam ibi & is subsistit irritas nuptias negamus: & sunt tamen qui ex imperfecto, eoque vnico exemplo consuetudinem velint inferre. sed vt quidem nullo ille iure nituntur; faciliùs tamen oportet, vt absolutam paciscendi facultatem Regibus Franciæ faciant ex actibus tam sæpè atque vniformiter repetitis.

Exemplum nihilominùs illud Iudithæ memores nos hic reddit, quod Carolus Caluus postea ei in dotem dedit Flandriam; & quidquid Somona, Schalda, & Oceano continetur, quæ quarta circiter regni Calui pars erat, nec tamen Ordinum scito opus fuit.

At verò non pauci actus, nec minimè celebres sunt, quibus Reges Francici consueuerint, pacis ergo, reliquive corporis seruandi causa de regno aliquid præscidere, hostique tribuere: testis esto vel solus Cassanus, cuius opus huiusmodi fœderibus impragnatum est, ijsque actibus, qui vel donationem, remissionémve liberam redolent, qui vel ijs negantur, quibus transigendi facultas iure concessa est, eorumque multos omninò suprà *cap.* 4. *l.* 1. designauimus, sed plures tamen toto illius opere adhuc vagantur, & pridem Baldus in l. *digna vox C. de leg.* & eum secutus Felinus *in c.* 1. *X. de probat.* docuit pacem cum præiudicio quamuis graui Franciæ initam per successores esse seruandam.

Sed & quam nuper contentio de Bressa, & Salutijs cum Sabaudo composita, bellum æquè atque pax ab Henrico IV. solo peracta? eaque quæ toties in quæstionem venit, Pax inter Carolum V. & Franciscum I. *Madritij* 12. *Ian.* 1526. non solùm, sed & Cameraci *nonis August.* 1529. Crespij 18. *Septemb.* 15.. atque aliàs inita inter Philippum II. Henricum II. Cambresij 1559. omnia prædecessorum pacta & quorumcumque regnorum & terrarum renuntiationes firmat, signante vtroque filio, inter Henricum IV. *an.* 1599. Veruini iterum eadem pacta pro insertis omnia habentur, aliæque adijciuntur renunciationes plures, atque inter solos Reges hæc acta omnia sine Ordinibus.

Et verò percurrentibus Gallorum historias, quotidiana pactorum fœderúmve non cum Hispanis dumtaxat, Belgis Austriacis, sed quibusuis alijs Anglis, Sabaudis, Burgundis, Germanis, Bretonibus, &c. clausula occurret, qua aliquibus vrbibus, agrísvi cessum, renontiatumque sit; nec tamen legent Ordines in medium paciscentium productos; sed eorum iniussu fœdera facta: publico tantum plausu, ludis, ignibus festiuis probata Ludouicum XI. qui solebat gloriari regnum ex ephæbis se emisisse, eo iure aliquando non vsum Franciscum I. eam exceptionem obtendisse euenit, quo videretur iuris aliqua sub specie iuratam Burgundiæ restitutionem non facere, aliaque pacta non seruare, non secùs, quàm promissum, si pacta non præstaret, redeundi Madrilium delusit, in suburbano Lutetiarum ædificato Madrilio, quò se contulit. risum teneatis.

Quin etiam casus nostræ Decretalis, *nouit. de iud.* præcipuè ad hanc quæstionem spectat, quod Rex Franciæ & Angliæ disputarint de Comitatu Pictauiensi, atque inde bellorum originem fecerint. *Chassanaeus in Cons. Burg. R. de fiefs* 3. §. *en choses num.* 45. diuturnis incommodis agitati pacem, etiam interdum & inducias pepigerint, etiam insignibus territorijs & dominijs cessis. *vt docuimus c.* 1. *l.* 2. & verò quàm diu inter Anglos tractatum est & Francos, renunciationes, cessionésve aliquæ plerumque interuenerunt. de cuiusmodi pace seruanda exaudiendus est ille textus *d. c. nouit.* nam alioquin extra causam se excusaret Pontifex, quod nolit cognoscere de feudo, si nihil circa rem pacta comprehendissent, sed promissiones tantùm personales. quo nomine Francis vltima alea felicius cessit, ac paulatim obtinuerunt, quidquid non tantum Angli aliquando bello ceperant, sed & quod iusta hæreditate etiam ante ipsam Angliam possederant in Gallijs. quibus tamen nolint Franci Angliæ Reges cedere non potuisse, successoribus non præiudicasse paciscentes, præscriptionem minùs obstare, æternam Regibus illis actionem competere, etiam armatam. Concedant ergo Moribus Franciæ solos sine Ordinibus Reges Pacis fœdera contrahere, quibus, cum seruando corpori opus est, partem aliquam ditionis hosti cedant.

LIBRI

# LIBRI TERTII

## CAPUT I.

### *Argumentum huius libri, fecialis Belgici.*

IAM ſatis dictum de Pacis vinculo, fœderumque obſeruantia. tranſeamus ad partum Caſſani, eique ſimilium, ſeu eorum potiùs quorum illi nutu mouentur, quorum ex deſtinatione Caſſanus conſortesque ſcripſerunt: bellum vtique, horridum bellum, quod inter Hiſpanos, Francos, ac Belgas per huiuſmodi tubicines excitatum eſt. Reuocemus ergo in memoriam Innocentij III. Decretalem *quam ſuprà l. 2. c. 1.* inſeruimus, eamque tempeſtatibus noſtris accommodando, mutemus perſonas: loquentem faciamus Vrbanum VIII. Philippo Augusto, de quo ille agit, ſurrogemus Ludouicum III. & in vicem Angliæ Regis ſubſtituamus Hiſpaniarum Regem, cuius parilis eſt cauſa. *Diligimus*, inquit Innocentius, *Regem Francorum Illuſtrem.* Enimverò quis Romanorum Pontificum magis Vrbano VIII. Francorum vllum Regem dilexit? quippe vt filium ſacro lauacro à ſe ablutum: quomodo D. Remigius Francorum Apoſtolus Clodouæum baptiſmo admonuit, & in Chriſto genuit.

Addit Innocentius, *de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.* vide diuinam dilectionem eſſe Pontificiam: *de corde puro*, non admixtis vllis reſpectibus humanis, qui militent aduerſus animam. *Conſcientia bona*: cui non eſt peccatum: *Eccl. 13 fide non ficta*: non vocando malum bonum, & bonum malum: ſincerè quod fides ſtatuit, quod religio exigit, quod Dei cultus poſtulat, proponendo. *Ad honorem*, inquit, *& profectum, & incrementum ipſius efficaciter aſpiramus, exaltationem regni Francorum, ſublimationem apoſt. Sedis reputantes: cùm hoc regnum benedictum à Deo ſemper in ipſius deuotione permanſerit* (ita ſe res habebant, ita Pipini, Caroli, aliique Francorum Reges audiebant) *& ab eius deuotione nullo vnquam ſicut credimus tempore ſit diſceſſurum.* Vtinam ita faxit Deus, vt regnum Galliæ numquam à Deuotione Sedis Apoſtolicæ, verò Dei cultu, fide non ficta auellatur! non in ſchiſmata labatur, non illa minetur, ſi quid ex voto non fiat, quod fides non ficta non permittit. vtinam ea vota tempeſtatum noſtrarum effecta ſequantur!

*Nos tamen*, inquit Pontifex, *qui ſatanæ non ignoramus aſtutias, circumuentiones ipſius ſtudebimus euitare.* iure merito itaque Vrbanus VIII. allaborat, vt literis legatiſque Reges edoceat ſatanæ inſidias, circumuentioneſque vitare, inſidiæ ſunt cùm ex occulto nocetur, cùm ſub ouina pelle lupi graſſantur, cum ſub ſacro velamine Achitopheles maleſuadi ſana conſilia peruertunt, cum Eccleſiæ ſubuerſioni defenſio ſociorum, aut alia ſpecies fraudis imponitur, cum religioni nocetur, & libertatis aliave nomina prætexuntur.

*Non putet*, inquit Pontifex, *quod iuriſdictionem illuſtris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus.* De iuriſdictione mundana nihil intercipitur, cùm formula à Chriſti Euangelio præſcripta tantum ſeruatur.

*Et Rex Angliæ* (ſurroga vt diximus hic Hiſpaniæ Regem) *ſit paratus ſufficienter oſtendere quod Rex Francorum peccat in ipſum.* ſcilicet quod ſibi Rebelles, Dei & Eccleſiæ hoſtes conſilijs, viris, armis, commeatu, pecunia, omni alio modo iuuet.

*Et ipſe circa eum in correptione proceſſit ſecundùm regulam euangelicam*: Rex Hiſpaniarum per literas, per legatos Regem Francorum conuenit non ſemel.

*Et tandem, quia nullo modo profecit, dixit Eccleſiæ*: fecit id Rex Hiſpaniarum, fecit & Imperator, ſcilicet vterque per legatos ſuos ſummo Eccleſiæ Capiti, Chriſti Vicario dixit, etiam per eos, qui ex eminentiſſimis in Eccleſia erant, tantæ negotij dignitati pares, quales ſumma rerum religioniſque poſtulabat.

*Quomodo nos*, inquit Innocentius, *qui ſumus ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ ſuperna diſpoſitione vocati, mandatum Domini poſſumus non exaudire? vt non procedamus ſecundùm formam ipſius?* quis ergo velit non audiat, vt cunctetur Vrbanus VIII? vt rector vniuerſalis Eccleſiæ periclitari eam ſinat, vt gubernator nauis Petri in ſaxa & ſyrtes eam impelli, in ſcyllas & charibdes dirigi, ſub vndas immergi ſciens, prudens, monituſque patiatur, ſacra inſuper prophanaque confundi, altaria, Eccleſias dirui, catholicas ciuitates expugnari, ſacrorum myſtas, Epiſcopos, clerum eijci, hæreſes induci, hæreticorum zizaniorum ſeminatores immitti, ipſum Euchariſtiæ pignus calcari, mille iniurijs proſcindi, ſacramenta prophanari etiam auſpicijs Chriſtianiſſimi Regis? iuſſum à Domino corripere inquietos (bella ſuſcitantes, increpare, obſecrare, clamare non ceſſare, quaſi tubam exaltare vocem, annunciare populo ſcelera, aliàs impium in impietate moriturum, ſanguinem eius de manu illius requirendum quis velit ſilere? Panormitanus ſanè *in d. c. nouit.* correptionem in prælato, eſſe in præcepto omnino docet: & conſonat *c. ſi peccauerit 2. q. 1. c. error. d.* 83. &, quod ex *Archid. in d. c. ſi peccauerit* refert Panormit. *in d. c. nouit. ex D. Auguſtin. de verbis Domini, ſi neglexeris corrigere, peior eo, qui deliquit, factus es.*

*Non enim intendimus iudicare de feudo*, inquit Pontifex, *ſed decernere de peccato cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus.* Poteſtatem & debitum officij ſui ritè expendit S. Pontifex. Et quamuis de ſæcularibus iudicare poſſet negotijs, iure Romano Valentiniani Imp. & Theodoſij, & Francico Caroli Magni, de cuius genere dicit Philippum Auguſtum, tamen hac in cauſa non humanæ conſtitutioni ſed diuinæ dicit ſe inniti,

potestatemque suam non esse ex homine, sed ex Deo. persuasionis tantùm ergò humanas constitutiones citat Innocentius; iuris Romani quidem, vt æqui ac boni, vbique terrarum æstimati; sed & magis Francici, vt domestici; agens cum Rege Francorum: quam etiam ob rem eum memorat Pontifex de genere Caroli Magni descendisse: vt gentis suæ exempla, legesque magis mouerent. Ideoque vox ea *genere* accipienda est, vt latè patet, de genere seu gente Francorum, quæ erat Caroli (sicut loquitur c. quorumdam in *d. 34. in verb. genere Germanos & Gallos*:) id quod proposito Innocentij sufficit, non de familia strictè, domo, & stirpe Caroli Magni, quippe Philippus Augustus ab Hugone Capeto descendit, qui communi omnium historicorum calculo de mascula stirpe Caroli non prodijt: an de fæminina alij dubitant, alij negant. sed externum à familia Carolingica fuisse scribunt. *vt pluribus docet Alex. Pat. Armacanus in Mart. Gal. l. 1. c. 32. & seqq.*

*Nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocumque peccato mortali corripere quemlibet Christianum*: an non ergo Christianissimum? nisi rem ex hoc titulo exenteres: atque ex lege diuina eradas illud, *ita magnum iudicabis vt paruum, nec erit apud te acceptio personarum*: neque ad Ecclesiæ præsides æstimes pertinere, *constitui te super gentes & regna, vt euellas & destruas, ædifices & plantes*: quæ in hanc tamen rem aduocat summus diuinæ legis sacerdos Innocentius.

*Et si correctionem contempserit per districtionem Ecclesiasticam coërcere*: vtique vt si non obedierit declaretur habendus sicut ethnicus & publicanus; adeoque à sacris Christianis abesse iubeatur, à Christi Ecclesiæque corpore præscindatur.

Non tamen id tumultuariè & præcipiti iudicio fieri debere quis existimet. eoque spectant priuilegia, quæ pro Christianissimo Rege non excommunicando ab aliquibus proclamantur: non quod potestati Ecclesiæ & censuræ sit exemptus: cùm legi diuinæ nec ipse Papa eximere eum possit, sibi successoribúsve aduersus eam manus ligare, claues Petro traditas abijcere, aut à successoribus alienare: sed modum tantum præscribere, aut censuram Sedi Apostolicæ reseruare: cùm Romani Pontifices Reges Franciæ sæpiùs excommunicauerint. quin etiam non ita pridem vt Julius II. Ludouicum XII. Sixtus V. Henricum IV. & ipse S. Remigius, qui primus Francorum Regem, gentemque baptismo initiauit, alijque testamento eius adhibiti Episcopi fieri id statuerint, si vmquam successores à fide quam eis prædicarat deficerent, Ecclesiæ graues, aut contrarij existerent: præuijs tamen pluribus monitionibus. *vt ex testamento recitat Armacanus in Mart. Gall. l. 2. c. vlt. quod Miræus ex integro refert c. 1. Cod. donat. piar.*

*Licet autem hoc modo procedere valeamus, super quolibet criminali peccato, præcipuè tamen cùm contra pacem peccatur, postremò cùm inter Reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, vt vtrumque præstito iuramento firmata, numquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiæ non est dubium pertinere? vt rupta pacis fœdera reformentur?* eodem ferè modo Innoc. IV. *in c. ad Apostolicæ de sent. & re iud. in 6.* declarat se coactum procedere contra Fredericum Imperatorē pacem iuratam infringentem: facit *Clem. pastor. in princ. eod. t. præcipimus. c. studendum d. 90. c. ab Imperat. 23. q. 3. Vide Marthan de iurisd. p. 2. c. 41. n. 11. & seqq. & innat. c. §. fin. X. treng. & pac.* Innocentium probat, laudatque ea in re Cassanus *l. 1. c. 5. p. 207.* Quid ni ergo fateamur, rectè Vrbanum VIII. cognoscere de religione iuramenti, quod in vltima pace Veruiniana interpositum est, vt instruatur Rex Francorum, quomodo immissiones factæ per angelos malos illum circumuenerint, vt reuocetur ab errore ad veritatem, vt rupta pacis fœdera reformet?

*Ne ergo tantam discordiam videamur sub dissimulatione fouere, prædicto legato dedimus in præceptis, vt ipse iuxta formam sibi datam, à nobis procedere non omittat.* Ne videatur igitur summus Pontifex itidem tantam nunc discordiam inter Galliæ Hispaniæque Reges Imperatoremque fouere, & particeps fieri multorum malorum, si ea fortè possit impedire, quis reprehendat, quod missis ad omnes legatis in mandatis dederit, vt modis omnibus incumbant in restaurationem Veruinianæ pacis, inter vtrumque Regem pactæ, qua & comprehensus fuerit Imperator, alijque Austriaci Principes.

Jure ergo meritoque idem S. Pontifex zelum suum contestatus est epistola sanctissima, ad Franciæ Reginam Matrem, quæ quantisper ipsa gubernaculo præfuit, ita pacificè Galliam rexit, vt & reipublicæ præiudicia vitaret, & bellandi necessitatem arceret, & suam S.tem iam antè pijssimis literis interpellauerat, vt paci inter fratres Reges, filium suum, generumque, conciliandæ beatam operam dignaretur impendere. Pontifex ergo rescripsit sub his verbis:

*Vrbanus Papa* VIII. *Regina Christianissima vidua, charissima in Christo filia nostra salutem. Pacem quam humani generis hostis è fidelium regionibus eliminare contendit, tamquam virtutum comitem & conseruatricem religionis, assiduo studio firmare conati sumus, etenim in summo Apostolatus apice, publicæ felicitati seruire in Domino gloriamur: ita vt filiorum discordijs paterna charitatis viscera dilanientur. Quocirca non solùm publicis ac priuatis precibus diuinæ clementiæ thronum adiuimus, è cuius virtute pax pendet, sed nullum per nos, aut per Nuntios nostros prætermittendum à pastorali sollicitudine officium duximus, quod parere posset optatæ tranquillitatem concordiæ. Et licet exortis armorum motibus, illam vndique labefactari contingat, non tamen animum ita despondemus, vt spem de meliori statu deponamus: sed quantum in nobis est ea omnia præstare non desistimus, quæ ad obtinendam expetitam serenitatem conferre censemus. Quamobrem non parum auxit solatia sollicitudinum nostrarum Maiestas tua, dum omne studium intendere significauit, vt imminentia Christiani Catholici orbis damna arceantur, siquidem vota pietatis & prudentiæ tuæ, quibus in commune bonum præcipua voluntate duceris, magnam habitura auctoritatem confidimus. Perge charissima in Christo filia, audiantur*

ex

*ex ore tuo conſilia, quibus populorum ſalus muniatur, vt in congregatione iuſtorum regnet Deus totius conſolationis. Omnium certè nationum, & ſequentium ætatum plauſu memoraberis, ſi quæ in luctuoſo bello extinguendo aggrederis, det tibi Deus perficere, cuius cauſa omnia velle debemus, ingentemq́; ab illo pij laboris mercedē iure poterit præſtolari. facilè enim eſt tanti facinoris promerita metiri magnitudine calamitatum. quæ diſcrimen religioni & vaſtitatem prouincijs minitantur. Magnum hoc decus adijciat diuina bonitat maieſtati tuæ. cui Apoſtolicam benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam* M A R I A M *maiorem ſub annulo piſcatoris, die* XXXI. *Auguſti* M. DC. XXX. *Pontificatus noſtri anno* XIII. & erat ſubſignatum Julius Roſpiglioſius. Scripſit Pontifex.& alteram epiſtolam 13. Octob. 1635. in conſequentiam eiuſdem ſententiæ.

Jta ergo ſanctiſſimè S. Pontifex. quem eo in zelo perſtiturum addubitare nos ratio decretalis noſtræ non ſinit, nec à cepto pijſſimo opere manum amoturum, cui benè promonendo etiam publicas preces Eccleſiæ vniuerſalis indixit, iubilariaſque indulgentias tribuit. Et ſanè eo res perducta eſt, vt Ferdinandus Jmperator literis ſuis ad eandem Reginam, quæ & illum pacis conciliandæ ergo interpellauerat *datis altera Nouemb.* 1635. non ſe commiſſurum declarauit, vt Reginæ commendatio fruſtrà fuiſſe videatur: optare ad tractatum, qui apparatur, omnes eandem ſecum diſpoſitionem adferre, eoque breui beatam tranquillitatem in orbe Chriſtiano refloreſcere. quod porrò ad Hiſpaniæ Regem attinet, de animo eius in pacem procliui dubitare nos non ſinit æquitas eius, atque benignitas, ac monitoriæ vltimi elogij Philippi II. tabulæ, quæ filium, adeoque poſteros, pacem vbique procurare præter cetera ſeriò commonefaciunt.

Pergit Decretalis Innocentij: *Niſi fortè Rex ipſe, vel ſolidam pacem cum prædicto Rege reformet*: quod vtinam contingat atque de corde puro, & fide non ficta!

*Vel ſaltem humiliter patiatur, vt ijdem Abbas & Archiepiſcopus Bituricenſis de plano cognoſcant, vtrum iuſta ſit quærimonia quam contra eum proponit coram Eccleſia Rex Anglorum (Hiſpan.) vel eius (Regis Francorum) exceptio ſit legitima.* Hiſpaniarum Regis quàm iuſta ſit querimonia, quam contra Regem Galliæ propoſuit coram Eccleſia, deprehendi poterit ex diplomate, quo per Sereniſſimum Ferdinandum Jnfantem Hiſpaniæ S.R.E. Card. Belgicæ Moderatorem, nomine Regis Hiſpan. manifeſto demum bello laceſſiti, aduerſus eundem Regem Galliæ bellum reciprocum eſt declaratum.

---

## CAPUT II.

### *De violatione pacis, adeoq́; iuris gentium.*

DEclarationis prologomena impulſiua hic omittamus, nam ſponte ſe in examen ingerent; diſpoſitiua verba ita latinè ſonant: *proteſtamur*, inquit Ferdinandus, *coram Deo, totoque mundo neque Regem Dominum meum, neque nos auctores cauſámve eſſe infractionis, aut rupturæ pacis, malorúmue, quæ procedere poſſunt ex bello incepto per Regem Franciæ: & virtutes poteſtate per ſuam maieſtatē nobis facta & ex deliberatione ſuorum Conciliorum nomine, & ex parte ipſius declarauimus, & declaramus eundem Regem Franciæ, illius ditiones, ſubiectos, vaſallos adhærentes hoſtes ſuæ maieſtatis, & conſequenter contra eos bellum apertum, terra marique, nuncupatim etiam tamquam aduerſus violatores iuris gentium, fautores hæreticorum, perturbatores religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ; boni, quietiſque harum ditionum, Regi obedientium.* Proponit ergo Declaratio hic gerendum bellum ex quatuor capitibus: 1. ob violationem iuris gentium. 2. fauorem hæreticorum. 3. perturbationem religionis. 4. boni, quietiſque publicæ harum ditionum. Perſtringamus ſeorſim ſingula. ſed præmittamus tria verba quæ ſubiungit Declaratio: *Ordinamus*, inquit, *omnibus ſubditis & vaſallis ſuæ Maieſtatis exercere hoſtilitatem contra Regem Franciæ, ditiones, ſubditos vaſallos, adhærentes, & facere omne id quod rigor belli poteſt permittere.* an qui omnes dicit, neminem excludit? an me etiam Declaratio hoſtilitatem iubet exercere: ſi mihi iuſſa capeſſere fas ſit, ſtylum exeram, hoſtilitatemque literariam exercebo: ab alia clerici militia remouentur: ita tamen exercebo, vt in hac militia à vexillo veritatis, nolim umquam diſcedere: exercentem reprehendere nemo poteſt, quem debita Principi obedientia excuſat. præſertim dum defenſiuum tantum ſtylum figam, quo tela in nos coniecta reijciantur, neque moderamen inculpatæ tutelæ excedam, memor illius: *conduxi te vt pugnares aduerſus hoſtem: non vt maledicores.*

Igitur quod ad primum caput attinet violantur iura gentium, cùm pacis (quæ ex iure gentium deſcendit. *l. ex hoc iure D. de iuſtit. & iur. l.5. l.1. D. de pact.*) fœdera infringuntur. de eorum viribus *lib. 2.* ſat diximus. Declaratio accuſat Veruinianæ pacis infractionem an. 1598. ſolemniter compoſitæ; publico vtriuſque populi gaudio feſtiuiſque ignibus exceptæ, omnium ordinum vtriuſque gentis applauſu probatæ. totius Chriſtianiſſimi ſuffragio confirmatæ, ſummi etiam Pontificis voto, legatiq́; illius induſtria diligenti promotæ, *precibus etiam illius ad Deum imprecationibuſque ſancita*, inquit Declaratio, *aduerſus eum qui prior infringeret.* ſcilicet ad quem modum, fœderibus feriendis fideique obligandæ veteres ſolliti fuere addere diras imprecationes, ſi fallerent, ſi deficerent: ſolemnis formula eſt fœderis icti inter populum Romanum Albanumque; *audi Iupiter, audi pater patrate populi Albani, prima poſtrema quæ ex illis tabulis ceraque recitata ſunt, ſine dolo malo, vtique ea hic hodie rectiſſimè intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior, non deficiet: ſi prior defecerit, publico conſilio, dolo malo, Tu illo die Iupiter populum Romanum ſic ferito, vt ego hunc porcum ſic feriam: tantoq́; magis ferito, quanto magis potes, polleſque* viciſſim Albanus; *ſi rectè ac ſine dolo malo, hoc fœdus, atque hoc iuſiurandum facio,*

*dij mihi cuncta felicia dent : sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus saluis in proprijs patrijs, in proprijs sedibus, in proprijs laribus, in proprijs sepulchris; solus ego peream, vt hic lapis è manibus decidet.*

Ad eum ergo modum moremque Legatus Pontificius Veruini feliciter demum coalita pace solemniter imprecatus est aduersum illi Numen qui prior deficeret; qui dolo malo falleret : è contrario cuncta illi felicia, qui rectè fœdus, iusiurandumque faceret, fidem præstaret.

Quàm religiosè pacta conuenta seruarit Rex Catholicus etiam tunc cum rebus in Gallia nefaria cæde Henrici IV. turbatis, facere rem suam egregiè potuisset, refert paucis Declaratio : ex aduerso *Notorium est*, inquit, *pace Veruiniana vix publicata Franciam, vt domi sua fructum pacis sola decerperet, transtulisse bellum in Belgium per continuationem veterum tractatuum, & conclusionem aliorum nouorum, contrariorum Veruiniano : quos secuta sunt continua hominum pecuniarumque subsidia, missa Rebellibus Deo, & sua maiestati; quibus simul oppugnaretur & Religio, & Supremitas, vt accidit maiori etiam vi seruoreque quam illi antè facere potuerant*, qui, inquit iterum Declaratio, *proximè accedunt ad personam Regis nunc regnantis, loco reciproca gratitudinis, tandem ei persuaserunt, vt plenis velis in Domum Austriacam inueheretur : quo pace domi frueretur, quam violaret extra regnum : vt in diuersis occasionibus est factum per litteras, commissiones, emissarios, & tractatus, ad mouendos in seditionem Status, & subiectos sua maiestatis, tentandum per proditiones oppida maximè munita, per nouorum vectigalium introductionem contra tractatum Veruinianum, per violationem securi transitus debiti veredarijs sua maiestatis, immissionem militum in Ducatum Luxemburgensem, Comitatum Burgundia, & Arthesia, qua omnia verificata sunt per notorietatem facti, aliasque euidentissimas probationes.* Ita Declaratio. Henricus ergo IV. quod mox ab ipso fœdere Veruiniano Batauis, Regis Hispaniæ rebellibus, fidei Orthodoxæ, inimicis, suppetias continuauit, & rebus domi pacatis potentiores tulit, binarumque post paulò legionum auxilia ad exercitum illorum submisit, quarum imprimis robore Grauia, expugnata est, Catholica simul Regi & religioni subtracta. qua de re quàm primùm Clemens VIII. legatum Regis iusta cum querimonia grauiter monuit, non tantùm id aduersari iuratæ paci, sed etiam vergere in perniciem fidei Orthodoxæ. *Ossat. ep.* 327. siquidem pactis conuentum erat, vt mutua Regum arma ponerentur non tantùm, sed & ne prætextu priorum fœderum cum alijs contractorum, quæ politici fortè per posteriora non tolli aut impediri dicerent, expressè cautum erat ne illa Veruiniana indirectè læderentur, quodque non sustinerent Reges, aut fauerent personæ, quæcumque foret, in præiudicium alterutrius, quod renuntiarent omnibus praxibus, ligis, & intelligentijs, quæ quoquo modo possent resultare in præiudicium alterius. ecce vt omnia commercia, fœderaque priora abrupta sunt, ex quibus alteruter capere posset detrimentum. formula breuior, sed sincerior erat veterum illa; *Romanis latinisque omnibus cum cælo & terra duratura. pax esto, inter se bellum non gerunto : aliunde ne inducunto : ne quem exercitum, qui contra Romanum Latinumque adducetur, per suos fines transire sinunto : néve vlla ope iuuanto.* iniecit Clemens VIII, iustissimè illum Regi scrupulum. mouit omnem lapidem, sed non promouit; perstitit Rex in proposito. *Du Plaix in Henrico IV. art. 4. tract. 1608. inter Henric. IV. & Batauos.* quinimò sub finem vitæ certum est animo magna molimina voluisse, à Principibus Belgij transitum per agrum Luxemburgensem petijsse, multorum est opinio, ea meditatum, quæ Palatinus posteà conatus est : quod quia mihi non liquet, benignius lubet præsumere illud Sap. c. 4. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius, fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentia transuertit sensum sine malitia*, ne inquam, à fictione prauorum consiliorum fascinaretur, ne ab inconstantia concupiscentiæ alieni Jmperij, à nugacitate prætextuum libertatis Germanicæ, priuilegiorum, aliorumque, sensus ei transuerterentur; dicit tamen Declaratio *Regem in procinctu fuisse ad totam Europam turbandam*, atque vtinam neque Ludouico Iusto malitia prauorum susurronum mutaret intellectum, nec transuerteret sensum sine malitia ei agnatum, ne fictio deciperet animam illius, ad manifestam infractionem pacis Veruinianæ! quæ non tantùm composita fuit inter Hispaniæ Franciæque Regem, sed etiam expressè Jmperatorem, Jmperiumque (quibuscum & fœdera alia fatetur intercedere plurima Cassanus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 24. ne quis in alterius territorium terminos promoueat: & nuperum sanè est Ratisbonense, Monçonense, & Cheracquense, quæ ognoscit Ratiocinator) aliosque domus Austriacæ Principes, &. nihilominùs adhuc nuperis literis ad Leodienses datis 3. *Feb.* 1636. Jmperator ait. *notoriè Francos iam pridem turbasse pacem, tranquillitatemque Imperij, siue bello aperto, siue tectis machinationibus.* quorum Principum singuli possunt denunciare ad morem Euangelicum, & Regis Angliæ in nostra Decretali, obiectareque illud Jephte, *Iud. c.* 11. *ad Ammon, non ego pecco in te, sed tu contra me malè agis, indicens mihi bella iniusta*, quin nec indicta gerunt; vultu amicitiam diu præferentes, impijs bellis auxilium præbent, nec iam amplius sub vmbra, sed sole meridiano, vt non hic opus sit quod *in d. c. nouit.* Rex Angliæ paratus erat sufficienter ostendere, quod Rex Francorum peccaret in ipsum, sed *infractio sit notoria*, vt ait Declaratio, & ipsa rerum euidentia tanta toto Belgio, totaque Germania, vt clarior esse non possit, quamuis dies illucesceret, quo lumen solis splendesceret, vt lumen septem dierum : vt cæcutire iam nemo possit, nisi quorum oculi lucem non ferunt veritatis; qui genuini non sunt pulli Euangelicæ Aquilæ, quæ prædicat lucem illam veram, quæ illuminat omnem hominem.

*Quibus igitur rebus*, inquit *apud Liuium d.* 4. *l.* 4. Tuus Quinctius ad Nabin. *amicitia violatur? nempè his maximè duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si cum hostibus te coniungas : Vtrumque à te factum est, nam & Messena vno atque eodem iura*

*iure fœderis, quo & Lacedæmonem in amicitiam nostram acceptam sociat ipse socians nobis vrbem vi atque armis capisti: & cum Philippo hoste nostro non societatem solùm, sed si Dijs placet affinitatem etiam per Philoclem præfectum eius pepigisti, & bellum aduersus nos gerens mare circa Maleam infestum nauibus pyraticis fecisti, & plures prope ciues Romanos quam Philippus capisti, atque occidisti: tutiorque Macedonia ora quam promontorium Maleæ commeatus ad exercitus nostros portantibus nauibus fuit. proinde parce sic fidem ac iura societatis iactare, & omissa populari oratione, tamquam tyrannus, & hostis loquere.* Ita ille. An non vtrumque à Francis factum est? Batauis rebellibus auxilio iuerunt, plures ipse quam. Batavi occiderunt, ciuitates magis quam ipse ceperunt, Imperatori Austriacisque Principibus Hispaniarum Regis socijs eodemque fœdere Veruiniano comprehensus castra, vrbes eripuerunt, à Suecis hostibusque Imperij emerunt, eosdem ad bellum in Germaniam ferendum incitarunt, quadringenta scutorum millia quotannis addixerunt, militem miserunt, omnia simul hostilia exercuerunt, an non fœdus 13. *Ian.* 1631. inter Francos & Suecum contractum esse declaratur *a.* 1. pro defensione omnium amicorum qui oppressi sunt, & vt restituantur in status suos omnes Principes, atque ordines Imperij, quemadmodum ante bellum Germanicum fuerant; denique vt omnia restituantur in eundem locum, quem ante tumultus Germanicos habuerunt. promittuntque Franci vltra subsidium quadringentorum millium scutorum quotannis, delectum militum pro Sueco habendum in Gallijs, aduersus illum non permittendum: viden' vt rebellium Bohemorum Palatinique in regnum restitutio, rebelliumque aliorum in sedes occupatas repositio aduersus priora fœdera promittitur? cum Batauis autem Henricus IV. an. 1608. & post illum Ludouicus XIII. plura contraxit fœdera in subsidium gentis Rebellis, ac denique 8. Feb. 1635. quo aperto Marte extremisque viribus prouinciæ Belgicæ Regi fideles vndique inuaderentur, occupatæ inter Francos & Batauos diuiderentur, & id quidem antequam nasceretur causa Treuirensis; quæ tamen verbo-tenus summa rerum est, ob quas Ratiocinator Regis bellum indictum scribit, sed & hoc bellum Batauis promissum sæpiùs, Regique Hispan. illatum fuit contra gentium iura, antequam vel à scenico indiceretur, antequam ex causa Treuirensi nondum nata indici posset.

Lubet ad corodinem hîc subnectere sententiam Senatus Rom. quam recitat Liuius *d.* 3. *l. sub fin.* post auditos legatos Macedonum & M. Furium ab Aurelio missum. illi de Aurelio querebantur & socijs, quod contra fœdus cum suis pugnasset, ac postulabant, vt Macedones & Dux eorum Sopater, qui apud Annibalem mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur. Furius autem disseruerat Aurelium relictum, ne socij populi Romani, fessi populationibus atque iniuria, ad Regem deficerent, finibus sociorum non excessisse; dedisse operam, ne impunè in agros eorum transcenderent populatores: Sopatrum ex purpuratis & propinquis Regis esse, eum cum quatuor millibus Macedonum, & pecunia missum nuper in Africam esse; Anniball Carthaginensibusque auxilio: *de his rebus interrogati Macedones cùm perplexè responderent, ipsi ante responsum tulerunt, bellum quærere Regem; &, si pergat, propediem inuenturum: dupliciter ab eo fœdus violatum. & quod socij populi Romani iniurias fecerit bello armisque lacessiuerit, & quod hostes auxilijs, & pecunia iuuerit, & P. Scipionem rectè atque ordine videri fecisse, & facere, quod eos qui arma contra populum Romanum ferentes capti sunt, hostium numero in vinculis habeat, & M. Aurelium è re publica facere, gratumque id Senatui esse, quod socios populi Romani, quando iure fœderis non possit, armis tueatur.* An non ita Franci qui hostes auxilijs & pecunia iuuerunt, socijs iniurias fecerunt, dupliciter fœdus violarunt, bellum quæsiuerunt, inuenerunt que? Sic generatim Anacuntha censuit in hostium esse partibus, qui ad bellum necessaria hostibus administrat: Seneca, hostile esse pecuniam, quæ satellitem teneat, subministrare, militem & arma suggerere, triremes & aratas mittere: D. Ambrosius largiri ei qui conspiret aduersus patriam, non esse probabilem liberalitatem. *Grotius de iur. bell. l.* 3. *c.* 1. *num.* 5. quod si palam aliqui vexilla sua, legiones suas hosti adiungunt, adeò id hostile veteres censebant, vt nec eis aliud bellum indici oporteret. quomodo bellum Antiocho indictum cum esset, Ætolis separatim indici non placuit, quod ipsi palam Antiocho se adiunxissent: *Ætolos vltrò sibi bellum indixisse* respondebant Feciales, *Liuius l.* 36.

Porrò ex causa ruptæ fidei, infractæque pacis sæpiùs Romani bella gesserunt, tamquam ex noua causa, iustaque vindicta contempti iuris gentium, eaque cum plurimis, *vt numerat Ayala de iure belli l.* 1. *c.* 6. *num.* 17. Sabinis, Latinis, Priuernatibus, Volscis, Hernicis, Apulis, Samnitibus, Hetruscis, Æquis, Carthaginensibus, alijs, quin & Romani fuerunt ita religiosæ obseruantiæ, vt iure censerent non posse nouas amicitias prioribus præferri, vt etiam quæcumque hic inter Regem Franciæ est, & Electorem Treuirensem sit Veruiniana posterior, quæ priorem imminuere non possit, in eamque sententiam Consul Romanus olim Campanis respondit: *amicitias ita institui par est, vt neque vetustior amicitia ac societas violetur.* nolueruntque auxilia Romani illis, etsi iniuria affectis, dare.

Qua de re finiam hanc dissertationem insigni responso Asdrubalis, Carthaginensis legati, cui pacem à Senatu Rom. oranti, cùm Senator aliquis infensus perfidiæ Carthaginensium succlamasset, *per quos Deos fœdus icturi essent, cùm eos, per quos ante ictum esset, fefellissent? per eosdem*, inquit Asdrubal, *apud Liuium d.* 3. *l.* 10. *in fin. qui tam infesti sunt fœdera violantibus.* Memoratum erat ex quo fastigio in terram prostrata esset Carthago, Imperio externo priuata, cuique supererat iam nihil præter vrbis mænia. fortunam ergo Carthaginis, infestumque Nomen ijs nunc apprecabimur, qui Punicam imitantur fidem; ritè autem pacta seruantibus Romanos successus. vt liqueat Deum sacram imprecationem, quam in pace Veruiniana à Nun-

à Nuncio Vicarij ipsius mox factam diximus, ratam habere, dignisque bellorum euentibus confirmare, vt multis in bellis maiorum nostrorum cum Gallis, & nuper ad Louanium, fugatis illorum Batauorumque florentissimis exercitibus, fractis deinde absumptisque euidenti portento euenit. atque exinde versis intra regni Gallici viscera felicibus signis Catholicis, pluribusque munitissimis locis gloriosè expugnatis, suisque magnanimè defensis, atque obsidione soluta libertatis. Neque insoliti Genii Belgicæ cum Gallis conflictus, aut ignota est pugnandi cum illis ratio, *iam vsu hoc cognitum est*, inquit Liuius, *Dec. 4. l. 8. si primum impetum, quem feruido ingenio, & ira effundunt sustinueris, fluunt sudore, & lassitudine membra, labant arma, mollia corpora, molles, vbi ira consedit, animos sol, puluis sitis, vt ferrum non admoueas, prosternunt: non legionibus legiones eorum solùm experti sumus, sed vir vnus cum viro congrediendo: T. Manlius, M. Valerius quantum Gallicam rabiem vinceret Romana virtus docuerunt*, ad eam rationem, *non didicimus*, inquit Declaratio, *à maioribus nostris metuere arma Francica* Deo propitio. apud nos illud etiam innotuit, quod Liuius *d. 4. l. 8. apud veteres*, inquit, *plures propè de Gallis triumphi, quàm de toto orbe terrarum acti sunt.*

---

## CAPUT III.

### *De fauore hæreticis impenso.*

SEcunda qualitas in Declaratione asscribitur bello gerendo, tamquam *aduersus fautores hæreticorum, quod subsidia Francorum sint missa Dei & Regis Rebellibus, ad oppugnandum simul Religionem, & Soueranitatem.* Consideratur autem fauor vel hæresi impensus vel personæ, defensio hæresis vel personæ: qui hæreticum vt hæreticum defendit, aut fauet, vix abesse potest ab hæresi, ob diametralem oppositionem, quam habet cum fide orthodoxa, cuius amor & hæreseos, vt inuicem contrarius, non potest simul esse in eodem. Veritatis est definitio, *qui non colligit mecum, dispergit, Luca* 11. & ideò professio orthodoxæ fidei omnibus hæreticis dicit anathema, *in bulla Pij IV. incip. iniunctum nobis*, imò qui hæretico fauet, qua est hæreticus, atque defendit, ipso hæretico damnabilior est: *c. qui aliorum 24. q. 3. c. ad abolend. §. præsenti. X. de hæret.* fauor personæ ex accidenti circumstantia consanguinitatis, aut simili non æquè trahitur in vitium; sed si accedit scandalum, aut Ecclesiæ periculum, fauor ille omninò à Canonibus est damnatus *c. vt inquisitionis in princ. de hæret. in 6.* quemadmodum *lex 2. D. de receptator.* ait eos, apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, neque absoluendos, neque seuerè admodum puniendos: ob mitigantem vtique circumstantiam. *Non enim*, inquit, *par est eorum delictum, & eorum qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt.* nam de illis ait *l. 1. pessimum genus est receptatorum sine quibus nemo latere diù potest.* & præcipitur vt perindè puniantur, atque latrones, *in pari causa habendi sunt, qui cùm apprehendere latrones possent, pecunia accepta, vel surreptorum parte, dimiserunt.* bella iniusta magna sunt latrocinia. quid si ergo bellorum iniustorum Duces non dimissi tantùm accepta pecunia, quin etiam data pecunia adiuti, vt potentiùs grassarentur, vrbes, castra expugnarent, hæresim inferrent, Ecclesiam pessumdarent, quod si pecunia data, vrbes, castra, subtracta recepta detenentur? non erit fautor, non ipse transibit in crimen grassatoris? si defendunt viribus atque potentia ne hæretici veniant in manum superioris puniendi, sunt excommunicati. *c. excommunicamus §. credentes X. de hæret. c. nouerit. de sent. excomm. Bulla cœna. §. excommunicamus. Extrauag. Innoc. IV. data 1252. incip. ad extirpanda §. quicumque relata in libro literarum Apostol. impresso Romæ cum directorio Eymerici, vbi & aliæ extrau. quæ super officio inquisitionis sunt editæ, tum ab eodem, tum ab alijs Pontificibus, & grauissima alia pœna infliguntur.*

Et Eymericus *direct. inquis. p. 2. q. 53. & ad illum Pegna*, amplè docet magistratus & quoscumque publica potestate fulgentes, non commissione tantùm, sed etiam omissione in fautorum reatum cadere, pœnisque excommunicationis subijci ipso iure. *d. c. excommunicamus §. credentes d. c. vt inquisitionis §. prohibemus*, & si per annum in tali excommunicatione steterint, si in ijsdem fœderibus, & auxilijs hæreticorum perseuerauerint, ex tunc sint vt hæretici condemnandi. *d. §. prohibemus*, inseritque idem Pegna *ad d. q. 53. comment.* 78. tenorem *cap. 3. & 4. ex Concilio Tolosano* Regis Franciæ olim impenso fauore celebrato, in hæc verba, *statuimus etiam, vt quicumque in terra sua de cætero permittit scienter morari hæreticum, siue propter pecuniam, siue propter aliam quamcumque causam, & fuerit inde confessus, aut conuictus, amittat in perpetuum terram suam, & corpus suum sit in manus Domini ad faciendum inde quod debebit.*

Idemque rursus Eymericus, & Pegna diuersos modos fauendi proponunt, ac tandem, quia non alibi luculentiùs exprimuntur, refert ex Concilij Narbonensis *cap. 14. 15. & 16.* quæ lubet hîc inserere: quia etiam in Gallia celebratum sit, & insigniter ad rem præsentem faciat: *Planè*, inquit, *c. 14. inter fautores accipimus, tam eos qui hæreticorum seu credentium extirpationem seu correctionem impediunt, quàm eos qui non dant ad id operam, quam non possunt sine culpa omittere, manifesta: ex diligenti tamen circumstantiarum consideratione plus minúsve contingit culpa in talibus reperire: nam multum fauet hæreticis siue credentibus qui eos celat, cùm possit, & debeat indicare: plùs qui eos occultando seu aliter ipsorum examinationem vel incarcerationem, vel punitionem malitiosè nititur impedire: plurimum, qui captos vel incarceratos relaxat præter Ecclesiæ voluntatem, seu cuius consilio vel auxilio, mandato vel cura talia perpetrantur: & c. 15. Cuius criminis reus incomparabiliter est habendus ille, qui temporalem habens iurisdictionem præfatos pestiferos hæreticos, seu rebelles ab Ecclesia denotatos persequi, & de sua terra vel prouincia exterminare postponit, vel in eos animaduertere sine*

mora:

*mora: quippe nec caret ſcrupulo ſocietatis iniquæ, qui tanto facinori ſibi per denunciationem Eccleſiæ, ſeu aliter legitimè manifeſto, cùm teneatur & poſsit, deſinit obuiare. præſertim ſi ad hoc faciendum etiam iuramento proprio ſe adſtrinxit. Denique cap. 16. ſed nec illi ſunt immunes à crimine. qui cum ſe illis offert oportunitas loci & temporis ac facultas, hæreticos ſeu prænominatos Rebelles capere, capienteſque iuuare nequiter prætermittunt, maximè ſi de hoc fuerint à capientibus ſeu capere volentibus requiſiti. Et quoniam plures & quaſi inueſtigabiles ſunt modi nocendi, quibus hæretici eorumque credentes atque fautores nituntur vineam Domini Sabaoth demoliri, & eis eſt tam prudenter, quàm viriliter occurrendum, curet veſtra deuotio ſecundùm datam à Domino gratiam, mala illorum agnoſcere & ſalutarem opponere medecinam, ſuppleatq; diſcretio, quod ſcripto non poſſet facilè comprehendi.* Hactenus Concilium. *Vide cap. quanta. X. de ſent. excom.*

Et Mariana in Hiſtoria Hiſpaniæ *l. 12. c. 3. Ceperat*, inquit, *Simon Montfortius vrbem Toloſam & in Præſidum Galliæ Concilio, quod Petri Legati opera Mompellerij habitum erat. omnium eorum, quæ bello capta. quæſitaq; erant, Princeps declaratus eſt, miſſuſque ad Pontificem Ebrunenſis Præſul vt Concilij ſententiam ipſi probaret. & c. 4. conuentus Præſulum ex toto orbe Chriſtiano Romæ tunc habebantur. Innocentio Pontifice de rebus multis & maximis incredibili Patrum frequentia*: & infrà, *duo Raymondi Toloſani Comites pater & filius cùm intereſſent Concilio, atque aduerſus Montfortium Comitem diſceptarent, lite conteſtata Patrum ſententia victi ſunt, Principatuque ſpoliati, quod cum impijs hominibus arma ſociaſſent, Simoni Montfortio nauata opera præmium fuit Toloſa, & aliæ vrbes bello quæſita partaque*: & infrà: *Montfortij filius belli molem viribus ſuis inuidiamque populi ac magna partis Principum ſuſtineri poſſe diffiſus, iure ſuo Regi Franco ceſsit.* Hoc ergo iure Toloſa in Francorum manum venit, quo Montfortius auctoritate Canonum armatus quæſierat, ſcilicet Raymondi hæretici fuerant, Montfortius religionis vindex, terris ſuis illos eiecerat.

Neque porrò eſſe poteſt maior auctoritas quàm Concilij illius Oecumenici ex quo refertur *c. excommunicamus 13. X. de hæret.* atque in *§. moneantur* qui ita habet; *ſi verò Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia ſuam terram purgare neglexerit ab hæretica fœditate per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur, & ſi ſatisfacere contempſerit intra annum ſignificetur, hoc ſummo Pontifici* (nota) *vt ex tunc ipſe vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis abſque vlla contradictione poſsideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo iure Domini principalis; dummodò* (attende) *ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat.* pergit Concilium; *eadem nihilominùs lege ſeruata circa eos qui non habent Dominos principales*: Reges vtique atque Principes qui ſuperiorem non recognoſcunt, qui à Deo & enſe profitentur ſe dominatus ſuos poſſidere. Neque orthodoxo dubitandum eſt, quin Eccleſia eam habeat auctoritatem, quæ Spiritu ſancto dictante ea decreta

*Fr. Zypæi oper. tom. 2.*

propoſuit, in Concilio Oecumenico, cui interfuerunt Epiſcopi 215. Archiepiſcopi ſeu Metropolitani 71. Abbates ſeu priores ſupra 800. Fred. Rom. Imp. Henric. Conſtant. Imp. Reges Franciæ, Aragoniæ, Angliæ, Hungariæ, Hieroſ. Cypri, & plures Principes, & Legati. Is fuit ſenſus S. Matris Eccleſiæ, neque contradixere Principes, tametſi fateatur non inconſulto calore *vltra* humanas vires prouehere Principes debere ad ea, quæ ſunt *adynata*: ſi modò hæreticos bona fide, vt loquitur, d. Concilium, exterminare ſtudeant, & Narbonenſe eis eſt inquit iam prudenter qui viriliter occurrendum, *& dixi latius in Indice l. 4. c. 4.*

Quid ſi ergo non tantùm purgare ditiones ipſi negligant, ſed obſtaculum impedimentumque ponant, ipſi militem, legiones mittant, quæ Principibus officium facientibus obſiſtant, exercitus propulſent, nec tantùm hæreſes exterminari impediant, ſed ſocialibus armis ipſos Principes Catholicos oppugnent, vrbes, munitaque loca Catholica, expugnent, hæreſim immittant, orthodoxam fidem exterminent? nemo, cui oculi præ affectu non caligant, non videt huiuſmodi Principes ab eo crimine pœniſque non eſſe alienos.

Hoc vnum muſſitatur, cauſas dari ob quas Reges fœdera cum hæreticis contrahant à religione alienas, in eorumque conſequentiam faueant, auxiliaque mittant Principibus, non vt hæreticis, ſed qua Principibus, bellum vt credunt aliàs iuſtum gerentibus, in quo gerendo, ſi quid aduerſus religionem committatur, eſſe id extra ſuam intentionem, atque contingere per accidens. ſed eam obiectionem reiecimus quidem *in Indice lib. 4. c. 11.* at plenissimè diluit Armacanus *in Marte Gallico l. 2. c. 13. & 14.* quin & bellum quod Batani, quod Suecus, & Proteſtantes gerunt, eſſe religionis *l. 2. c. 10. & 12.* amplè demonſtrat: eoque non per accidens religioni noxium dumtaxat: & vt ita foret: tamen, quamuis mente cogitationéue ſegregari poſſint ea, quæ principaliter aguntur ab ijs, quæ cohærent, nihilominùs actiones humanas iudicandas eſſe, vt fiunt vnà cum ijs, quæ perpetuò comitantur, aut plerumque, aut rarò: ex ijs quæ rarò contingunt, actioni malitiam non imprimi, ſed per accidens ea aduenire cenſeri; & caſui imputari: quæ autem ſemper aut plerumque connexa ſunt, actiones probas aut improbas facere, in eamque rem citat Armacanus *d. c. 14.* D. Thomam *q. 1. ar. 3. ad 15. & 1. 2. q. 75. a. 8. & 1. 2. q. 20. a. 5.* qui id liquidiſſimum facit. quid ergo apud Batauos ſecutum ſit per annos nunc ſeptuaginta experientia conteſtata eſt, vtique ex tot centenis vrbibus, ex tot millenis pagis miſſa eſt in exilium religio Catholica: adeò vt nec vnus ſit angulus, vbi illa publicè exerceatur, ſed in latebris dumtaxat, aut cryptis, more primitiuorum martyrum: præter pauca loca vltimo triennio capta, quæ ſub pacto Catholicæ religionis ſeruandæ ſe dediderunt: ſine vadibus tamen, qui promiſſa præſtitum iri fide ſua ſpoponderint, minùs qui non Punicam illam fore fidem, vt in pluribus alijs anteà locis, quando nonullibi ne viderentur nimis palam fœdifragi eſſe tantiſper exſpectarunt

G 3 dumtaxat,

dumtaxat, donec mutatis omnibus officijs, in quibus corpus reipublicæ cum Senatu videretur repræsentari, huic illisǫue impositis hæreticis, quasi publico scito postulari curarunt mutationem religionis, pœnalesǫue Catholici exercitij prohibitiones. Js genius est hæreseos, præsertim Caluinianæ, lex capitalis Status Batauici, & exemplum nuperum Thenense eam indolem, intentionemǫue satis prodidit: tametsi eo fœdere belli socialis (quo ann. 1635. 8. Feb. *ar.* 6. signato à Rege 8. Martij prouinciarum harum, vt vrsi nondum capti partitio facta erat) comprehensum esset, vt in locis communi bello subiugandis Catholica religio seruaretur: vtique dicis causa, atque ad populum phaleras. alijs enim cautionibus apud istos homines opus esse experientia docuit, imò vix vllas præter armatam coactionem sufficere. vt Breda capta postremò testatur, eiecto mox clero, templis prophanatis, hæresi inducta, catholica religione proscripta, quæ sit vel mens paciscentium, vel fides non præstantium. vt & nunc Traiecti ad Mosam fœdus infringitur, plures Ecclesiæ ab hæreticis occupatæ sunt, quàm conuentum erat: processio publica inhibetur, S. Sacramenta occultè deferuntur contra pacta, & verò, vt solida foret ea libertas adiunctam tamen habet singulis in locis aliquarum traditionem Ecclesiarum Catholicarum, in quibus deinceps hæreseos exercitium habeatur. quod per quam infame visum esse antiquis patribus: & Francorum fœdera cum Batauis, Sueco, Protestantibus directè eo tendere vt hæretici præficiantur, aut stabiliantur supra Catholicos, & id esse directè fauere hæreticis, directè incurrere in omnes illas prohibitiones Ecclesiæ Conciliorumǫue Oecumenicorum latiùs ibidem probat Armacanus *c.* 23. 24. 25. 26. 27. 28. & porrò *seqq. cap. ad finem vsque libri* fœderum huiusmodi reprobationem pergit demonstrare sacris scripturis, antiquorum patrum testimonijs, recentiorum scriptorum adstipulatione: quin & illa etiam fœdera à scripturis & patribus videri damnata, etiam eo ipso quod cum infidelibus ineantur, ad mutuas bellorum suppetias, seu quando ampliùs fœdere comprehenditur, quàm vt habitet quietè aliquis iuxta infideles, ne sibi inuicem noceant, vt tranquilla pax & commercia sint, aliaǫue id genus: infelicibus exemplis etiam id astruit, vbi culpa alia non detegitur. sed vt hæc non ab omnibus recepta sunt, ita neque Molanus, *l.1. de fide heret. seruand. c.* 20. 21. (vbi & Machabæorum cum Romanis fœdera defendit & 23. ad casum necessitatis restringens) neque Becanus, *in Analog. vet. & noui testam. c.* 17. *q.* 6. neque nos *in Iudice l.* 4. *c.* 11. *num.* 2. in eam sententiam iuimus, dummodò absit scandalum, & periculum Ecclesiæ: in eumǫue sensum interpretati sumus Clementinam I. *§. porrò de iureiur.* vbi Jmperator iurat numquam cum Saraceno, pagano, Schismatico, seu alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio Ecclesiæ inimico: vel rebelli, seu eidem manifestè suspecto vnionem quamlibet, seu parentelam, aut confœderationem inire: indistinctè quidem. & vt admittatur quidem distinctio pacis Jmperio proficuæ Ecclesiæ non noxiæ, non est tamen dubitandum, quin Concilium oecumenicum Viennense, & in ea præsidens Clemens V. Francis olim adeò fauorabilis, damnare omninò & prohibere voluerit eas cum infidelibus, hæreticis, schismaticis confœderationes, quæ finem habent, vt hæretici Catholicis præficiantur, stabiliantur, manuteneantur, cum sequela oppressionis fideliũ, religionis prostratione, Ecclesiæ conculcatione, quod eò magis liquidum euadit, si consideremus iam pridem Bulla cœnæ Domini excommunicari omnes qui ad hæreticos, vel hostes fidei deferunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalibem, omniaque alia metallorum genera, bellica instrumenta, cannabem, quibus Catholicos oppugnant, qui eos de rebus *statum* reipublicæ concernentibus in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt, qui illis ad id auxilium, & consilium præstant quomodolibet, non directa tantùm nocendi intentione, sed vel in rem dumtaxat suam lucrumǫue proprium, si modò respublica capere possit detrimentum. ad quem modum & legibus Jmperatorijs *l.* 2. 4. 6. *C. de commercijs* vetitum fuit aurum, similésve merces etiam pacis tempore ad Persas mittere: quo minùs ab earum rerum cupiditate ad noxia Jmperio consilia animarentur. tametsi priuati mercatores non de republica, sed de lucro suo solliciti essent, sed auertenda est occasio rerum noxiarum, ob quam nec arma quidem priuato per easdem leges *Nouel.* 85. *de armis* licuit habere, vendere aut fabricare. vt & Phylistini 1. *Reg. c.* 13. cauent, ne Hebræi gladios aut lanceas fabricent. at quantò remotiora hæc sunt ab ijs, qui iam seditiosè furentibus atque efferè rebellantibus amica consilia, armata auxilia, aureos fauorum imbres submittunt? Declaratio porrò suppetias continuas hominum, pecuniarumǫue missas rebellibus Dei & Regis, ait, quibus simul Religio & Supremitas oppugnaretur.

## CAPUT IV.

### *De perturbatione Ecclesiæ.*

NUnc accedamus ad eam qualitatem, quæ perturbatores S. Matris Ecclesiæ, Catholicæ, Romanæǫue religionis compellat. siquidem *pertinet hoc*, inquit D. Augustinus, *tract.* 11. *in Ioannem ad Reges sæculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, vnde spiritualiter nati sunt.* & Leo Pontifex Leoni Jmperatori, *epist.* 75. *debes*, inquit, *Jmperator aduertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. cùm enim*, inquit D. Ambrosius, *epist. ad Valentin. omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Jmperatoribus terrarum, atque Principibus, tum ipsi omnipotenti Deo. & sacra fidei militatis.* iure igitur meritoque Hispaniarum Rex Ecclesiam desiderat esse pacatam, agnoscit potestatem sibi ad Ecclesiæ præsidium esse collatam,

latam, omnipotenti se Deo, & sacræ fidei militare, ex sanctæ huius militiæ Sacramento rectè Declaratio *decernit gerendum* hoc bellum, *tamquam aduersus S. Ecclesiæ turbatores*. quis non iustum dicat, quod fit aduersus eos, si qui eodem obstricti sacramento præuaricantur, si qui Christianismum buccinantes, in matris Ecclesiæ Christianæ ventre tumultuantur, corrosione eam discerpunt, percussoribus non tantùm non obsistunt, sed & tela ministrant? & verò bellum Ordinum confœderatorum aduersus Regem Hispaniarum initio, medio, fine Religionis esse, bellum Suecicum Protestantiumque in Germania, bellum itidem esse Religionis; liquidum facit Armacanus *in Mart. Gall. l.2. c.* 10. *&* 12. & post illum Nicolaus Vernulæus *in Apologia Austriac. c.* 16. pactum etiam Sueci cum Protestantibus, vt quæcumque ille loca Catholicorum bello caperet, illi cederent; quæ Protestantium, restitueret: id satis docet *Ioan. Bap. Burgus de bello Suecico l.* 1. Ipsi Ordines Bataui edictis publicis præsertim contra Catholicæ religionis exercitia latis protestati sunt plurimis bellum suum pro religionis, quam vocant, reformatæ obseruatione cœptum esse potissimum, & geri. exitum finemque acta probauerunt. nam si de priuilegijs tantùm quæstio foret, ea Catholicis olim data his saltem communia manserunt, cur ergo hi proscribuntur, & Catholica exercitia tot sanguinarijs edictis toto illorum dominatu prohibentur? quomodo ergo poterunt accessoria auxilia esse iusta; si principalis causa belli sit iniusta? cùm accessorium induat naturam principalis, principale vocamus in iure, quod in re præcipuum est, & quasi causa eius, quod accedit. sic prædio legato sequitur hortus, & quæ ad prædium pertinent: *l. prædijs* 91. *§. fin. D. de leg.* 3. sic rupto patris testamento corruunt pupillares tabulæ: *l. Papin.* 8. 9. *si nec D. de inoff. test.* matrimonio irritato corruit dos: *c.*5. *X. de don. inter vir. l.* 4. *C. de rit. nup. l.*3. *D. de iur. dot.* & quæ plura DD. adducunt *in c. accessor. de reg. iur. in* 6. quare fieri nequit, vt iniusti belli iusta sint auxilia, auxiliorumque fœdera. fieri nequit vt Regibus, qui vasalli sunt Christi, ea liceant, ob quæ vasallos suos ipsi reos habent, subditos maiestatis damnant. an non iure feudorum beneficij excutiantur, qui Indecentibus machinationibus Dominum offenderint? *lib.* 2. *feud. tit.* 57. Domini castrum oppugnauerint? *l.* 1. *tit.* 5. periclitantem deseruerint? *lib.*2.*tit.*24. Domino mortem, captiuitatem, aut iacturam facere molientē, fraude celauerint? *ibid.* eum, cùm potuerint, non liberauerint? *ibid.* cum inimicis eius suas amicitias copulauerint? *lib.*2. *tit.*57. tandem si ita versati fuerint, vt potiùs inimici, quàm fideles esse credantur? *ibid.* Denique si vxori Domini non tantùm stuprum obtulerint, sed vel impudicas tantùm manus admouerint? *l.* 1. *c.* 2. *& ibi Cuiac.* & Regibus hæc simul omnia permissa quis statuat, vt consilia cum Dei Ecclesiæque hostibus conferant, molimina iuuent, vrbes Christi, castra fidei Orthodoxæ expugnent, vnde omnia sacra deinde eliminentur, periclitantem in fidelibus Christum deserant, cùm possint non liberent, mortem, captiuitatem, iacturam Christi in membris fidelibus, præsulibus, clero, sanctimonialibus, populo orthodoxo molientem celent, cum inimicis Christi amicitias copulent, ita versentur vt potiùs inimici quàm fideles credantur, parricidijs, incendijs, sacrilegijs misceantur; denique Ecclesiam sponsam Christi fœdari iuuent, subsidia præstent, sanctimonialibus sacrilega stupra offerri, adulterina libidine tentari? denique post hæc omnia per omnes rimas quærere quæ sua sunt, nullatenus quæ Jesu Christi? eius dum sunt vicarij, potestatem suam tantùm extollere satagant, nihil sollicitì sint de officio, de ministerio, quod Rex Regum & Dominus dominantium eis imposuit, cuius causa gladium portant; non Christi vices, sed res suas curent diligenter, parabolam Euangelicam Domini qui seruos super bona sua constituit, fideles & prudenter negotiatos remunerat, pecuniam Domini desodientes ad tenebras damnat, ad se non pertinere arbitrentur? cùm tamen *dominetur excelsus super regnum hominum, & cui voluerit det illud. Dan.* 4. vt multis exemplis manifestum Deus fecit à se remunerante vel puniente ortus, & occasus esse regnorum, incrementa, decrementaque. *vt hac omnia exequitur latiùs Armacanus in Marte Gall. l.*2. *c.*15. 16. 17. 18. 19. neque opus est longa hîc dissertatione, vbi Ecclesia per totam Germaniam aliquot nunc annis tanta rerum confusione, Ecclesiarum inuasione, Catholicorum exilio, alijsque incommodis innumeris afflicta est, vt nullæ vastationes veterum Barbarorum, Atrilæve diuini flagelli, aliorúmve tyrannorum proscriptiones, vis, atque crudelitas tanta fuisse videatur. Declaratio de his proloquitur Regem, Batauosque partitos, prouincias Belgicæ obedientes antequam occupassent, *vt tractarent*, inquit, *eas in supremo gradu sacrilegiorum, impietatum; violentiatum, & crudelitatum, qua posteritas difficilè induci poterit, vt credat. per eos nuper coniunctim esse commissas in vrbe Thenensi contra Deum, eius sacramenta, Ecclesias, sacerdotes, religiosos, sanctimoniales, senes, fœminas, pueros.* Si ergo à Christo iubemur eum, qui Ecclesiam non audierit, *Matth. c.*18. habere tamquam ethnicum & publicanum, quid dicemus de eo qui oppugnarit? an non meritò armis coërceri, ne illam funditùs prosternat? alioquin quo iure glorientur Franci toties olim pro Ecclesia Carolum Magnum, posterosque arma tulisse? pro religione vexillis etiam cruce signatorum annumeratos, aduersus ethnicos, hæreticosque militasse? an non Carolus Magnus Leoni III. eum coronanti iurauit, *se protectorem, defensoremque fore Ecclesiæ, eius vtilitates se curaturum? Sigon. l.* 4. *de reg. Ital.* an non in sacris suis in eandem sententiam conceptis verbis iurant Reges Franciæ, alijque omnes Catholici Reges & Imperatores, *se iustitiam pacemque Ecclesiæ seruaturos?* quin & prouinciarum Præsides iuramento addicebant *seseque Ecclesiæ aduersaturos, nec alios permissuros? quantam possibilitatem haberent Nou.* 8. *seu iurisiurand. quod præstatur col.*2. *t.*3. ab eaque leges nostræ omnem Imperij felicitatem fatentur proficisci? *Nou.* 4. *de Epis. & cler.* nónne ideo Constantinus Romanas

aquilas cruce mutauit? *Niceph. l. 7. c. 41.* omnesque ad Deum ideò victorias retulit, vt scripsit ipse Episcopus Palæstinis, *Baron. tom. 3. an. 316.* quare sanctissimè per Concilium Toletanum 4. *c. 3.* de Regis Ordinumque assensu vetitum est, ne quis Regalem thronum ascendat antequam Ecclesiæ se fore defensorem, hæresumque persecutorem iurarit. & Concilium Tolet. 2. *c.* 10. eam defensionem adeò extendit, vt disertè se bellum susceptorum promittat aduersus hæreses, quæ suo tempore forsan sint Ecclesiæ pacem turbaturæ. hoc iure, sacris hisce Concilijs nititur Catholici Regis aduersus hæreses zelus, bellique huius hoc nomine Declaratio.

Quid de huiusmodi zelo, quid de bello nostro senserit Pius V. Pontifex verè pius, & cuius ob pietatem nunc de eo inter Sanctos referendo non parum cogitatur, elucet præclarè ex epistolis eius nuper hic inter cæteras impressis, datis ad Philippum Regem 17. Jan. 1567. quibus illum adhortatur, vt ad hæreticos ac rebelles ipse traijciat: ad Ducem Albanum 26. Aug. 1568. quibus religionis causâ gaudere se, & gratulari ait prælia domini prælianti supernum adfuisse auxilium, & victoriam aduersus hæreticos concessam: alijs 12. Dec. 1568. quibus ad idem bellum aduersus hæreticos strenuè gerendum hortatur: iterum ad Regem 8. Martij 1570. vbi inter cætera christianæ reip. mala per hæreticorum nefariam conspirationem inferioris Germaniæ perturbationem, facinoraque nefanda deplorat. Quin & de bello aduersus hæreticos Gallico, quod illius iudicium fuerit copiosè produnt epistolæ ad ipsum Regem, Reginam, Legatos, Cardinales, Principes. 13. 16. 18. Oct. 16. Nou. 1567. 17. Jan. 28. Mart. 13. 26. April. 1. Aug. 12. 17. 19. 20. Oct. 3. 6. Nou. 1569. 29. Jan. 23. April. 14. Aug. 23. Sept. 1570. quas ita designasse suffecerit, cùm ex ordine temporum sint impressæ. Quibus omnibus zelum catholicum aduersus hæreticos, etiam bello comprimendos quàm maximè laudat, commendat, atque ad id adhortatur. & epistola vltima, quòd semper in impietate valdè progrediantur hæretici, eorumque sermo passim serpit vt cancer, *omninò*, inquit, *vel dissimulare, vel nimis leniter agere aut sæpenumerò damnum attulerit ecclesiæ, non solùm veteres, sed recentes nostra calamitates profectò, quam vellemus, clarius testantur.* Ideoque in ijs, quas citauimus literis, Pius non eos tantùm Reges & Principes, quorum causâ agitur, ad hæreticos compescendos, sed & alios Principes ad subsidia ferenda ipse prouocat, procurat, ea ipse præstat: fœdera improbat, quæ veram cum illis pacem non adserunt: eoque 18. Jun. 1570. & illud quod Carolus Franciæ Rex cum Turcarum tyranno inierat: quod non tantùm pacem, sed & amicitiam cum illo contraxerat. & in epistola ad Ducem Venetum 18. Oct. 1567. hæreticorum rebellium *adeò præsens*, inquit, *& ante oculos positum est hoc periculum, vt omnes qui religionem catholicam saluam volunt, & communi vtilitati consultum cupiunt, communi auxilio, communibus hostibus sine mora vlla obsistere debeant.*

Ita Pius; ita Christi Vicarius. qui cum eo non colligit, sed dispergit, qui cum successore Petri, pro quo orauit Christus ne deficeret fides eius, hanc doctrinam non affert: ne aue ei dixerimus, nec communicemus operibus eius, censura Pij sanè, malignis.

## CAPUT V.

### *De perturbatione quietis Belgicæ, publicæque.*

VLtimam qualitatem Declaratio bello adscribit, gerendo *tamquam aduersus perturbatores boni, quietisque batum ditionum.* de bono fidei, religionisque iam diximus, nunc de bono status politici Declaratio agit: summum illud est quies publica *de qua egimus in Indice lib. 3. c. 6.* eam omnes curare tenentur, & prouincias purgare. *l. 3. D. de offic. præs.* quod si in eum numerum excreuerint improbi, vt ciuilium iudicum potestate coërceri non possint, manus militaris aduocanda est. *l. 2. C. de his. qui latrones aut crim.* omnesque, quantum vires sinunt, reos exhibere, sistereq; tenentur, prædijs alioquin, castris, iurisdictionibusq; priuandi. *eadem l. 2. & Constitutione Frederici l. 2. feud. tit. de pace tenenda & eius violat. §. si iudex.* Et porrò *l. 1. eod. tit. de his qui latrones.* de ijs, qui in eorum societatem iuuando, occultando, eripiendo transeunt, ita decernit; *si quis eos offerre iudicibus supersederit, supplicio corporali, aut dispendio facultatum pro qualitate personæ, & iudicis æstimatione plectetur.* societas belli iniusti, societas magni latrocinij est, venitque socius, defensor, patronus in omnia crimina eius, cuius negotio, crimini, seditioni se immiscet, vnde Romani, qui tamen socijs defendendis terrarum omnium potiti sunt, vt Cic. 3. *de rep.* ait, tamen non censebant se ex amicitia obligari, nisi vsque ad aras. adeoque in primo fœdere cum *Iuda Machabæo l. 1. c. 8.* Demetrio scribunt, quæstos Judæos, adduntque; *si iterum nos adierint, aduersum te faciemus illis iudicium, & pugnabimus tecum terra marique.* Prius ergo de belli iustitia iudicabant, deinde ex fœdere pugnabant. inde diuina censura *beatus vir qui non abijt in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. Psal. 1.* qui socium se impijs consilijs præbet, qui viam peccatorum ambulat, peccatis illorum inuoluetur. Cur enim alioquin exprobat Deus peccatori, *Psal. 49. si videbas furem, currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas?* & Abdias, *in die cùm stabas aduersus eum* (Jacob, id est filios Israël) *quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Jerusalem mittebant sortem, tu quoq; eras quasi vnus ex eis.* quasi vnus ex eis qui sacrilegis arridet, suadet, iuuat. sic Saulum dicit D. Augustinus *Serm. 5. de sanct. c. 4.* cùm lapidaretur Stephanus, omnium vestimenta seruantem, tamquam manibus omnium lapidasse. & vt Apostolus *ad Rom. 13.* docet, non esse potestatem nisi à Deo, & qui potestati resistit Dei ordinationi resistere: qui autem resistunt, sibi damnationem acquirere, ita

ita & *ad Rom.* 1. de contentione & inobedientia, alijsque criminibus rebellione inferioribus: *qui talia agunt, digni sunt morte*: subiungitque, *& non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. neque verò vllus est Principum, qui rebelles non criminosos æstimet; adeoque & incentores, fautores, adiutores eiusdem criminis iniquitate damnet: consentiente iure naturæ, lege Hebræa, Euangelica censura, & factis veterum Christianorum. *vt & in Iudice diximus l. 3. c. 9. num 52. & seqq.* Batauosque legitimo hæreditarioque Principi rebelles omni excusatione carere. sed neque eam maculam in præteritum per inducias esse abstersam, sed rursus priorem colorem induisse, libertatemque tractatui tributam induciarum, qua earumdem contractus subsisteret, lapsu præscripti duo decennalis temporis exspirasse, omniaque hinc maiestatis iura, inde rebellionis crimina in pristinum statum redijsse diximus: *in Iudice l. 4. c. 21. num. 3. & seqq. & plenissimè hæc exequitur Armacanus in Mart. Gall. l. 2. c. 2. 3. 5. & intermedio c. 4.* nec libertatem nouæ religionis appetitam eam maculam purgat: eamque Batauorum causam latè exagitat Vernulæus, *Apoleg. Austriac. c. 16.* & refert idem Armacanus Originem belli Germanici, ac Suecicum fœdus eadem nota maculatum probat *c. 7.* sed & Vernulæus *ibid. c. 15.* disquirit de iusta repetitione (quæ pars magna istius belli) bonorum Ecclesiasticorum in Germania, debitorum ex fœdere Passauensi: quo nixi solo Augustanam formulam professi in Imperio consistunt: ideoque id fœdus obseruare tenentur omninò, sub cuius ancili delitescunt, contra seueritatem legum Romanarum, canonumque. sed & idem Vernulæus Austriacorum politicum regimen aduersus quorumdam calumnias tutatur: *c. 14.* & falsò impositam subditorum oppressionē amplè diluit *c. 13.* vt omninò fuci sint, quæ de Germanicæ libertatis imminutione iactantur: ideoque huiusmodi color bellis ferendis non sufficiat: sed neq; auxilijs decernendis. vnde Armacanus *ibid. c. 8.* non sufficere fœderationem, vt mittantur auxilia, liquidum facit: sed sociorum bellorum iustitiam non minùs, quàm propriorum prærequiri. Seditio vt diuersimodè contingit, ita pœnarum varietate castigatur. *l. 28. §. solent. D. de pœnis. l. 1. & 2. C. de seditios. & his qui plebem aduersus remp. audent colligere, l. quisquis C. ad leg. Iul. maiest.* nulla maior est culpa quàm hostilia in Principem, aut rempublicam moliri, & in his maxima in personam ipsius Principis, aut euersionem Principatus: vtrumque in bello Batauico, Sueuicoque obtinet: summum itaque in vtroque nefas, quo Germania inferior, superiorque susque deque tot nunc annis vertitur. & benè sacri Canones seditiosos excommunicant *c. fin. dist. 90.* quomodo & Canones etiam Apostolorum vel solis verbis in Regem iniurios puniendos decernunt. *Can. 83. si quis*, inquit, *contumelia affecerit Regem aut Principem pœnas luito: siquidem clericus, deponitor, si laicus, communione priuator.* & sanè in Concilio generali Lugdunensi Innocentius IV. Fredericum Imperatorem Imperio, Siciliæque Regno priuauit ea maximè de causa, quod rempublicam Christianam quàm maximè perturbasset; nec iustis conditionibus pacem componeret, pactamque antè & iuratam violasset. *c. ad Apostolicæ de sent. & re iud. in 6.* receptaque adeò est sententia iustè Principem dominatu exui, si communem populi Christiani pacem, salutem, & bonum conturbet. *Azor. instit. Moral. p. 2. lib. 10. c. 8. q. 3.* conformiter ad *d. c. ad Apostolicæ c. venerabilem § sunt enim notoria X. de elect.* & quamquam loquantur *dd. cc.* in Imperatore, nihilominùs idem obtinere in Regibus, iisdem ex causis, tradit idem *Azor. p. 2. lib. 10. c. 5. q.* 8. & expressè decidit Bonifacius VIII. *in Extrauag. vnam sanctam de maior. & obed.*

Et valdè fallitur Cassanus *l. 1. c. 4. p. 186.* vt iam suprà *l. 2. c. 1.* in examine Decretalis *nouit.* præmonuimus in alijs priuilegijs, solùm asserens Franciæ Regē ob ea potestate Ecclesiæ esse exemptum, per Extrauagantem *meruit in communib. de priuileg.* siquidem ea constitutio non id dicit, sed tantùm negatiuè decernit per illam Bonifacij constitutionem nullum Francis præiudicium generari, nec ampliùs Ecclesiæ Romanæ fore subiectos, quàm antè *d. const. vnam* existebant, sed in eodem statu esse, quo erant ante illam definitionem: si ergo ex natura rei, sacrisque literis *in d.* constitutione *vnam* citatis ea auctoritas Ecclesiæ competit, non est abrogata per *d. Extrauag. meruit*: neque enim potest Pontifex auctoritatem, sibi successoribusue *cap. innotuit. X. de elect.* à Deo tributam abdicare, ligandi, soluendique potestatem abrogare: si non competit; ergo nec aliorum Regum auctoritatem *Extrau. vnam* imminuit, aduersus Christi sententiam; *date quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: ob quam Pontifex Regum iurisdictionem aut supremitatem numquam intendit minuere, sicut nec illi Ecclesiæ auctoritatem: vt declarat Innocentius III. *d. c. nouit. in princ. X. de Iudic.* sed neque potuit Pontifex si ea auctoritas ei à Deo non est concessa: quæcumque autem à Deo concessa est, par est in omnes: sicut vnum ouile est, & vnus pastor: *Ioan. 16.* vna omnium, & pariformis omnium commissio *pasce oues meas Ioan. 21.* nihil in ea Franci à Christo minus habent, quin pro debito pascantur, vt aliæ gentes: nihil pastori in Francicas oues minus potestatis, qualiscumque ea sit, quæ pascendi verbo est attributa, quàm in oues cæterarum nationum: nec apud Deum est distinctio Judæi & Græci, *ad Rom. c. 10.* prout generalius DD. censent *ex c. fin. de off. leg. in 6. c. ne aliqui de priuil. in 6. c. felicitè de maior. & ob. Extrauag. execrab. §. nos itaque de præb.* Reges haud facilè in excommunicationibus comprehendi, & ne possint excommunicari pluribus concessum constat *ex d. c. ne aliqui*. De hac porrò publicæ tranquillitatis turbatione Declaratio ait, *potuisse meritò ex pace Veruiniana, inducijsque cum Batauis initis, omnem Europam quietem vniuersalem sibi promittere; Henricum IV. animo turbationem totius Europæ proposuisse, eius morte rebus mutatis. demom qui nunc ad Regem proximi accedunt ei persuasisse, vt plenis velis in Domum Austriacam incurreret.* cuius ditiones eùm pænè per omnes Europæ tractus porriguntur, vndique res omnes fuere turbatæ; à reg-

nis, prouincijs toto Jmperio, Belgioque Tranquillitas profligata, nullum non in angulum Mars & bellona penetrauit.

## CAPUT VI.

### *De causis Imperatorio nomine per Serenißimum Ferdinandum Cardinalem Infantem explicitis.*

POst causarum Declarationis nomine Regis Catholici factæ analysim satis longam, non opus est Resolutionis 5. Julij 1636. Montibus Hannoniæ vulgatæ auctoritate Jmperatoria in Galliam arma inferendi, causas in plures partes distrahere, ac diuisim diducere: visum ergo ipsa Resolutionis verba tantùm dare, *Francia*, inquit, *postquam aduersus rationem & iustitiam mouisset, aluissetq́, bellum intra ditiones Jmperatoris, atque Regis Catholici Domini nostri, subsidia extraordinaria hominum pecuniarumq́, misisset subditis eorum Rebellibus, in Jmperium attraxisset Suecos, cepisset, emisissetq́, ab eis vrbes Alsatia, aliarumq́, terrarum hareditariarum domus nostra, nec pepercisset Ligua Catholica, qua non alia ex causa, quam pro bono religionis arma sumpserat, notoriè post omnes has contrauentiones publicas, & manifestas tractatuum pacis, ipsa Francia ad rupturam deuenit, tum cùm ipsi nos plus causa haberemus bellum ipsi indicendi, immisit exercitus suos ad vastandum Belgium, Ducatum Mediolanensem, feuda qua Imperium habet in Italia, & nuper Comitatum Burgundia, aduersus pacta neutralitatis, fidem publicam, promissaque expreßißima Comitis Condai postquam etiam huiusmodi attentata & fidei infractio obuelata fuissent coram orbe Christiano futilibus pratextibus, factisque non veris, contentis in diuersis Declarationibus verificatis in Parlamentis Francia, isque peruersus procedendi modus in Comitatu habuisset multas insolentias, calumnias, vilipendiaque personarum sacrarum, cùm agnouissemus ipsi quod diutina nimis dißimulatio tantarum omnis generis iniuriarum nulli bono esset, sed ipsos hostes redderet audaciores, & compaßio nostra quam Francia populis tribuebamus attraheret ruinam illorum, quos Deus obedientia suarum maiestatum subiecit: his ex considerationibus ex potestate quam nobis fecit Imperatoria maiestas, resoluimus earum arma in regnum Francia immittere, non alio proposito quam astringendi Regem Francia, vt coeat in bonam aliquam, & securam pacem, sublatis impedimentis qua poßint tantum bonum retardare.* Jta resolutio. & iterum ad finem repetit, non aliud ex felici armorum successu, quem Deus sit daturus, prætendi, quàm *conseruasse*, inquit, *& auxisse religionem Catholicam pacificasse Europam. releuaße suppreßos, & reddi curaße vnicuique quod suum est.* scilicet vt Reginæ matri Regis Christianissimi fiat satisfactio, & *Principes*, inquit, *iniustè pulsi suis ex ditionibus restituantur, videantur securitates pacis certiores, quam ab interuentione illius exspectari poßint, qui violauit tractatum Ratisbonensem, & alios factos tam ante quam postquam ille rebus Francia fuit admotus.* Causæ sanè hæ iustissimæ sunt; finis non tantùm æquissimus, sed & religiosissimus; media autem etiam moderatissima. *Significamus*, inquit, *etiam vt liqueat quanti faciant sua maiestates preces Regina matris Regis Christianißimi, protecturos nos, & tractaturos vt amicos omnes Francos, qui secundabunt coniunctim vel diuisim nostram intentionem, nosque ordinaße, vt neutralitas seruetur nobilitati, vrbibusque qua illam petent, negabuntque auxilia ijs, qui se opponent bono Christianismi, propriaque illorum saluti, contra quos exercebitur omnis generis hostilitas.*

Causæ reperiuntur hîc eædem, quas ex Declaratione iam discussimus, infractio fœderum, auxilia rebellibus missa, fauor hæreticis impensus, Catholicum fœdus oppugnatum, ipsorum hæreticorum in imperium immissio, emptæ ab his, captæq́ue vrbes, Ecclesiæ turbatio, vastatioq́ue, quies Jmperij, tranquillitasq́ue publica euersa, neutralis etiam Burgundica ex fœdere communi cum Heluetijs irrupta; quibus ex causis cùm Jmperator & Rex Catholicus vindictam pœnasq́ue petere possent, tantis Ecclesiæ Reiq́ue publicæ incommodis dignas, vastarioni totius Germaniæ pares non tantùm, sed & damnorum illatorum satisfactorias; cui pretio nec ipsa tota Francia sit soluendo, æquandoue: vt ait *Tac. 2. Ann. perfidos, & ruptores pacis vltioni, & gloria mactandos*: declarat tamen Serenissimus Cardinalis Infans nolle tantis Franciam plagis vapulare, solam se Ecclesiæ, Jmperij, regnorumq́ue pacem intendere. vt olim Alphonsus, cùm Picenum Sedi Romanæ rebelle sub iugum reduxisset; offerenti Pontifici aliquot ex eo vrbes, renuit: *Non*, inquit, *prada aut quastus, sed Ecclesia gratia hanc expeditionem suscepi.* Jta sanè hic Cardinalis. pergit ergo, & simul amicitiam ijs offert, qui eodem Regem Christianissimum consilijs atque aliàs inclinabunt, ijsq́ue, qui eum à publico bona abducunt, aduersabuntur. Hæc verò ex fine suo sancta, religiosa, iusta bella sunt, quæ pro restauratione Ecclesiæ, fœderum obseruantia, quiete publica, pace ipsa geruntur. *apud veros*, inquit Augustinus, *Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, qua non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt mali coërceantur, & boni subleuentur c. apud 23. q. 1.* idemq́ue iterum *ibidem c. noli. pacem habere debet voluntas. bellum neceßitas, vt liberet Deus à neceßitate. & conseruet in pace. non enim pax quaritur, vt bellum excitetur: sed bellum geritur, vt pax acquiratur, esto ergo etiam bellando pacificus: vt eos, quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas*: possetne accedere propius ad verba, mentemq́ue Augustini Cardinalis Jnfantis Resolutio?

Pax optima rerum, quas homini natura dedit,
Pax vna thriumphis, Innumeris potior.

Lubet ergo iterum eundem Augustinum audire, *relatum eadem causa q. 3. c. 2. ibidem Maximinianus*, inquit *Episcopus Vagiensis auxilium petijt ab Jmperatore Christiano, aduersus hostes Ecclesia. non tam sui vlciscendi causa, quam tuenda Ecclesia sibi credita, quod si pratermisißet, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda.*

*culpanda.* Meritò igitur, & Cardinalis Infans negat dissimulationem iniuriarum Ecclesiæ reique publicæ illatarum diutiùs protrahi potuisse. quippe idem Augustinus 23. q. 3. *c. si ea*, inquit, *de quibus Deus vehementer offenditur, insequi aut vlcisci differimus, ad irascendum vtique diuinam patientiam prouocamus*, & ibidem Isidorus, q. 5. *c. Principes cognoscant*, inquit, *Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt, nam siue augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* neque enim frustrà gladium portant, non frustrà sunt instituta potestas Regis, & arma militis; *non est iniquitatis sed potiùs humanitatis societate deuinctus qui propterea est criminis persecutor, vt sit hominis liberator. ibid. c. 17. & 18. vt belli pestis interimat, quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non reuocant. ibid. q. 4. c. si quos*, & nominatim Principum zelum excitari debere aduersus hæreticos Ecclesiam turbantes, Augustinus multis locis inculcauit. *citantur eadem q. 4. c. nimium, c. displicet, c. quando. c. qui peccat, c. non inuenitur, c. si Ecclesia. c. quid crudele*, & Gregorius Gennadium exarchum Africæ ad hæreticos armis coërcendos animauit: *l. 1. ep. 72.* vt conatus eorum comprimeret; superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premeret, precatus ad id brachium forte, & mentem fidei zelo velut mucrone gladij vibrantis exacutam.

Ad Ecclesiæ reique publicæ defensionem accedit etiam causa, & finis sociorum defendorum, vt meritò hanc illi etiam coniunxerit Cardinalis: prædicens non ponenda arma, nisi socijs iniustè pulsis in iura sua restitutis. *Fortitudo*, inquit Ambrosius, *qua vel in bello tuetur à barbaris patriam vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.* & iterum; *qui non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit eadem causa q. 3.*

Eademque ratione etiam complexus est Cardinalis causam Reginæ matris Regis Christianissimi, quippe optimè D. Hieronymus *relatus c. 33. q. 5. ead. caus. Regum*, inquit, *officium est proprium facere iudicium & iustitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino pupilloque & viduæ, qui faciliùs opprimuntur à potentibus præbere auxilium, & vt curam eis preceptorum Dei maiorem iniiceret*, intulit: *nolite contristare vt non solùm non eripiatis, sed ne patiamini quidem per vestram conniuentiam ab alijs contristari.* De calumnijs & contristatione Reginæ Matris, non opus est hîc multa dicere, sunt alij officium istud diligenter executi: ego hic tantùm velim interrogatum illum, quisquis dubitare volet, nisi essent calumniatores, qui aures Regis Christianissimi insiciunt, quomodo Ludouicus Iustus Dei monita & minas non exaudiret, quomodo non aliquid ad se pertinere vereretur;

*Tob. c. 4.* Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius, memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te.

*Eccl. c. 7.* Genitus matris tuæ ne obliuiscaris.

*Prou. c. 23.* Ne contemnas cùm senuerit mater tua:

*Deut. c. 27.* Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem, & dicet omnis populus, Amen.

*Eccl. c. 3.* Maledictus à Deo, qui exasperat matrem.

*Prou. 28.* Qui subtrahit aliquid à matre sua, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

*Prou. c. 19.* Qui fugat matrem, ignominiosus est, & infelix.

Hæc monita diuinarum literarum, hæc decreta æterni Iudicis, hæ minæ Dei vltionum nullatenus quippiam terrerent Ludouicum Iustum, ne Reginam matrem, souerano Principe natam, vxorem Henrici Magni, Franciæ Reginam coronatam, matrem trium Europæ Regum potentissimorum, matrem denique suam sustineret inhonorari, è regno eliminari, (cuius ei iubente Magno patre, omnibus Ordinibus assentientibus, diadema fuit impositum, quod in periculosissimis temporibus filio sæpè seruauit) bonis eijci dotem, duaria, donaria eripi, carceres pati, nisi calumniatores essent, qui aures regias ita obtunderent, vt stuperent ad rerum gestarum iudicia, vt deessent seu qui dicerent ei veritatem, seu qui dicturi admitterentur: vt diuina illa eloquia in reprobos sensus transuerterentur. Concludam ergo cum D. Hieronymo: Imperatoris Hispaniarumque Regis officium esse proprium Reginæ matri Viduæ, Peregrinæ præbere auxilium, vt eam non tantùm ipsi non contristent, sed vt nec patiantur quidem per suam conniuentiam eam ab alijs contristari, vt arma non antè ponant, quàm ei sit ritè satisfactum, & calumniatores vindictæ subditi, condigneque coerciti. Bellum ergo quod matris fugatæ honorem, sociorum Principum iniuria pulsorum restitutionem, fœderum redintegrationem, reip. quietem, Europæ pacem, Ecclesiæ tranquillitatem, religionis conseruationem, fidei orthodoxæ, diuinique cultus incrementum propositum dumtaxat habet: quod tam iustis ex causis susceptum est, quod ad tam rectum finem dirigitur, quod cum eo moderamine, quod diximus, geritur. qui non iustum, pium, sanctum iure omni meritoque prædicetur?

## CAPUT VII.

### *An Hispani, Austriacive omnia sub suam Monarchiam redigere intendant: eiusque rei suspicio iusta belli sit causa.*

Atque hæc de causis Imperatorio nomine propositis. Nunc ad rem nostram redeamus. Expendimus Declarationem, qua parte comprehendit quomodo in Regem Hispaniæ peccare dicatur Rex Franciæ: pergamus nunc itinere ab Innocentij III. Decretali præscripto, videamusque porrò, quod extremum mandat; an Regi Franciæ aduersus hæc, *legitima aliqua competat exceptio.* Vulgata est epistola Regis 9. *Iunij* 1635.

1635. ad Ducem Montbasonium, qua ei significat, se in scriptum redigi iussisse rationes, quibus coactus sit bellum Coronæ Hispaniæ indicere: iubetque eas vulgari, quo belli sui iustitia omnibus fiat manifesta. sanè (quod rem nostram spectet) nihil habet Rex ex Cassani aduersus priorum Regum pacta commentis; quæ suprà pluribus eluimus: spectat magis Regias exceptiones: siquidem veræ illæ forent, & non alienis auribus auditæ, alienis cribris examinatæ. verbosum tamen habet Rex Ratiocinatorem: perindè atque si alter Cicero Philippicas scripturus, aut in Verrem dicturus esset. *Vir Linguosus non dirigetur in terra. Psal.* 139. quàm in contrarium scriba Ferdinandi summas rationes paucis est complexus! dum ille multiloquis verborum crepundijs arundineas belli causas commentatur. Jta nihil istis politicis bellatoribus vsitatius, quàm ementiri bellorum causas, dum iustas non habent, & speciosas prophrases comminisci. *vt diximus sup. l. 1. c. 2.* Jtaque omittamus verborum ampullas rem secernamus: vt ille, *sat salueo, dic quid velis;* Rationes, si inspiciamus, rediguntur illæ ad paucas: primas tenet hæc, eamque cæteræ vt scopum spectant; quod Hispani, Austriacíue eo colliment, vt Christianus orbis sub vnam illorum Monarchiam redigatur: Carolum V. primum eius consilij auctorem radicitus animis illorum illud infixisse; eo actiones tendere, eo bella moueri: sed tam vetus est hæc cantilena, quàm numquam vera. ipse Philippus II. in vltimis monitis filio præscripsit inter alia, vt bellum nemini sine iusta causa, consilioque inferret. Carolus porrò V. in epistola quam Collegio Cardinalium scripsit 16. *Octob.* 1526. *Antuerpiæ cum varijs impressa apud Godefrid. Dumæum* 1527. declarauit arbitratum se in Jmperij culmine constitutum, *non vt Jmperij limites*, inquit, *cùm Christiani sanguinis iactura extendere, propagareque studeremus, sed quo Imperialis dignitas auctoritate & potentia decorata, & obseruaretur à multis, & contemneretur à paucis. Indeque Christiana arma bellorum iniurijs in extremum ferè discrimen adducta, sempiterna tandem Cæsareæ dignitatis beneficio pace frueretur, & Francisco I. Rege Francorum capto, data opportunitate*, inquit, *qua nostro de rep. benè merendi studio satisfacere liceret, ab ipsis hostibus victis primi pacem flagitauimus, tantumque petijmus, vt quæ à prædecessorum nostrorum manibus eripuerant, & contra ius fasque occupabant, nobis restituerentur.* Æquissima postulata, simul & verissima. circumspiciamus enim orbem Christianum; estne aliquis in Europa angulus, quem nunc Hispani Austriacíve possident, quem Carolus V. eiusque frater Ferdinandus non acceperit ab auo paterno Maximiliano I. Jmperatore Romano, auiáve illius vxore, vel auo materno Ferdinando Rege Catholico præter Lusitaniam & Mediolanum? at Lusitaniam iure successorio obtinuit. nemo nescit antequam bello regnum peteret, quàm diligenter ius successionis examinari curauerit à Theologis, atque Iureconsultis. perplures sunt, qui & tunc & postmodum eam quæstionem tractarint, etiam neutris addicti, atque extra ditiones Regis Hispaniarum, qui pro illo summis legum rationibus responderunt. & quidem summatim in eam sententiam. vt in Regis vltimo defuncti potestate non fuerit modum præscribere, quo post eius mortem de iure successoris statueretur: minùs ad populi Ordinumque iudicium spectare noui successoris designationem, electionemue, regia gente non emortua: Anthonium nothum à patre Ludouico, Rege Henrico, populoque habitum, ac verè talem, esse incapacem: Parmensem pro liberis repræsentationem proponere eo gradu atque ordine, in quo leges non agnoscant: Subaudum, quod ea, quam prætendebat, repræsentatio referebat sororem matre Philippi iuniorem. natalium iure posteriorem esse. Bragantium etsi vxor repræsentationem vrgeret, eodem tamen ipsam gradu consistere tantùm, & vt fœminam masculo locum facere, quamuis repræsentatio eo in gradu & concursu obtineret: Catharina verò Medicææ, antiquas tenebras silentio damnandas. Cassanus *l. 1. c. 3.* has elucidaturus longis discursibus per veteres Comites Bolonienses venatus est aliquam obsoleti iuris speciem, quasi olim Comitibus Boloniensibus ius fuerit succedendi in regnum Portugalliæ, aduersus Dionysium, quem Cassanus ex iniustis nuptijs natum, & regni incapacem facit: tametsi solemniter illæ fuerint celebratæ inter Alphonsum patrem & Beatricem filiam Regis Castellæ; & mortua priori vxore, superuixerit secunda, & matrimoniū à Sede Apostolica fuerit confirmatum, filius ex eo natus eadem opera legitimatus, nec tantùm à Pontifice, qui in consequentiam matrimonij potuit filium ex eo natùm legitimare; *c. per venerabilem qui filij sint legit.* sed etiam quod filius à patre tamquam subditus à Rege fuerit legitimatus, qui modus etiam approbatur *in d. c. per venerabilem*, atque ibi refertur in Rege Francorum admissus, quem adeò Franci non possunt reprobare: denique per Regni Ordines ibidem fuit præ alijs assumptus, cuius rei in regno Portugalliæ non esse leuem considerationem patet ex inscriptione & textu *c. 2. de sup. negl. in* 6. & Franci admittere debent qui ob huiusmodi SCtum pro Philippo Valesio latum Eduardum posterosque Angliæ Reges à Corona Francica reiecerunt. vt & omnia essent vera, quæ illa dissertatione à Cassano proponuntur, & Reginæ Catharinæ Medicææ ius aliquod competijsset, ad illud regnum, quid inde conficeret Cassanus? *Omnia*, inquit, *illa iura quæ competierunt Reginæ Catharinæ, transierunt in filios* (mirum est quod ex capite primi non affixerit Coronæ, immemor vtique vnionis Salicæ, ita ante hac prædicatæ) *& denique in personam Margaretæ Valesiæ ante Reginæ*, vxoris Henrici IV. vt Mathildis Lusitani: atqui *hæc*, ait, *instituit heredem vniuersalem Ludouicum XIII.* quasi verò testamento dari iam possit regnum Lusitaniæ, quod passim in alijs extra Francos reiecit Cassanus, & in Coradino non admittet. qui Aragonios omnis dominationis Siculæ nuncupauit hæredes; *vt tetigimus l. 1. c. 4.*

Mediolanum quod attinet, nescio quo diuino decreto factum sit, vt toties ea ditio circumagitata tandem aliquando consisteret penes Hispaniarum Regem; si quidem Jmperatores Carolus V. &

V. & antè Maximilianus I. Sfortijs illius inuestituram concesserant, qui omni iure feudi beneficio fuêre priuati, quod aduersus Dominum arma sumpserant: & iterum, iterumque caduca, etiam Francisco Sfortiarum Duce postremo sine liberis mortuo, cùm & Cæsarem hæredem instituisset, à Carolo V. vt Imperatore concessa fuit Philippo II. vt inter patrem Principem, & filium subditũ rectè distinguit, *d. c. per venerabilẽ.* ne quis cum Cassano dicat hanc sanguinis propinquitatẽ inuestituræ esse impedimento. cùm etiam filiusfam. Consul apud se ipsum emancipari possit, vel adoptari. *l. si consul. D. de adopt. vbi gloss. plura eius generis adfert.*

Nec verò, quod ex iure cessio Gallaciorum, vel pacto Caroli V. de inuestiendo Francisci I. filio argutatur Cassanus, quidquam potest facere: cessionem alibi non admittit, vt suprà etiam vidimus, *l. 1. c. 4. §. cessione* præsertim feudi Domino inuito extantibus etiam filijs, & agnatis: cùm & Galeatij inuestiti tantùm sint pro se & filijs masculis *Bernardin. Corius histor. Mediolan. p. 4.* quod etsi disertè in diplomate non esset expressum, tamen ex iure Longobardorum, quod est in vsibus feudorum descriptum, in feudo Longobardico, quod est Mediolanum, obtinere deberet: atqui feudum concessum pro aliquo & hæredibus, eo iure intelligitur de masculis tantùm *c. 1. §. & si clientul. de alien. feud.* Maximiliani etiam concessio facta Ludouico XII. ea lege fuit, vt Claudia filia eius atque hæres futura, nuberet Carolo illius nepoti, posteà Jmp. at hæc data est Francisco Comiti Engulesmi, posteà Regi; quo soluta est illa pactio. pactum autem in pace factum à Carolo V. mox concidit, pace infracta à Francisco I. eiusque liberis: quibus si quid ex pacto iuris esset, felonia abstulisset. quod etsi neque sic se haberet, mortuo primo inuestito sine liberis, & ex stirpe Valesia Ludouico XIII. non descendente, nihil magis proficeret Cassano Mediolani argumentum, quàm Portugalliæ.

Ratiocinatori autem nostro id in solutum damus, post tot bella Caroli V. & Philippi II. nihil possidere Austriacos, vel Hispanos bello partum. verum quidem est, gesserunt illi multa, magna, diuturnaque bella: sed maximè contra infideles, hæreticos, rebelles, pro religione, pro maiestate, pro socijs defendendis, quàm autem spolia ampla retulerunt? pro labore quidem sumptuque religioni defendendæ impenso à Deo receperunt mercedem suam. quinimò dum Philippus II. in Franciam arma tulit pro religione suarum ipse prouinciarum in Belgio, vnde militem abduxerat, grauem passus est imminutionem: præter thesauros ibi effusos. cuius rei cùm Philippus aliquando videretur argui, hominem rogauit, an in Francia iam Missa diceretur? cùm is annueret; at satis id, inquit. quod ergo in Germania Belgicaque Deo Jmperioque rebelles, compescere intenderunt Austriaci, Hispanique, iureiurando in sacris suis præstito obstringebantur: quis Christianus defensam fidem, quis defensam maiestatem aduersus rebelles iure indignetur, quis defensas prouincias vi inuasas, quis socios iniuriâ oppressos auxilijs adiutos?

Si Jmperatores, qui per duo nunc sæcula Austriaci fuerunt, tantum Jmperium augere intenderent, Romanos dici se contenderent, an Romæ ac per Jtaliam non haberent quod repeterent ex veteribus Caroli Magni membranis, priorumque Jmp. lege regia, si Cassani ductum sequerentur? dum iustum putat ad Caroli Magni priorúmque Principum statum pristinum omnia redintegrare, adeoque Romanas aquilas, vbicumque olim illæ hospitatæ fuerint, restituere. quin & Ecclesia Catholica feria sexta parasceues rogat, *vt subditas Imperatori faciat, omnes barbaras nationes Deus, in cuius sunt manu omnium potestates, & omnium iura regnorum.*

Quòd si Caroli V. ea mens fuisset, is scopus; non erat tam rerum ignarus, quin media ad eum finem idonea quæsiuisset, oblata à fortuna acceptasset: captum ad Ticinum Franciscum I. non dimisisset, aut arma posuisset, quin Ducatus Burgundiæ, aliæque ditiones, quæ illius erant, restitutæ fuissent: Jtaliam ea victoria consternatam, vbi victori exercitui omnia cedebant, vlterius iure Jmperatorio in ordinem redegisset, Franciam, vbi captus Rex, ac Nobilitas, miles cæsus erat, aut aberat, afflixisset: Africæ oram sibi detinuisset, cùm Muleassem restituit: Saxoniam, Hassiam, aliasque rebellium tunc Principum ditiones fisco, sibi, suisque applicasset, quomodo Cassanus gloriatur Reges Franciæ solere domanium suum augere; idq; iustissimum medium esse rem suam faciendi. *l. 2. c. 5. p. 144.* Hetruriam, Senas sibi, suisque seruasset, non alijs concessisset; stabiliuisset, nec Mediolanum Delfino addixisset in casum nuptiarum, ac fœderum seruandorum, sibi dein reseruasset, non Sfortiæ restituisset. Denique cùm obtulit ei Franciscus I. post pacem Madrilianam, si Burgundiam abdicare voluisset, suo sumptu subijcere Venetos, Florentinos, reliquosque Jtaliæ populos, Mediolanenses & Genuenses ad obedientiam cogere; si Monarchiam affectasset, & non tantùm auitas hæreditatis recuperationem, hæc vtique magna promissa acceptasset.

Ad extremum quid Jmp. Ferdinandus II. & III. sibi habent ex bello quod nunc tot annis geritur quæsitum? Regi Daniæ imprimis cæterisque Principibus, qui eis conciliari voluerunt, omnia sunt restituta, ipsi ditiones auitas oppignorarunt distraxeruntque. si Carolus tantæ ambitionis auctor fuisset, non sponte viuus omnibus se exuisset, vt nihil biennio antequam moreretur possideret, præter alimenta priuati nobilis.

Quod si Hispani Austriacive, vt olim Romani, magnitudinem Jmperij sui, non belli institiam tantùm spectarent, Romanorum vtique vestigijs insisterent, qui socijs defendendis Jmperium immensum auxerunt: at Rex Hispaniæ post socios aduersus iniuriam defensos, bellaque confecta nihil sibi retinuit. Nónne nuper Duci Sabaudo, Mantuano, Grisonibus, omnia ab illo sunt restituta, quæ bello capta Romani retinuissent? sed optimè aliquando Carolus V. cùm aliqui dicerent, non vti illum occasione, vt Alexandrum olim; & Romanos; respondit illos quidem magnitudinem Imperij solùm præ oculis habuisse, se autem vnicè iustitiam spectare: *Chytræus in Chron.*

*Chron. fol.* 508. an idem fecerint Franci quando ex fœdere Protestantium libertati Germanicæ speciosa arma, & milites commodarunt, ex eoq; incendio Metim, Tullum. Verdunumque rapuerunt, & etiamnum nullo titulo possident, iudicet quisquis æquus, non affectu cœcus, est arbiter. an non Pinorolam aliaque loca possident, Sabaudo alijsque erepta, Vallisque Tellinæ maiorem partem, quibus iactitant se suppetias tulisse? an non à Suecis Gothorum, Wandalorumque hæredibus, & auitæ inuasionis, vastationisque imitatoribus, loca plura armis capta, in se transcripserunt? an non emerunt etiam antequam caperentur, vt Constantiam & Brisaccum? quasi pretio excitis prædonibus, quorum spolia induerent? an non Alsatiæ, Palatinatus, Moguntiæ, Treuirorum tantas partes, totamque Lotharingiam inuaserunt, armisque detentant? an non Britanniam minorem, aliasque terras familiæ Valesiæ hæreditarias, qui ex stirpe Valesia non sunt, possident, obtentu testamenti, quo à Margareta Regina scriptus sit hæres Ludouicus XIII. quod in alijs non admittunt? an non supra sesqui-sæculum Ducatum Burgundiæ, aliasque id genus ditiones detinent sub nullo Salico virilis sexus pacto, à Joanne Rege filio eiusque etiam successoribus olim concessum? ne quicquam dicamus de Normandia, Aquitania, Pictauia, alijsque Anglorum hæreditarijs olim ditionibus: Prouincia Hispaniarum Regi nunc etiam debita, alijsque: quæ si ad bilancem expendantur, minus possidere Austriacos Hispanosque ex iure aliquo belli, quàm ante annos ampliùs centum habuerint liquidò constat: Francos ex aduerso vndequaque esse auctos, quo iure, quaque iniuria, defendendis socijs, hæreticis, seu rebellibus: imò Hispani rebellibus tot hæreditarijs prouincijs Belgicis spoliati sunt Francorum subsidijs. vt imaginariæ tantùm sint declamationes aduersus finem augendæ magnitudinis, quem Hispanis Austriacisque affingunt, at ipsi habent: nec obscurè Cassanus, Arroyius, alijque intendunt, incenduntque: & vel solo Frontispicio Cassanus ostentat.

Verùm enimuerò huiusmodi vicinæ potentiæ metum non esse iustam belli causam, etsi bellantibus socijsque in bella trahendis valdè vsitatam latiùs diximus: *in Iudice lib.* 4. *c.* 7. *num.* 7. quod & Grotius *de iur. bell. l.* 2. *c.* 1. *num.* 17. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 5. censet: nec Franci admittent totam Europam aduersus eos iustè posse conspirare ex metu per Cassanum aliosque iniecto quasi Ludouico XIII. tota debita vindicandaque sit. iustam quippe causam non esse censet Grotius nisi necessariam: at huiusmodi metum non esse talem: nisi & de animi potentis certitudine omninò morali constet: quod hic secùs est. periculum etiam præsens esse debere, vt v. g. eleuatam percussuri manum, & quasi inchoati conatus, *arg. l.* 8. *§.* vir quoque in V. manus audaces probauerit ingerentem C. *de repud.* certumque non opinabile; præsertim vbi de bello tot cædes pariturо agitur. cùm & in priuatis facinus sit, occupare malum, quod timeni. *vt latè idem Grot. de iure bell. l.* 2. *c.* 1. id quod hic dubij eo minùs habet, quod Veruiniana & Ratisbonensi pace disertè conuentum sit, ne vllo prætextu arma resumerentur, & sanè frustrà est omnis pax, si bellis instaurandis sufficiat metus, &, quam quisque imaginari voluerit, apprehensio.

---

## CAPUT VIII.

### *Appendix eiusdem argumenti, & de bello Sabaudico & Mantuano.*

EX quibus refutata iam est etiam particularis obiectio ex bello Sabaudico & Mantuano sumpta: quòd scilicet Rex Hispaniæ ex bello sociali rem suam non fecerit, nullum vel pagum bello captum sibi retinuerit, sed socijs iam defensis hostibúsve iam conciliatis restituerit, vt hic metus chimericus sit, vel panicus.

Jn qua obiectione simul illud per transennam notare lubet, quàm consuetum solœcismum committat Ratiocinator, dum oppugnat intentionem Regis Hispaniarum, quod opem tulerit faimliæ Mantuanæ, non amicitiæ causa. quam eandem posteà armis oppugnauerit: quasi verò Hispaniarum Rex affectui soleat arma sua accommodare, & non iustitiæ belli: vt si hæc suadeat aduersus eos arma vertantur, quos aliàs iuuerit. atque hoc verè est amicum esse vsque ad aras, vsque ad iustitiæ terminos: adeò vt si Sabaudi non iustis de causis statum ditionis Mantuanæ minuere voluerint, iustè amico Duci, etiam aduersus consanguineum, suppetiæ latæ sint: si rursum Mantuanus debita Vasalli obsequia Jmperatori, supremo feudi Domino deferre detrectauerit: auxilia Jmperatori iustè præstet: donec vasallus debitum fidelitatis iuramentum dederit, cæteroque officio ritè sitfunctus, quasi verò non exigant leges feudales fidelitatis iuramentum per ipsum etiam vasallum præstandum, si Domino ita visum erit: ac Franci non semel idem à Comitibus olim Flandriæ alijsque Regni vasallis, armis extorserint. atque altero sæculo quidem Ludouicus XI. non eo prætextu etiam ditionibus pupillæ Mariæ Burgundæ, Carolo Audace ad Nancæum cæso, manus iniecerit: non obstantibus iuratis inducijs: easque armis recuperare Maximilianum maritum oportuerit. *vt lib.* 1. *c. vlt. §. Flandria latiùs diximus*. Cassanus sanè *Recherches l.* 2. *c.* 4. *p.* 94. laudat Galliarum Reges, quod fidelitatem à vasallis ipsis fieri exegerint, non procuratorum iuramento fuerint contenti: quod Carolus VIII. reiecerit magnam pecuniæ summam, à Ludouico Sfortia oblatam, vt filius nomine Ducatus Genuensis per procuratorem reciperetur. quod personalis ea sit obligatio non realis, *iuxta Baldum in l.* 1. *de rer. diuis.* ideoq; ossibus personæ inhærens, ab ea sit expedienda. quam ob causam Bonifacius VIII. etiam egressum ex monasterij claustro Abbatissæ concedit, si Dominus per procuratorem fidelitatem præstari noluerit. *c. periculoso de stat. regul. in* 6. memorat iterum Cassanus tractatum *an.* 1330. inter Philippum

lippum Valeſium Franciæ & Eduardum III. Angliæ Regem, vt hic illi perſonaliter hominium, fidelitatiſve iuramentum redderet, & *ann.* 1254. inter S. Ludouicum & Henricum Angliæ Regem: *nec ab huiuſmodi iuramento*, inquit, *p.* 95. *vllus Princeps eſt exceptus*: an hæc conueniunt cum armis per Francos ſumptis, vt Mantuanus ab eo exciperetur?

## CAPUT IX.

### *Eiuſdem argumenti, & de Valle Tellina.*

DE Valle Tellina quid opus eſt diſſerere? Catholici oppreſſi auxilia poſtularunt à Rege Hiſpaniarum, receperunt, pax confecta, ſanctè poſſeſſio ſequeſtrata fuit in manibus ſummi Pontificis Romani: non Hiſpani, non Auſtriaci eripuerunt, ſed Franci, qui nunc rurſus Vallem inuaſerunt? non illi, ſed itidem Franci. vſi ſunt Auſtriaci, Hiſpaniſve innoxio tranſitu, pactis comprehenſo, eoque non aliter firmato, quàm neceſſitas traijciendorum auxiliorum bello Jtalico, Germanicoque poſtularet.

Fatetur nunc Ratiocinator Tellinam armis Gallicis occupatam, ſed rurſum ex metu air, imminentis ab Hiſpano mali. quaſi verò ad ea ſæcula veniendum ſit, quibus bellorum iuſtitia ex aſtrologia iudiciaria definienda ſit, quibus ephemerides belli paciſque artes ac iura dabunt; quibus inſomniorum portenta armis mouendis ſufficient. non ita Romani, aliæve nationes; apud quas iura gentium valuerunt: ſed poſt res demum ablatas feciales repetitum legabant. De damno infecto ſuo nomine promitti, alieno ſatis dari, prætor iubebat ei, qui iuraſſet non calumniæ cauſa, ſe id poſtulare *l. prætor D. de dam. infect.* at hîc non promiſſum tantum, non fœdus ictum erat dumtaxat, ſed & poſſeſſio in ſanctum ſequeſtrum transſcripta: quæ æquitas prætoria poſtulauit vmquam ampliùs? actum agimus, operam perdimus, ſi res pace ſemel compoſitas iterum iterumque euoluimus, & præſertim poſt Mantuanas & Tellinas controuerſias, Ratisbonenſia fœdera, nullo prætextu arma reſumi permittentia non ſeruamus. Naturæ & gentium iure limites munire, arma defenſiua habere parata in omnem occaſionem vigilare, ne opprimaris: piſcium leporúmve inſtar apertis oculis dormitare, ne incauto hoſtis quiſpiam ſuperueniat, etiam meticuloſiſſimo permiſſum eſt: ſed ex metu periculi non præſentis nec certo, vt mox diximus, aliena inuadere, nec diuinæ, nec humanæ leges admittunt. periculoſa regibus doctrina eſt, quæ aliud permittit: non tantum inter eos perpetuum bellorum ſeminarium alitura. ſed & rebellionum inter ſubditos ſemina iactura, quæ metui debent ab ijs maximè Regibus, qui cenſent ex metu malum, quod quis ſuſpicatur, licere anteuertere. illa enim Regum, ac Principum, principaliumque miniſtrorum parricidias enocat, dum exempla aliorum in ſe quis metuit, liceat non tantùm ſe procul à Ioue, procul à fulmine ſubducere, ſed etiam Joues, fulgurantéſve miniſtros præoccupare, armaque immaturæ offenſionis ſumere. quantum ſanguinis auorum noſtrorum memoria fuſum eſt eiuſmodi ob cauſam, cùm inter Burgundiæ Duces Aurelianenſeſque certatum eſt, quis mutuas inſidias cautior vitaret non tantùm, ſed & quis prior ſcelus occuparet. cùm ferialis quidam ſpiculator Burgundo denunciaret, quot ſibi aureorum millia promiſſa eſſent, ſi ſicam in pectus ei adigeret: eoque ex metu Burgundus pretium duplauit; quo funeſtum illud parricidium commiſſum eſt, quod rurſus reciprocatum tot hominum miriades abſumpſit.

## CAPUT X.

### *Eiuſdem argumenti, & de Principibus Italis, & Germanis.*

EOdem pertinet Principum Italicorum metus. Germanorumque libertati timentium, & quidquid ferè Ratiocinator conſarcinauit, ſed cautius imaginatiuæ ſuæ vulnera, aut affectus malitiam tegere debuerat, quàm vt ſicubi præternauigans claſſis conſpecta eſſet, conſeſtim arma in Galliam inferri crediſſe ſe diceret, dum non huiuſmodi certitudo infidis exploratorum nuncijs probatur. qua enim fronte ait diem 20. Maij deſignatum inuadendo vndique regno, cum diei ſine noxa lapſis illum conuincit? tempus ſi indeterminatum tranſmiſiſſet, aliquid ſuſpicionis debilibus & credulis ingenijs imprimi forſan potuiſſet, ſed rurſus id ne ſatis eſſet belli cauſas edicenti? ſed eum ratiocinantem moneri quod Hiſpanos fortè ex ingenio ſuo metiretur: ſciebat iam plures pacta Francorum, Batauorumque eſſe, ac præſertim 8. Maij 1635. erciſcundus Belgicis ditionibus vltimò ſcripta, quod Franci manifeſtam pacis rupturam facerent, iunctiſque exercitibus totas inuaderent? ſciebat Hiſpanos ea non latere, ſciebat iam antè arma Gallica in agrum Luxemburgenſem illata, quæ & ipſe nunc Ratiocinator pacis palam infractoria profitetur: ſciebat Francos ſi illa ſibi fierent, neutiquam patienter laturos: concludebat ergo nec Hiſpanos: non expendens quàm alij ſint leuis armaturæ, quàm alij grauiter cataphracti, quàm alij promptè factis conſilia anteuertant, quàm alij tardè conſultent, ac demum lentè feſtinent: nec in bellum inclinent, niſi poſtquam à nulla temporis mora alia remedia promittuntur. Jtalis ſanè atque Germanis Principibus nihil per Auſtriacos de iure cuiuſpiam ademptum eſt, ex quo Carolus V. Jmperium tenuit, nec ab ijs qui in Jmperium aut regna ipſius hactenus ſucceſſerunt. cùm id fieri à Carolo in Jtalia quàm maximè potuiſſet capto ad Ticinum Franciſco I. & in Germania Saxone, atque Heſſo Principibus. Religionis porrò in Germania libertatem quod attinet, pacificatorium illud. *Interim* ad ſuperſtitionem vſque ſeruauerunt Auſtriaci, & vt ſeruaretur

uaretur vltimis bellis, nec aliud, postularunt. sesquisæculares huiusmodi mores an non adiment metui eam energiam, ne iustam causam bello præstet, metum patientibus, & ad metus imaginarij hypocondriacam causam socijs? vide quæ insuper *diximus l. 3. c. 5. suprà.*

---

## CAPUT XI.

### *De Imperio Romano-Germanico in Domo Austriaca æternando.*

MAlè ad hæc Ratiocinatorem habet, quod ex Austriaca domo tot laudatissimi Jmperatores ordine prodierint: metum sibi incutit, quod ea Domus sibi æternum vincire Jmperium, in perpetuam Monarchiam, meditetur. in speciem quidem bella ea ratio adfertur, fauente *c. venerabilem in fin. X. de elect. c. Moyses* 8. *q.* 1. *c. ita nos* 25. *q.* 2. sed *d. c.* Moyses pro solutione distinguet, vt huiusmodi electio consulta sit, si quærantur erigi in Ecclesia seu rep. columnæ, quæ plus cognoscantur Ecclesiæ profuturæ: non quos electores ament, vel quorum obsequijs sint deuincti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit: ne peiora edifferantur. vt omittamus nunc bullam Caroli IV. perpetuæ libertati æterna lege satis prouidisse, ipsamque Romani Pontificis confirmationem huiusmodi etiam cauillos è medio tollere, an porrò ausit aliquis vel cogitatione detrahere summo Romano Pontificatui, quod is, vix aliquando interruptus, ab Jtalicæ gentis hominibus continuò obtineatur? ideòne minor in eo Spiritus sancti directio credatur? non lubet modò respondere Cassanum *l.* 2. *c.* 1. quamuis ex Pontificijs rescriptis sciamus *non sanguinis propagine, sed Principum electione deriuari culmen Imperij*, id summoperè dolere, quod Carolus Magnus posterique non vniuerint Coronam Jmperialem & Francicam: minùs hîc narrare, quod Franci quo nunc res turbarent, non rogarint tantum vt maiorum aliqui, sed sceptrum illud imperiale obtulerint Duci Sabaudiæ, Bauariæ, Lotharingiæ, Saxoniæ, Regi etiam Daniæ, tum deinde Sueciæ; ac nuper tandem Poloniæ: quasi verò Jmperij arbitri. sed neque illis ingratum est, quod Rex Daniæ illud Regnum & Suecus alterum, vtrumque electiuum, ab eiecto Christierno non vetusto Regum more possidet: & à Catholicis diffidens vterque in liberos, nepotesque transmittendum destinarit. at quando Austriaci vi aut pretio Jmperium rapuerunt? nemo nisi liberis, pluribusque suffragijs electus vmquam se ingessit. prudentia Electorum omnia semper momenta expendit. quorum grauissima fuerunt proposita in ea deliberatione, quæ habita fuit super competitione Caroli V. & Francisci I. quæ vt passim vulgata fuerunt, ita etiamnum maiori sui parte durant, atque imprimis vt omittamus Jmperij arcanum, non esse ad illud fastigium exterum eleuandum, eo quod ad Germanos, & nunc Teutonicos illud sit translatum: *c. venerabilem. X. de elect. Clem. Romani de iureiur.* & pridem ab auis Germanicæ nationis diuortium fecerint Franci quod ea familia, defensioni Catholicæ fidei deuota, eos terminos possideat, quibus Turcica tempestas debeat excludi: quæ adeoque vna religionem, hæreditatemque animosius defendit. quod si veterum Romanorum Pontificum Canones, *Clem. Rom. de iureiur.* addere luberet, magna inter causas referri posset, quod Jmperator Romanus iuret se confœderationes cum Turca seu pagano non facturum: vbi Franci non fœdera tantùm cum illo inierunt, quibus ipsi terra maríve tuti esse possent & commercari; sed quibus illum in ditiones Christianas accersierint: Ariadenum, aliosque pyratas aduocarint: à quibus tot sæpiùs millia hominum Christianorum in perpetuam corporum seruitutem, æternum animarum interitum sunt aucta. vt quidem de Henrico II. ex Arum. *discur. acad. vol.* 3. *d.* 5. *Th.* 20. Romano-German. *S. Cæs. Ma. splendor auth. G.V.H.Equit. Germ.* ait, præstitisse hæc formula iuramentum: *iuro & promitto me quicquid comperi, vel comperturus sum omnium summo Sultano Turcarum Imperatori notificaturum, cuius regnum Deus stabiliat: amicorum ipsius amicus, hostium hostis ero*, &c. hæc si vera sint, an ritè concepta hæc fœdera Catholicus dixerit? an huiusmodi fœderatos vel etiam extra communionem fidei Romanæ constitutos præferri ad Romanum Jmperium malit Ratiocinator? suspendi illa organa malit ad flumina Sueciæ Babylonis? illic captiuos interrogari verba cantionum? nec vlla Ratiocinatorem cura tangit, quomodo cantabitur canticum Domini in terra aliena? quomodo Jmperium, ad defensionem Romanæ Ecclesiæ translatum olim à Græcis, in Franco-Germanos, dabitur in manum hostilem, qua Ecclesia Romana oppugnetur? Quod si dignior electus, cùm videt alioquin Ecclesiam, remve publicam damnum capturam, tenetur electionem admittere; *c. in scripturis. c. olim* 8. *q.* 1. *Silu. V. elect.* 2. *q.* 19. *Mirand. in man. prælat. q.* 23. *ar.* 31. *de elect.* quid ni censeamus electos hactenus Austriacos votis Electorum illæsa mente non potuisse refragari? Jd porrò certum est, si Plautus rectè dixerit oportere *virtute honorem ambire, non fauitoribus*, Francos aliosve virtute, non armis, Jmperium competere, Austriacosque excludere debere. quod si porrò iustus vmquam metus Ratiocinatori inferendo bello sufficiat; si hic extra affectum poneretur, diceret ex metu, ne cum Turcis fœderati, vel religione cacodoxi in Jmperium dubijs votis irreperent, Austriacis licere quaqua via electis illud occupare: sed numquam eo rerum venient, numquam præ iustitia apud illos valuit sceptrorum fulgor, aut coronatum.

CA-

## CAPUT XII.

### *De domeſticis Aurelianenſibus, Anglicis, Lotharing. diſsidijs.*

QUæ ulterius adſeruntur à Ratiocinatore argumenta, arguendæ infractionis pacis Hiſpanis affrictæ, flocci nullius ſunt. quod enim de domeſticis Aurelianenſibus, Anglicis, Lotharingicis diſſidijs, quid habet veriſimilitudinis? primis, præbuiſſe cauſas illos, qui ſupra omnes eminere voluerunt: ſecundis, qui ſuperba Legatis reſponſa dederunt: tertijs, ſimultates primorum, quæ non ſunt in obſcuro, nemo neſcit. de animatis verò in Gallia ab Hiſpano prætensè reformatis, quis credat? vbi palam aduerſus Rupellenſes ſumptuoſa claſſis à Rege Hiſpaniarum eſt Regi Franciæ in auxilium miſſa, ipſe archiſtrategus Spinola, tot bellis inſtructus, tot victorijs ad peritiam plenus, in obſidione Rupellenſi iuſſus eſt Franciæ Regem viſere, & proficua conſilia dare: & mox à morte Henrici IV. cùm res, & plurium iudicia ſuaderent, occaſione vti, non id tantum non fecit Hiſpaniarum Rex: ſed imò hodierni Regis cauſam complexus eſt. *qua aſſiſtentia reiterata fuit in diuerſis occaſionibus* inquit Declaratio.

Et verò, vt liceat mihi non de rebus ipſis, ſed argumentis Ratiocinatoris diſputare; quid ſi omnia quæ hîc obiecta ſunt, quæque alij, veritatis magis conſcij, negant, ego Ratiocinatori darem, vt pro veris haberentur, & in Francia non eſſe malum, quod aut non feciſſet, aut iuuiſſet Hiſpanus, concederem, quid proficeret Ratiocinator? in aperto eſt poſt Veruinianam pacem Henricum IV. continuaſſe Batauis auxilia, eadem Ludouicum XIII. nouis (ſæpè fœderibus etiam auxiſſe, contra quam eo fœdere promiſſum eſſet: non meminit Ratiocinator eum, qui pacta violat, alteri ſoluere fidei vincula? *c. ficut. §. fin. X. de iureiurand*, reciprocos eſſe fœderum nexus, fidei vinculum qui frangit, viam alteri ſternere? *d. §. fin. c. peruenit 2. de iureiurand. l. qui fidem. D. de tranſact. l. cùm proponas. l. ſi diuerſa. C. de tranſact.* generalem conuentionum legem eſſe, vt illis nemo ſtare teneatur, niſi ex aduerſo, quæ conuenerunt, præſtentur? *l. cùm proponas. C. de pact.* fruſtrà quem fidem ab eo præſtari poſtulare, cui ipſi datam non ſeruauit? *c. fruſtrà de reg. iur. in 6.* adeoque eum, qui primus pactis contrauenerit, fidem fregiſſe ſolùm cenſeri: *l. ant facta §. 1. & ibi Barth. de pan.* ita vt ſequentis factum violationi non imputetur. *l. nam etſi ſub conditione. D. de iniuſt. rupt. irrit. teſtam.* Sic Romanos ex cauſa ruptæ fidei, iure belli aduerſus plurimos, vt hoſtes egiſſe, & ſenatum prædam Epiri ciuitatum, quæ rupto fœdere ad Perſea defecerant, muris earum dirutis exercitui dediſſe? *Liuius l. 35.* Declaratio quidem quaſi præoccupando tacitam obiectionem poſtquam à morte Henrici IV. miſſa ſæpiùs ab Hiſpaniæ Rege Franciæ Regi auxilia, reiectaſque opportunas per inteſtinos Franciæ motus, rerum agendarum occaſiones, etiam à requiſito ſæpiùs magnanimè neglectas, *ſi poſtmodùm*, inquit, *non aquè ſemper fuerit exacta moderatio, non tamen vnquam exceſſit terminos rationis, quos Principes prouocati iniuſta vicinorum actione, non poſſunt negligere continuò, cum iactura ſubditorum.*



## CAPUT XIII.

### *Treuiri an ritè ſint intercepti?*

NEmo neſcit hodie bellum ſociale eſſe Regi Hiſpaniarum atque Jmperatori Romano-Germanorum aduerſus omnes qui Jmperium turbant; Suecos, Principes rebelles, eorumque fœderatos, atque auxiliares. quod non tantum ſanguinis ratio, ſed & vetera ditionum Belgicarum Mediolanenſiſque cum Jmperio pacta exigunt. ſed & Ducem Luxemburgenſem, qui nunc eſt Rex Hiſpanorum, Belgarumque Princeps, patronum eſſe protectorémve Treuirorum: quæ vrbs cenſum ei honorarium ideò ſoluit quotannis centum florenorum aureorum: electorem porrò adſciuiſſe Francorum auxiliarium præſidia aduerſus pericula à Sueco, rebellibúſve, vt videbatur imminentia: licuit ergo Jmperatori vrbem, ſub Jmperio comprehenſam, per vim apertam, vel ſtratagema in poteſtatem ſuam redigere; hoſtile iam Francorum præſidium excludere: licuit Duci Luxemburgenſi, Protectori vrbem fidei ſuæ commiſſam, ciues in libertatem aſſerere, inuaſores expellere. neutrum quiſpiam negarit, qui quod ius eſt & fas profiteatur. Ideoque Ratiocinator Francicus, vim huius argumenti non ignorans *ſoneranum* Electorem indigetat; & in protectionem Regis Franciæ ſuſceptum: quorum neutrum ſi ſit verum: ſi nec hoc iure licitum, non præſtiterit impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, *c. non praſtat. de reg. iur. in 6.* ergo in vtrumque inquiramus.

## CAPUT XIV.

### *Vtrum Electoribus alijſque Principibus Germanis licitum ſit fœdera contrahere?*

NEgat Elector Treuirenſis ſeſe deditum de facto in protectionem Regis Franciæ. ita Declaratio. de iure enim ſciebat neminem ſe in alterius clientelam, protectionémve dare poſſe, niſi qui in ſua ſit poteſtate, vnde formula illa Tarquinij Priſci ad Collatinos *apud Liuium d. c. l. 1. Eſtiſne vos Legati Oratoreſque miſſi à populo Collatino; vt vos, populumq́, Collatinum dederetis? ſumus. eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate? eſt. deditiſne vos, populumq́, Collatinum, vrbem, agrum, aquas, terminos, delubra, vtenſilia, diuina huma-* naque

*naque omnia in meam populiq; Romani deditionem ? dedimus. Et ego recipio.* porrò *fœdera*, inquit Liuius *d. l. 1. alia aliis legibus, caterum eodem modo omnia fiunt*: adeoque vt in sua sint potestate, qui ea contrahunt, quibus in deditionem, clientelam, protectionem alienam transeant, est necessarium: id enim hic caput est. Et verò cum Romanis, Carthaginensibusque fœdus esset, non tantùm non sollicitarunt sociorum, clientumve quempiam, sed nec receperunt qui desciscerent sua sponte: & cùm ab his veterani defecissent, qui in Sardinia erant, misissentque legatos, qui insulam Populo Romano traderent: Romani audire noluerunt: atque Vticenses, qui dedere se voluerunt, non acceperunt, vt nec ante Sidicinos: nec intercedere voluerunt, quo minùs Populo Samniti pacis bellique liberum arbitrium esset.

Jgitur Principes, qui maiestatem, soueranitatemque non habent, ius fœderum non habent, sed id soli Principi supremo competit, qui habet plenitudinem potestatis. *l. 2. §. 23. D. de orig. iur. l. 5. D. de pact. l. 1. D. de constit. & vbique DD.* multò minus eorum fœderum ius subdito esse potest, quæ aduersus superiorem contrahantur. *Bald. in l. 1. D. quod cuiusque vniuersit. nom. Archid. in c. si quis & c. coniurationum 11. q. 1.* eoque referenda est tota quæstio Gentilis *De vi ciuium in Regem semper iniusta*, nec facilè vlla aduersus Dominum confœderatio aliena erit à crimine læsæ maiestatis: nullatenus autem quando externa arma in fines regni offensiua inferuntur, aut Domini arma sistuntur, impediunturve. vnde ait *l. 4. D ad leg. Iul. Maiest.* reum esse illum *à quo fit, vt Rex extera nationis minus obtemperet.* & vetat *l. 2. C. vt nemo ad sui patrocinium l. 11.* quemquam adsciscì aduersus proprium magistratum: & vsibus feudorum amittit feudum vasallus, qui cum hoste Domini paciscitur: quin & qui se feudumque subtrahit Domino, qui feudum etiam verbo, factoue inficiatur: *§. si vasallus, si de feudo inter Dominum & agnatum defuncti fuerit controuersia, si vasallus*, inquit, *feudum inficiatur feudo, quod negauit, priuatur.* substractio porrò facti & negatio verbi, alteriusve Domini agnitio, clientela & aliquatenus protectio comparantur. *nihil interest*, inquit Vernulæus, *in l. hareditatem D. ad leg. falcid. si substraxerit aut negauerit rem esse hareditariam.* qua ex causa Cassanus *l. 2. c. 2. p. 42. & seqq.* Sabaudos, quasi omisso Franco ab Jmperatore inuestituram accipientes, iure suo excidisse contendit. quinimò nulla pactione, quamuis culpa, dolove carente, supremitati Domini, per vasallum posse præiudicari rursum ipse Cassanus asserit: *l. 1. c. 2. p. 86.* Jn quam rem considerari possunt, quæ olim sanxerunt ad Marsnam an. 847. Lotharius Jmp. Ludouicus, & Carolus Reges: quæ vulgata sunt à Miræo *in Cod. donat. piar. c. 15. vbi adiunct. Caroli ar. 2. & 3.* ita habent: *volumus etiam vt vnusquisque liber homo in nostro regno seniorem qualem voluerit, in nobis & in nostris fidelibus accipiat: mandamus etiam vt nullus homo seniorem suum sine iusta ratione demittat, nec aliquis eum recipiat, nisi sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.* nullorum autem sæculorum consuetudo fuit, vt liceret seniorem, aut Dominum mutare, quo eius auxilio aduersus Regem suum vteretur.

Benignè quidem concedi potest aliquando, ad vim aliorum propulsandam confœderationes admitti: DD. *ad tit. Cod. l. 12. de domest. & protect. Gail. lib. 2. obs 54.* tamen regulariter illicitæ sunt: *l. denunciamus. C. de his qui ad Ecclesias confugiunt l. 1. & 2. C. de seditios. l. conuenticula. C. de Episc. & cler. tot. tit. de Colleg. illic. c. si qui clericorum 11. q. 1. c. conuenticula de pace iuramento firmanda. & ibi Barth. in verb. occultè.* & in dubio tales præsumuntur: *iuxta Innoc. in c. 1. de schismat. Joan. Andre. in c. 2. de verb. signif.* & maximè cùm Dominus est paratus ad detentionem, *Tuscus concl. 631. tom. 2.* A regula excipiuntur, quæ legis aut superioris permissu sunt factæ. quomodo Mynsing. *cent. 6. obs. 2.* refert licitam fœderationem Episcopi Herbipolensis, Bambergensis, & ciuitatis Noricæ iudicatam aduersus vim Alberti Brandenburgensis. permissu Caroli V. Jmperatoris factam. quapropter & protectores permissu legis aut Principis assumpti aduersus aliorum vim, & probantur, & armis etiam tueri suos possunt, & debent: *c. Jmperialem de probib. feud. alien. per Frederic.* scilicet ea defensione qua priuato vim vi repellere licet, non inferre sine assensu Principis, ne quidem ad res pridem amissas recuperandas: *l. si quis in tantam. C. vnde vi*, sed incontinenti, aut retinendas. Quæ quidem in Jmperio eo certiùs obtinent, quod multis etiam constitutionibus Jmperialibus vetitum sit arma sine Cæsaris permissu mouere. *quas citat Contzen polit. l. 10. c. 4. §. 10.* præter priscas *de pace & eius violatoribus, de pace tenenda inter subditos, de pace Constantia*: & de fœderibus Bulla aurea *Caroli IV. c. 15. cuius verba cap. proximo recitamus*, disertè præscripsit, ne qua iniri possint, nisi pro communi pace, & quæ vergere non possunt in præiudicium Jmperij, cuius censura Cæsari reseruetur: qui longius incommodorum fontem introspicere possit, quam contrahentes penetrauerint. adeoque quæ liquido aduersus Jmperium contrahuntur, indubitata lege maiestatis damnata sunt: quæ aduersus Dominum, lege feudali: alia regulam, & præsumptionem contrariam habent, nisi exceptionis causa sit euidens, aut permissio Cæsaris præsumptionem extinguat. *Conrad. Brunus Duc. Bauer. olim Cancellarius, & Germanicarum rerum maximè peritus l. 3. de leg. c. 10. in fin.* vti etiam pro pace publica Jmperij ann. 1495. disertè statutum est, *quod Electores, Principes, ac status Imperij, sine scitu & consensu annua congregationn (cuius Cæsar caput est) nullum fœdus vel coniunctionem præsertim cum exteris potentatibus ferire debeant, qua in præiudicium Imperij vergere queant.* quam ob causam tempore Caroli V. & Ferdinandi I. omnia hinc inde contracta fœdera Cæsaris Cameræque Jmperialis examini fuere subiecta, quædam probata, vt quod paulò antè ex Mynsing. retulimus, quædam improbata. vt & vnionis *ann.* 1609. à Rudolpho Jmperatore confirmatio fuit petita, & quæ sub Ferdinando II. est Catholicorum confœderatio, atque alias.

Huius-

Huiusmodi examen exigi, Cæsarisque censuram mirum non est, cùm plerique rem suam agere soleant: vnde eueniat, vt quos opis causa euocauerimus; metuamus potentiores ne dominationis auidi alia quam promiserint, spectent; si clientela, si protectio dicatur, conuersio non raro, & euersio aliquando alterutrius à tergo sit. *Bodin. de Rep. l. 5. c. 6. num.* 515. 587. & Gregorius Tolosanus primum post protectionem gradum ait esse, inuasionem. *lib.* 11. *de rep. c.* 11.

Et verò eo minùs possit quis in protectionem Francicam se dare, si Cassano credendum est, quod protectus, & si nihil à protectore possideat, nec ad homagium teneatur, vt vasallus; obligatus tamen sit ad seruitia, & fidelitatem: ita vt, quo casu vasalli feudum potest confiscari, possint bona clientelæ submissa à protectore inuadi, & clientela verti in subiectionem, ideoque ait iure Carolum IX. Metenses, Tulenses, & Verdunenses protectioni submissos, quod dicerentur aliena à protectore consilia habuisse cum Hispanis, iure redegisse, in ordinem subditorum. ita ille. *l.* 2. *c.* 4. *p.* 107. 108. 109. 110. ecce quo vergat protectio Francica. adeoque idem Cassanus *eodem capite* contendit Genuenses non potuisse à Francis discedere, & cum Austriacis, Hispanisue in gratiam, aut clientelam ire, quinimò non obseruantes clientelæ pacta armis ad fortunam subiectorum iure fuisse coactos: & si ibidem admittit potuisse Maximiliano Imperatori supremitatis iura negare, quod olim Carolo IV. exiguam summam soluissent pro libertate: cùm tamen toto opere hoc crepet, non posse Principes supremitatem, maiestatisue iura alienare, nullam his præscriptionem obstare, nulla pacta: quod rursus *praecedenti c.* 3. asseruerat: & semper in omni concessione, supremitatem esse reseruatam *l.* 2. *c.* 6. *p.* 193. vbi omnes id Doctores tenere ait, & *c.* 8. *p.* 250. *& seqq.* & nos probauimus in Iudice *l.* 4. *c.* 1. *num.* 2. videtur Cassano eum, qui se in protectionem dedit, in alterius protectionem dare non posse, si fecerit iure inuadi, & bonis ejci: videbiturne qui alterius Imperio, & supremitati subest, id posse? & si fecerit, non iure res recuperari à Domino supremo? quid si Imperator, aut Dux Luxemburgensis, protector, nunc Hispaniarum Rex, ita egisset, cum Treuirensibus, vt *l.* 2. *c.* 5. *p.* 109. Francos cum Tulensibus, Verdunensibus, & cum Genuensibus, & Metensibus egisse laudat, quam linguis licerent Austriaci & Hispani? at hi non eo modo amicos protegunt, non eo modo amicum titulum in fraudem vertunt. quam apud omnes vapularent, si subditos Regis Franciæ, malè se haberi questos, in huiusmodi clientelam susciperent? si protectionis nomen & arma eis accommodarent, quam stomacharentur Franci? quam Stentoreus clamor cœlo iret? quam etiamnum malè digerere possunt quidam, quod Hispani Franciæ Ordinibus suppetias tulerint, sine quibus adhuc Caluinismus in regni visceribus primas possideret!

Sed redeamus ad rem nostram, periculosa dicimus adeoque suspecta esse subditorum cum alijs fœdera clientelas, protectiones; vetustam ex malis moribus natam legem XII. tabularum, *si patronus clienti fraudem faxit, sacer esto.* nec tamen ea lex fraudes omnes compescuit: quapropter quoniam sub huiusmodi titulis, periculosè peccari solet, & sub vmbra fœderis protectionisue clientes in seruitutem trahi (cuius non aliquid redolet *lex.* 7. *in fin. D. de capt.* fiunt, inquit, *apud nos rei ex ciuitatibus fœderatis, & in eos damnatos animaduertimus*) visum est summis Pontificibus necessarium in Ecclesiasticis exscindere radices, vnde fraudes Ecclesiarumque præiudicia nasci possunt: adeoque præsulibus alijsque Ecclesiasticis disertè vetitum est, ne transeant, Ecclesiamque suam in clientelam alicuius, protectionem aut aduocatiam concedant. *c.* 2. *de reb. Eccles. non alien.* in 6. quod adeoque multò minùs prælules facere possunt, in re tanti momenti, non assentiente, multò minus contradicente suo Capitulo, aut saniori parte. *c.* 3. *& tot. tit. X. de his quæ fiunt à prælat.*

Et nihilominùs quo casu protectio licita est, nihil mutat circa priorem auctoritatem proprij magistratus. l. *desertorem. § fin. in fin. D. de re milit.* adeo quidem, vt quamuis si summus Pontifex aliquem sub protectionem suscipiat, non ideò tamen à iurisdictione Ordinaria eximere censeatur. *c. ex parte l.* 2. *c. recepimus. X. de priuil.* quantò minùs quis censendus est in seruitutem velle se dare, qui opem protectoris implorat ne seruiat? quantò minùs præsumi debet delictum velle committere Principi se subditum, aut Domino se vasallum subtrahendo, in aliamve ditionem se dedendo?

Quæ si omnia casui nostro applicentur, liquet iure non potuisse Electorem Imperij, in alieni Regis clientelam, protectionemve se dedere, recteque adeò Electorem negare se de facto vmquam in protectionem Regis Franciæ dedisse: auxilia ex Gallijs aduocata aduersus Suecicam tempestatem nihil mutasse constat in iure Electoris, nihil in iure Imperatoris, nihil in iure pristini Treuirorum protectoris, Ducis Luxemburgensis: adeoque cùm Imperatorem iure supremo, tum protectorem tutorio, Francos iam hostiliter Treuiris agentes potuisse pellere, eoque vrbem insigni stratagemate intercipere: nec esse quidquam cur Ratiocinator exclamet perinde atque si hostes, non Dominus supremus, atque protector vrbem cepissent: à qua Elector ipse, nec maiestatem Imperatoriam, nec protectionem pristinam voluit, potuitve excludere. sed & palam fit Francos, dum cætera Electoris loca pergunt aduersus eius voluntatem detinere, reos fieri fraudis factæ, fidei violatæ; quod, vocati in auxilium sociorum, leoninam exerceant societatem: opémve ferant, quam fabula ab homine aduersus ceruum latam fingit equo, qui deinde *non equitem dorso, non frænum depulit ore.*

CA-

## CAPUT XV.

### *An Elector sit Soueranus?*

HAllucinari nolimus in voce ambigua, quomodo aliquando vtuntur aliqui significatione *souerani*, nos hîc eum intelligimus, penes quem sit supremum rerum arbitrium, atque ius maiestatis. eam strictam significationem hîc exigit materia, vt aliàs laxiorem admittit: qualem tractauimus *in Iur. pont. nou. anal. de relig. dom.* qua de re latiùs videri potest Loyseau *de Seigneuries.* Ratiocinator Electorem esse *soueranũ* astruit; Declaratio autem *membrum illum vocat & subiectum Imperio, Imperatoremque eius caput.* Non est obscurum in Germania plures Principes, ipsósque imprimis Electores eminentes habere dignitates, decoratas multis notis à maiestate communicatis, secùs quàm in alijs Regnis: quod dixi non minuere, sed augere potiùs splendorem Jmperij *in Iud. l. 4. c. 10. num. 29.* non secùs, quàm solis lumen non obfuscant radij alijs communicati, non minuit maiestatem diuinam, quod præter Reges & Principes, quos in terra habet vasallos, tot habeat in cœlis legiones angelorum, quorum minimi dignitate Reges sunt Regũ terræ: quanta nunc intercapedo inter vltimum vltimi Ordinis, aut chori Angelorum, & supremum supremi? nec tamen ea dignitas maiestatem diuinam imminuit, nec Lucifero impunè cessit cogitatio sedis supra altissimum collocandæ. ita Jmperator Romanus supremitatis apicem non habet imminutum, etiamsi Principes habeat summarum prærogatiuarum notis illustres, agnoscunt illas fluere vt ex fonte maiestatis ab Jmperatore, illius se illas beneficio possidere: tantum abest, vt beneficijs auctis magis, recalcitrare liceat, & muneribus ab Jmperio acceptis aduersus illud pugnare, quin etiam Jmperatores Romani atque imprimis Augustus senatui auctoritatem dignitatemque reliquit, sanxitq;, vt de bellis etiam atque triumphis senatus consuleretur: speciosa modestia vim Jmperij tenuit. quidni ergo Germaniæ patriæ patres, Principes, Electores, magna cum dignatione habeantur, nec ipsi tamen sui obsequij obliuiscantur? quare cùm olim inter Pontifices & Jmperatores graues essent controuersiæ, & opportunitas Ecclesiasticis, nisi iustitia defuisset, Jmperatoria iura arrodendi, tamen Archiepiscopus Treuirensis, fatetur ingenuè apud Paschalem Pontificem, *referente Choppin. de sac. polit. l. 1. tit. 2. n. 13.* pro regalibus oportere *ad Dominum Imperatorem, vt annulo & virga nouus Episcopus inuestiatur, ire, fidelitatem, & hominium facere.* nec mirum: *etenim ciuitates*, inquit, *castella, marchias, telonia, & quæque Imperatoria dignitatis nullo modo debere aliter occupari.* ita ille Præsul, nec verò aliter hic occupauit Elector.

Alius genius est eorum, quibus propositum est tollere quidquid excelsum est. inde Tarquiniana summorum papauerum decussio, extinctis summis titulis, & viris cautio, fratricidia Turcarum, eminentium etiam ædium destructio. ita in Anglia quidquid procerum nimis eminebat excussum est. ita Hieron. *Thren. c. abstulit*, inquit, *omnes magnificos meos Dominus de medio mei.* contrà Augustus Hortalum pecunia iuuit, *ne*, inquit, *Tac. l. 2. clarissima familia exstingueretur.* itemque plures Tiberius, *eod. l. 2.* nobilitatem iuuandam præfatos. Sic apud Germanos non illa æmulatio: quin & fidentes magis sincerique sunt visi illis sui Jmperatores, quàm Francis sui Reges. vbi eadem olim dignitate Duces fuerunt, & Comites: quos gloriatur Loyseau *lib. des Seigneuries pluribus in locis, sed imprimis c. 2. n. 37.* in ruinam datos, *c. 5. num. 58.* per suos reges subtiliter esse redactos in ordinem Suzeranorum: quinimò *c. 9. num. 27.* secùs quàm de Treuirensi nunc diximus, fatetur Reges veteres Francos nullum ius in territorijs huiusmodi Principum habuisse, sed tantùm personalem subiectionem fidelitatem, & hominium: ex illiusque causa constitutis Parlamentis querelas subtili arte conuersas esse in appellationes, & sic vltimum in litibus iudicium ad se traxisse. quod & in armis factum est: quæ olim in Francia non secùs Principibus inferioribus competebant: vt Rex ad suum solius arbitrium ea retraxerit: *idem Loyseau c. 4. n. 1. 9. 10. 11. 12.* vt & legum condendarum potestatem: *d. c. 20. n. 60.* monetæ cudendæ: *c. 3. n. 40.* pecuniæ imperandæ *num.* 48. aliarumque notarum alibi: denique belli ac fœderum: *d. c. 5. num. 60.* vbi subdit *num. 61.* sola Parlamenti argutia factum esse, vt Francici Principes non retinuerint prærogatiuas quas etiamnum habent Jtali, & Germani. numquam tamen eo res Germaniæ venit ideò, vt cuipiam Principum liceret contemnere supremitatem Jmperatoriam, ditiones suas eius Jmperio, vel armorum arbitrio, vel militari præsidio subtrahere, aut aliena auxilia aduersus ipsum suscipere, sine nota Rebellionis. *l. 1. & 2. 3. 4. D. ad leg. Iul. maiest.*

Jmperatoriam potestatem Cassanus *lib. 2. c. 1. p. 20.* valdè deprimit, quasi nomine tenus dignitas penes Jmperatorem, vis Jmperij penes Ordines sit: adeoque status censendus magis aristocraticus, quàm monarchicus; & nisi ex eadem domo plures Jmperij maiestatem sustinuissent, iam Jmperatores instar Ducum Venetorum futuros fuisse: Ordines de causis à Cæsare iudicatis per prouocationem cognoscere, potestatem decernendi bellum, & pacem pangendi habere: hæc Ordines inquam, habere cùm in comitia veniunt, asserit, non singulos, sed quam turpes hac in re *totoque illo capite 1.* errores commiserit; demonstrauit *Romano-Germanicus S. Cæsarea maiestatis splendor, auctore G. V. H. equite Germano.* qui omnia ea axiomata falsi palam coarguit. Sed nec Cassanus quidem, vt diximus, singulis Principibus belli & pacis arbitrium concedit, & iam mox Auream Caroli IV. bullam, & Jmperij constitutiones aduersari docuimus.

Et vt daremus Jmperatorem pænè redactum esse in ordinem Ducum Venetorum, & ad instar potestatis Ducalis Venetæ, quod vult Cassanus, nec satis percepit Eques ille phrasim Gallicam *reduits au pied des Ducs de Venise*: non quasi velit

Cassanus

Caſſanus Jmperatorem vllum pænè ad pedes Ducis Veneti bello proſtratum ; ſed quaſi ita verſaretur in rep. vt inter plures emineret quidem, ſed auctoritas & vis Jmperij penes alios eſſet, vt apud Venetos : nihilominùs vt id daretur, inquam, nihil Ratiocinatori proficeret : quia nec apud optimates, nec apud populos vnus ſeorſim bella indicere, aut fœdera contrahere poteſt ; nulli vſpiam aduerſus Remp. imò in d. Bulla aurea *d. c.15. omnes*, inquit, *confœderationes & pacta irritantur, quas ciuitates ſeu perſonæ cuiuſcumque dignitatis, ſeu conditionis aut ſtatus, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs, abſque auctoritate dominorum quorum ſubditi vel miniſteriales, ſeu in quorum diſtrictum conſiſtunt eiſdem Dominis nominatim non exceptis fecerint hactenus, & facere præſumpſerint in futurum : ſicut per ſacras diuorum Auguſtorum prædeceſſorum noſtrorum leges prohibitas non ambigitur, & caſſatas : illis confœderationibus & legibus dumtaxat exceptis, quas Principes & ciuitates ac alij ſuper generali pace prouinciarum atque terrarum inter ſe formaſſe noſcuntur. Illas enim noſtra declarationi ſpecialiter reſeruantes, in ſuo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum.* vnicæ ergo illæ confœderationes excipiuntur, quæ ſunt pro generali pace ; nec ſimpliciter quidem ; ne quid incautis poſſet excidere: ſed cum reſeruatione examinis Cæſarei, & donec aliter ordinauerit. Agit Bulla de cuiuſcumque ſtatus, aut dignitatis Principibus, Electoribus etiam, in eadem Bulla ſæpiùs diſertè expreſſis : quorum nulli non ſunt Imperij vaſalli, ſaluis cum feudali reſpectu Regis Bohemiæ prærogatiuis. non ergo Elector Treuirenſis *fouerainus* eſt illa ſignificatione, vt fœdera poſſit contrahere cum Rege externo, non pro pace communi, non aduerſus Dominum, imò nec eo non excepto, non aduerſus Jmperium, aut Jmperatorem : non ipſe monarcha eſt : ſed ex monarchiæ Jmperialis membris, atque Ordinibus, qui Jmperatorem caput, atque monarcham agnoſcunt : à quo ciuitates, caſtra, telonia, aliaque regalia beneficio feudali poſſident, penes quem eſt arbitrium belli & pacis, ad quem vltima prouocatio, tam in Camera Spirenſi, quàm Concilio Aulico, vbi per præuentionem totius Jmperij cauſæ extremo iudicio Cæſaris nomine terminantur, præter feudales controuerſias, quæ in ſolo Aulico iudicio cognoſcuntur.

Quamuis Electores, alijque Principes nonnulli reſpectu ſuorum ſubditorum ferè *fouerani* videantur, multaſque maieſtatis notas ſibi habeant communicatas, quibus deceptus fuerit Ratiocinator, quaſi ſimpliciter ob illas dici *fouerainus* potuerit Elector, qui rigore vocabuli ſupremus non ſit, ſed Jmperatorem pro capite habeat, beneficio illius regalia ſua poſſideat, ſupremum iudicium, belli & pacis arbitrium penes illum non ſit, pro communi tantum pace fœdus contrahere poſſit, cenſuræ tamen Cæſaris ſubiectum.

## CAPUT XVI.

### *An Dominus ſuperior ius habeat vrbibus in feudum datis, præſidium immittendi?*

NUnc à Ratiocinatore audire velim an licuerit Francis ſubtili arte, edicto, iudicio parlamenti, quod tam iuſtum prædicant, iura eiuſmodi maieſtatis priuilegiata ſuis auferre : & alibi tamen liceat armis, non dico huiuſmodi ablationem impedire, ſed ne huiuſmodi priuilegijs ornati Dominum agnoſcant, mandata venerentur, arma præſidiáve recipiant, quibus exteri hoſteſque Jmperij arceantur, ſed etiam illos recipere, fœdera inire, protectionem, arma aduerſus Dominum, nullam vim inferentem, lege dumtaxat vtentem, adducere ; nec liceat Jmperatori fines tueri, neceſſaria vrbibus, arcibus, limitibus præſidia imponere ? prima illa ſunt maieſtatis iura, primæ feudorum leges, vt nec arcem liceat habere, nec locum munitum, niſi ex nutu Domini, vt nec reficere liceat ſine Principis auctoritate : *l. 9. D. de rer. diuiſ.* & aliter vti quàm conceſſum eſt hoſtile, & abominandum *l. 11. D. eod.* vnde illud Taciti 5. *hiſtor. Iudæi empto iure muniendi ſtruxere muros in pace, tanquam ad bellum* : & Claudius Agrippæ, muros Hieroſolymis ſtrui cœptos, perficere inhibuit : *Ioſeph. antiq. Iud. 19. c. 7.* ſanè nullum muniendi ius eſt Jmperij, aut militis dominici excluſiuum : *l. 1. & 2. 3. 4. D. ad leg. Iul. maieſt. l. 2. C. de fund. limitrap C. l. 11.* An Rex Franciæ velit quietum quempiam in Francia habitare, qui protectionem alterius Principis implorans, eius Jmperium & militem recuſet ? quæ alia cauſa obſidionis Rupellenſis ? nec ſuffecit incolis Anglica amicitia, nimium ea fretis : nec Montmorancium gladio exemit receptatio Regij fratris, aduerſus arma nomine Regis mota. *Quotieſcumque talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero ſeruari cupis, equitatis viam tenes : quoties verò talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem : iter iuſtitia dereliquiſti* ; *Hieron. epiſt. 11. c. 4.* prima illa regula eſt omnis iuris : *c. 1. d. 1.* Hæc lex, & Prophetæ : ita Chriſtus. *Matth. 7.*

Nec voluit Elector, eſto licuerit ei timere, auxilia Franci Sueco fœderati aliter implorare, quàm vt ſub amici clypeo ſecurior eſſet. At nibil Elector ſecus quàm leges Jmperij velint egerit, quid adhuc conficit Ratiocinator ? rebus vtique mutatis, Francis præſidiarijs hoſtilem morem induentibus, quidni liceat ſtratagemate militari tum Jmperatori vrbem ſui Jmperij immiſſo præſidio. tueri, hoſtemque expellere, tum Duci Luxemburgenſi ciues fidei ſuæ commiſſos in libertatem aſſerere ?

## CAPUT XVII.

### *An Elector indignè habitus?*

AN Electorem Rex Franciæ in protectionem susceperat: negat ille; sed esto: non tamen contra Dominum. at quietus secum habitabat: non secum habitat, qui Dominum habet, qui domi illius imperat. sed & hostes, quos domi habebat, pellendi erant. ciues libertati reddendi limes Jmperij tutandus, immittendum præsidium: non secus quàm Philippoburgum eiusdem Electoris oppidum fuit receptum; nec illud eò vsque tamen cabrones excitauit. at præsens hic erat Elector: aberat cum tribunis receptio Treuirorum mandata fuit: quam non debuit aduentus Electoris remorari, quid tum porrò si præsens fuisset? iuuare rem Jmperij vt vasallus non impedire poterat. & verò bellum personas non distinguit, dummodò bellent. clericos à malitia arcet *canon.* 81. *Apost.* sed immistorum bello priuilegium gladius non agnoscit. *c. quia frustrà X. de vsur.* at persona eius sacrosancta est: reuerenter habita fuit. vsque ad liberum ad Comitia Ratisbonensia abitum; magis quàm vmquam à Francis domi suæ culta fuit: non tantum liberè, sed & splendidè pro sua dignitate tractata. non ignoramus in Belgica Treuirensem Archiepiscopum Belgicæ primatem iam olim fuisse. *c. Tendingam* 11. *q.* 5. Declaratio ait Electorem *laudare Deum, qui liberauit eum à maligna tractatione, & inscientia Francorum, vt benè reciperetur, tractaretur, & tractare posset, vt fecit, summa rei Christiana negotia, inter obsequiosa officia, quibus domi sua maiora recipere non posset. Nostro*, ait Ratiocinator, *auo nihil visum indignius*: nolim Ratiocinatori obijcere memoriam cædis Cardinalis Guisij, vt comparet circumstantias Cardinalis, fratrisque Guisij corpus etiam exinde combustum, cineresque proiectos in profluentem: velim recordari tantùm quàm reuerenter tota Gallia clerus habeatur, quomodo sacrati sacerdotes non tantum ex causis criminalibus casuum, quos exceptos commentantur, sed etiam ciuilibus debitis in communes reorum carceres compingantur. ponderet quanta illic momenta faciat Ordinis sanctitudo. eosque clericorum in Gallia casus vbi debitæ reuerentiæ restituerit, examinet tum an habeat quod foris queratur. Quod Principis autem & Electoris dignitatem attinet. Ratiocinator Reginæ matris maiestatem expendat: quam læsam captiuitate, bonorum rapina, eliminatione! De Duce Aurelianensi malè toties habito, de Lotharingo per fraudes terris suis eiecto, de vxore per vim detenta, de legitimo Aurelianensis matrimonio in diuortium cum magna iniuria Sacramenti & tantæ familiæ distracto, de compacto in arctum carcerem quondam Cardinale Francisco Lotharingo, de Duce Montmorancio, vltimo eius domus in Francia Heroë, non obstante sororis nuptæ Principi Condæo præsumptiuo hæredi Coronæ, (si Regem & Ducem Aurelianensem sine liberis masculis mori contingat) ad genua Ministri Regij aduolutione, nuper securi subiecto: de alijs denique plurimis nolim Ratiocinatori quicquam opponere: minùs de Maria Scotiæ Regina Delphino Franciæ nuper nupta, etiam nostro æuo in Anglia securè percussa. quamuis maiores benè hoc comparassent, *vt neminem*, inquit Cicero, *ad Heren. l.* 4. *Regem, quem vel armis cepissent, vita priuarent.* non hæc æuo nostro indigniora? nullatenus tamen se Francia tum mouente: & nihilominùs dicit Ratiocinator Regem, nisi desereret causam Ecclesiæ, confœderatorumque, in hoc prælato offensam, non potuisse non ire in bellum.

## CAPUT XVIII.

### *An esto dedere se, suscipi etiam Elector à Franciæ Rege in protectionem poterit?*

MEminisse debebat Ratiocinator Veruiniamam pacem esse vetustiorem amicitia Treuirensi, & propereà aduersus illam hanc non obligare non tantùm, sed neque pacis, bellique iure esse permissam. vt Romani, pacis bellique iurisprudentissimi, semper censuerunt, & ita ex Patrum sententia Consul respondit Campanis; *auxilio vos dignos censet Senatus, sed ita nobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia, ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere iuncti sunt. Jtaq, arma vobis negamus aduersus Samnites: Legatos, sicut fas, iusque est, precatum ad eos mittemus, ne qua vis vobis fiat.* ita iustè, magnanimè, ac moderatè Romani. & sic eatenus rectè Rex Franciæ Legato seu Residenti Bruxellis, suo mandauerat vt his de rebus cum Serenissimo Cardinali Jnfante ageret: sed amicè is responderat ab Jmperatore & Rege Hispaniarum sibi sciscitandum, quid fieri iuberet: prudentissimè: causa enim ista summam rerum, personamq; continens eius Principis, quem Ratiocinator *soueranum* facit, summi arbitrij erat: liberis etiam mandatis, quamuis maximè generalibus, minimè comprehensa, *vt suprà lib.* 2. *c.* 3. *& seq.* in Consule Posthumio, alijsque vidimus.

Quare cùm Scipio Africanus Syphacem vicisset, ac Massinissæ permisisset vrbem regni caput recipere, in ea Sophonissa Syphacis vxor fortunæ se dedidit; à Massinissa stipulata ne saltem in potestatem Romanorum veniret: itaque, quasi per seruitutem Syphacis soluto matrimonio, eam is vxorem duxit: & post Scipionem obtestatus est, vt vxor immunis esset: Scipio, quamuis tantus Jmperator, respondit, causam illam ad populum Romanum esse referendam: cùm aliud Massinissa obtinere non posset, vxori venenum misit, quo sibi consulere posset, ne in Romanorum potestatem veniret, quod adeoque illa hausit, & intrepidè quidem, & id est tantum questa, quod *satius sibi futurum fuisset, si non in funere nupsisset.* non ergo de Electore statui potuit sine arbitrio Regis, aut Jmperatoris.

CA-

## CAPUT XIX.

### *An ritè potuerit interim fœcialis mitti, & missus quis fuerit?*

CUm postulari iure non poterat ampliùs, nec dari à Serenissimo Cardinali Infante, & vbi talia petuntur soleant feriæ dari, vt ex professo docet Liuius *d. 1. l. 1.* ex Anci Martij Æquicolarumque instituto, *Legatus peragit*, inquit, *si non deduntur quos exposcit diebus tribus & triginta (tot enim sollemnes sunt) peractis.* vtique in populo vicino vbi coram sunt, qui possunt dedere. immeritò de responso quæritur Ratiocinator. hoc autem quod mox diximus fuisse responsum suum testatur ipse Cardinalis Infans in Declaratione. Arguit autem Ratiocinator tale illud esse vt prodat Hispanorum esse propositum, continuare, non reparare iniuriam Electori factam. sed, vt omittamus illud Ecclesiastici *c. 10. in cogitatione tua Regi ne detrahas*, id si ex eo consequens est, talpæ fuerunt Romani, alijque populi obesæ naris, quibus ea formula & induciæ sollemnes fuerunt. Asdrubal cum Romanis fœdus inierat, *vt ita id ratum esset, si populus Romanus censuisset*, non idem exceperat Asdrubal: pax data eodem erat vtrorumque socijs. Annibal oppugnatum venit Saguntinos, posteà factos Romanorum socios: Romani mittunt ad Annibalem vt à socijs abstineret, nisi id faceret, mandant legatis, vt Carthaginem traijciant: cùm & ibi eluderentur, mittunt secundò, vt declarent publico priuatóne consilio Saguntum oppugnetur, nec interim arma mouent, non hîc videbitur tempus dandum Pro-Regi postulata ad Imperatorem, & Regem referenti? sic refert Liuius *d. 4. l. 8.* legatis Oroandensem *precantibus*, inquit, *vt domum renunciarent, potestas facta.* ne priuatò quidem probè quis id temporis negauerit. At hîc aliud agebatur, aucupabantur illi tempus, qui iam antè cum Batauis contraxerant, sæpiùs quidem sed vltimò iam mense Martio *die 8. 1635.* quo apertam infractionem pacis spoponderant, & post paulò in Luxemburgensem agrum militem immiserant, testem, vt nunc fatentur, rupturæ, etsi Orcbimontium nomine tum adhuc Auriaci ceperint, vt id populi rumoribus darent, à quo probatum non iri bellum sciebant plausibilem hunc ergo prætextum tempore obumbrato protrudunt, qui in rerum natura nondum erat, cum illa pacta inita, eùm iussus est irruere in agrum Luxemburgensem miles. Lubet iterum audire Liuium *d. l. 1.* Ancus Martius, quoniam, *Numa*, inquit, *in pace religiones instituisset, quo à se bellica ceremonia proderentur, nec gererentur solum sed etiam indicerentur bella aliquo ritu: ius ab antiqua gente Æquicolis quod nunc fœciales habent, descripsit. quo res repetuntur. Legatus vbi ad fines eorum venit vnde res repetuntur capite velato* (filum lanæ velamen est) *Audi Iupiter*, inquit, *audite fines (cuiuscumque gentis sunt nominat) audiat fas, ego sum publicus nuntius populi Romani iustè pièque legatus venio, verbisque meis fides sit. Peragit deinde postulata, inde Iouem testem facit. Si ego iniustè impièque illos homines, illasque res dedier nuntio populi Romani mihi exposco, tum patria compotem me numquam sinas esse, hac cùm fines suprà scandit, hac quicumque ei primus vir obuius fuerit, hac portam ingrediens, hac forum ingressus paucis verbis carminis, concipiendique iurisiurandi mutatis peragit, si non deduntur quos exposcit diebus tribus & triginta, (tot enim sollemnes sunt) peractis, bellum ita indicit audi Iupiter & tu Iuno Quirine, dijque omnes cælestes, vosque terrestres, vosque inferni audite, ego vos testor populum illum (quicumq; est nominat) iniustum esse, neque ius persoluere. sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus quo pacto ius nostrum adipiscamur. Cum his Nuntius Romam ad consulendum redit, confestim Rex ex his fermè verbis patres consulebat. Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritum patri patrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res nec dederunt nec soluerunt, nec fecerunt, quas res dari fieri, solui oportuit, dic,* inquit ei, *quem primum sententiam rogabat, quid censes? tum ille, puro pioque duello quærendas censeo, itaque consentio, consciscoque. inde ordine alij rogabantur, quandoque pars maiorum eorum qui aderant in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum: vt fœcialis hastam ferratam aut sanguineam præustam ad fines eorum ferret, & non minùs tribus puberibus præsentibus diceret. quod populi priscorum Latinorum hominesque prisci Latini aduersus populum Romanum Quiritum fecerunt, deliquerunt, quod populus Romanus Quiritum bellum cum priscis Latinis iussit esse Senatusque populi Romani Quiritum censuit, consensit, consciuit, vt bellum cum priscis Latinis fieret, ob eam rem ego populusque Romanus populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis bellum indico, facioque. Id vbi dixisset, in fines eorum emittebat. Hoc tum modò ab Latinis repetita res, ac bellum indictum, moremque eum posteri acceperunt.*

Viden' quanta ceremonia, religioneque iura gentium bella gentium indici voluerint? spatium deliberandi legatus dat, domum etiam redit, ibidemque deliberatur non minùs, testatur Deos iustè pièque se legatum venire: si secùs, precatur, ne patriæ compotem esse sinant: populum alterum iniustum esse, neque ius persoluere: rebus repetitis vtrique & negatis, ob eamque rem bellum indicit: at hîc nulla mora datur, vt verba ijs fieri possint, ad quos spectat decernere. Latini *cùm incursionem* inquit Liuius, *paulò antè in agrum Rom. fecissent repetentibus res Romanis superbè responsum reddiderunt*: at hic Princeps Cardinalis humanissimum: ibi palam malitia, & contumacia: hic omnis ciuilium verborum vrbanitas, nec ampliùs in re vt diximus à Pro-rege iure dici, fierive poterat. & quia iuris præscripta Princeps transgredi noluit: doli fit interpretatio, ex eaque præsumptione itur in bellum. belli iura ex rebus factisque iniurias metiuntur, præsumptiones ad bellum indicendum non admittunt. *c. quid culpatur 23. q. 1.* Quibus ex causis Declaratio ait, *secundùm terminos iuris, multò magis ciuilitatis,*

interim

*interim dum Cæsareum Regiumque responsum exspectaretur, non potuisse amplius postulari, aut quem mitti.*

Missus quis fuerit, ænigma est homo obsoleto habitu, fecialem heraltúmve se indigetabat. *Si quis*, inquit, *lex* 1. C. *de mandat. princ. adserat cum madatis nostris secretis se venisse, omnes sciant nemini quicquam, nisi quod scriptis probauerit, esse credendum: nec vllus dignitate terreri, siue tribuni, siue notarij, siue Comitis proferat dignitatem: sed sacras nostras literas esse quærendas.* fi ille sub vocabula *nemine* comprehensus non fuit, ne ille homo non fuit. habitum non facere monachum est in vetere Prouerbio, & asserit Concil. *Trid. s.* 14. *c.* 6. ideoque & lex *si qua per calum.* C. *de Episc. & cler.* venientibus ad aulam clericis monachísve mandat, vt Episcopi sui literas conferant, alioquin, ita denunciat, *Scituri quod si citra hanc fiduciam accesserint, sibimet imputabunt quod nec clerici vel monachi esse putabuntur.* huic ergo homini prælatæ functionis literas non exhibenti, sciendum erat, quòd pro tali non putaretur, non haberetur. eoque magis quod à simili scenico Angli à Francis aliàs essent delusi, quo fidem illi huiusmodi strophis imposterum abrogarunt. Jta in bello Lusitanico auspicijs Philippi II. victis Jnsulis Azoribus à Marchione de Sancta Cruce capti nobiles Franci 300. cùm vt milites se atque à Regina Franciæ bello missos excusarent, tantisper detenti sunt dum Regina interrogaretur: cùm illa negasset, tamquam pyratæ ac prædones securi subiecti sunt. Enim verò Declaratio ait, *venisse hominem, vt prætenditur, sub qualitate heralti, cùm nec esset, nec essentiales tesseras præferret, nec vt talem se gereret, minùs vllam commissionem, aut literas credentiæ exhiberet.*

Porrò ea quæ de causa Treuirensi aliquot sectionibus enucleauimus: Declaratio comprehendit vniuersim hac ferè rei substantia: *Regem iam ante vltimo tractatu cum Batauis inito bellum resoluisse, immissionem militum in agrum Luxemburgensem apud Batauos pro ruptura interpretatum, tametsi paulò antè adbuc arma nomine Auriaco velasset, actus hostilitatis exercuisse iam antequam Treuiri intercepti essent, aut Bruxellam venisset personatus ille, qui Archiepiscopum Electorem Treuirensem repeteret, adeoque antequam nata esset ea causa, quæ nunc frontispicio belli præfigitur, quo deciperentur etiam proprij subditi, qui pacis infractionem abominarentur, debuisse Regem responso Ferdinandi tantum temporis deferre donec is ad Cæsaream, Regiamque maiestatem retulisset edoctusque ab eis esset, quid sentiret de Principe Electore Imperij, non subdito Regi legibúsue Franciæ, & qui palam negaret sub eius se esse protectione, Deum laudans qui eum à mala exhibitione, insolentijsque Francorum liberum fecisset, præterquam quod vrbs Treuirorum sub Imperio existens protectorē pridem haberet Hispaniarum Regem suosque prædecessores, quam ob causam nullis Principum, quæ Treuiris gesta essent improbantibus, mirum esse solum Franciæ Regem arma sua isti causæ impendere, pro membro & subiecto Imperij, contra Imperatorem suum Dominum, eamque oppugnare titulo amicitiæ aut fœderis, tamquam si illud nomen mereretur, aut iure posset subsistere non cementata etiam cum iustitia, illaque oppugnare titulo amicitiæ posterioris pace, & matrimonijs inter duos Reges eorumque Coronas adeò strictis, quorumque adeò interest publici boni atque quietis.*

---

## CAPUT XX.

### *An Hispani eodem tempore persuadeant Catholicis, quod summum eorum desiderium sit eis fauere, & malè velle hæreticis; his offerant pacem fauorabilibus conditionibus, vt deindè arma in illos vertant, ac demùm vtrosque supprimant?*

ITa Ratiocinator: nec sunt istæ ignotæ Ducibus artes, ita Drusus illiciens Germanos ad discordias, vt fracto Maroboduo vsque ad exitium insisteretur *Tac.* 2. *Ann.* ita qui negant iura sibi nata, qui quidquid regibus lubuerit, ius & iustum aiunt, quibus ius in armis, qui omnia fortium virorum esse censent, vt Brennus, socijque Galli; denique id in summa fortuna æquius, quod validius, sua retinere priuatæ domus, de alienis certare regiam laudem esse, vt Tiridates, qui bellum vnum ex altero commentantur, non ex iure indicunt, non ex iustitia gerunt, *Latrunculorum & furium*, inquit Alexander Magnus apud Curtium *l.* 4. *illa solertia est quam præcipis mihi; quippe illorum votum vnicum est fallere:* & Liuius *l.* 42. *legati ex Græcia reuersi Q. Martius & A. Attilius nulla alia re magis gloriabantur, quàm decepto per inducias & spem pacis Rege, quæ magna pars Senatus probabat, sed veteres moris antiqui memores nouam istam sapientiam improbabant.* At verò cur id censet de Hispanis? Vbi enim arma Hispana pro hæreticis aduersus Catholicos geruntur? nónne à Sueco, Protestantibus, ac Batauis hæresis vnà cum rebellione mixta inuehitur, ab Hispano Austriacísve propulsatur, à Francis protegitur armis, militibus, pecunijs? ipsa Geneua nónne iam pridem in protectionem suscepta à Francis, quæ caput est hæreseon, ac hæreticorum nutrix, Deo vt & Domino suo rebellis? Protestantes Germaniæ, tum in suis principijs, tum deindè cùm inualuissent fœdere Smalcaldico à Francis toties adiuti? quæ vspiam pænè pro religione arma sunt foris mota, vbi Hispani ac Austriaci non fuerint in partibus Catholicorum, Franci cacodoxorum? opera testantur an non Francis ea conueniant quæ Hispanis affinguntur. ex operibus homines cognoscendos, qui simulatis vestibus vtuntur, docemur *Matth. c.* 7. Sed enim verò Legatus chimericus nuper latè asseruit, quàm eodem tempore Franci diuersas personas agant. quàm non pridem per eumdem Legatum inuitati sint Batavi alijque Protestantes ad nouam vnionem contra Domum Austriacam, & ipse Jmperator ad noua fœdera quibus hæreticorum interitus curaretur, quàm eodem tempore Romæ offerantur auxilia ad defen-

defenſionem Eccleſiæ & Bizantij, vt Turca Jtaliam, patrimoniumque S. Petri inuadat, Neapolim, Siciliam, Melitam occupet; aliquot milliones in ſuppetias præſentarint, & exercitum miſerint hæreticis auxilijs mixtum, qui Vallem Tellinam occuparit, in ipſam Jtaliam hæreticos præcones conduxerit; quòd hinc cum Polono actum ſit, vt cum Sueco pacem haberet, inde Moſcus bellum ei inferret; hinc officium Chriſtianiſſimi Regis præſtari velint videri, inde cum omnibus fidei Orthodoxæ hoſtibus aduerſus Eccleſiam fœdera contraxerint: Suecum excitarint, vt in Jmperium Germanicum prorueret, qui niſi diuina manu, quæ in pariete Balthazaris damnationem ſcripſit, Julianum ſagitta confodit, in prælio ad Lipſiam commiſſo proſtratus fuiſſet: iam Regiam Sedem, quam Auguſtæ Vindelicorum ponere cœperat, trans Alpes tranſtuliſſet, ac Romæ iam ille Attila forſan haberet, & nihilominùs euulgent omnia hæc in rem Religionis Catholicæ fieri, quam mox ſtabiliruri ſunt, cùm omnes hæreticorum vires expenderint: quàm hîc videas alterum purpuratum Eccleſiæ Senatorem conſilijs regnum omne ſociorumque vires dirigentem, illic alterum itidem purpuratum exercitum ducentem, hunc in dextro cornu conſiſtere, in ſiniſtro ductorem hæreticarum copiarum, alternis hebdomadibus purpuratum ijſdem copijs imperare, alternis hæreticum Ducem: credetne poſteritas? an neſcit quiſpiam vulgatas à Mercurio Francico literas à Rege Franciæ & Cardinali Richelio 26. *Iul.* 1630. Sueco ſcriptas, & huius reſponſum 17. *Septemb.* 1630. quibus ex Pomerania inuitatus fuit, vt in Germaniam deſcenderet? (quod & hic Ratiocinator lubens negaret, & fœdera ad finem operis reijceret) & illo tamen eodem anno 13. Octob. eſt fœdus cum Jmperatore initum, & à Rege Franciæ per ſuos iuratum, vbi *ar.* 1. contrarium promittitur.

Hiſpani autem Auſtriacique vero zelo non duplici animo ſacra bella geſſerunt. *Sanè os bilingue deteſtatur Dominus. Prou.* 13. *opera enim manuum eius veritas, & iudicium. Pſal.* 100. ab eo illud Eccleſ. *c.* 2. *Va duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus malè facientibus, & peccatori ingredienti terram duabus vijs.* ergò *emundate,* inquir D. Jacob *ep. can. manus peccatores, & corda duplicia purificate.* plura diximus in *Iudice l.* 1. *c.* 31. *l.* 4. *c.* 12. *ibid. c.* 10. *l.* 3. *c.* 16. Ea tibi dicta autumant Auſtriaci Principes, qui puro puto zelo arma Chriſtiana in hæreticos paganoſque mouent more maiorum; qui atque imprimis Belgij Principes, Godefridi, Balduini, Principeſque conſanguinei Belgæ ſacra arma ad Terram ſanctam tulerunt: de quibus hîc dicendi non eſt locus, Molanus in *militia ſacra Duc. Brabant.* alijque videri poſſunt, & nonnihil referimus inferiùs *l.* 3. *c. vlt.* propriores Principes Auſtriacos hîc recolamus. Maximilianus I. moriturus Nepotes Carolum & Ferdinandum monuit, vt religionem cùm vitæ dominatuſq; etiam periculo tuerentur, abominatus naſcentem tunc Lutheri factionem, anno 1492. Turcas in Auſtriacas ditiones irruentes, animas in perditionem trahentes, armis repreſſit: Carolus V. quanta cum Solimanno bis ad Viennam, deindè in Græcia, denique in Africa, contra hæreticos in Weſtphalia, Saxonia, Haſſia, ac alibi Proteſtantes bella geſſit? Ferdinandus I. Jmperator aduerſus Turcas quos in Hungaria grauibus prælijs afflixit, Philippus II. in Anglia nuptijs Mariæ religionem reſtituit, Melitam defendit, fœdere cum Pontifice, Venetiſque inito, fratre Joanne Auſtriaco Duce ad ſinum Corinthiacum memorabili conflictu nauali ita fregit, vt nauali Turca hactenus bello ferè abſtineat: cum hæreticis in Belgio ad finem vitæ bellauit: cùm bellum ſemel confectum ex cineribus reuixiſſet: quin & filio inter vltima monita præſcripſit, bellum nemini ſine iuſta cauſa conſilioque inferret: ſi inferre cogeretur, caueret ne ſacræ diuino Numini ædes, aut innocentes damnum acciperent: eum ſecutus eſt Albertus Pius, Jſabella, Philippus III. & IV. cui etiam in bello Tellino, non niſi Religionis cauſa fuit. quid nunc dicam de Ferdinando II. Jmp. qui tot nunc annos tam ardua atque periculoſa in Germania bella geſſit, Religionis causâ? vbi Wandalorum veterum hæredem vidit *ſuper exaltatum & eleuatum, ſicut cedros Libani: tranſiuit, & ecce non erat. Pſal.* 36. longa eſſet narratio ſingulos perſequi: vniuerſim verum eſt; Hiſpanos Auſtriacoſque Principes, vbique ſacrorum bellorum præſides eſſe, eam cauſam perpetuo zelo complecti. *id quod latiùs explicat Vernulaus in Apolog. Auſtriac. c. vlt.* quibus paſſim in partibus ſint Franci, ſatis garriunt Mercurij: vt nihil hic ſit opus referre: minùs quippiam ad inuidiam (abſit) quæ ille: *Geſta impiorum per Francos, & Francorum per impios.*

Quid nunc conſectemur illa minuta, quæ conglomerat Ratiocinator, vt quæ debilia ſingula cùm ſint, iuncta pigmæam aliquam turbam facere videantur? quæ & ipſe Ratiocinator dicit diſſimulanda fuiſſe ſi non acceſſiſſet Treuirorum receptio Electoris, detentio. Jgitur de cæteris minorum gentium cauſis, quæ ad belli iuſtitiam vel ipſi Ratiocinatori non ſufficiunt, ſed in comitatum datæ ſunt tantùm, adeoque Declaratio, vt inutiles fabulationes, preterijt, nec eas dumtaxat, ſed & diſſertationes, quas à *c.* 6. hîc excuſſimus, ſolam cauſam Treuirenſem reſponſo dignata quodque ab alijs vulgatis pridem libellis plus ſatis etiam ſint nihilominus ſolutæ, vt ampliùs agamus, non eſt operæ pretium. Jgitur nos ad ſummam rerum finemque omni iuſto bello propoſitum applicemus, pacem vtique exoptandam.

---

## CAPUT XXI.

### *De aſſenſu in pacem, ſed generalem cum omnibus fœderatis.*

RESumamus nunc ergo filum decretalis *Nouit.* X. *de indic.* ex ijs, quæ diximus, euidens eſt Regi Franciæ aduerſus ea, quæ contra pacem Veruinianam geſta ſunt, non competere legiti-

mam exceptionem. Supereſt vt, quod ibidem Jnnocentius III. dicit ſuæ *eſſe poteſtatis, & debiti ſtudium, vt rupta pacis fœdera reformentur:* vt tum in illam ſententiam Jnnocentius ſcripſit, omnibus Prælatis per Franciam conſtitutis, & Alexander III. in Concilio Lateranenſi omnibus Epiſcopis præcepit, vt *ad ſolum Deum & ſalutem populi habentes reſpectum, omni trepidatione ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſilium & auxilium præbeant, neque hoc alicuius amore vel odio prætermittant. quod ſi quis in hoc opere trepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.* alia id genus decreta plura citauimus *in Ind. l.* 1. *c.* 26. *l.* 4. *cap.* 25. Refert Ratiocinator Nuntios Suæ Sanctitatis in eam rem cum Rege Franciæ ſeriò egiſſe, et Regem reſpondiſſe conciliari pacem non poſſe, niſi vniuerſaliter ſimul cum omnibus confœderatis. Jſtáne illi, quos Declaratio proximè dicit ad Regē accedere, perſuadent? an aliter immiſſiones fiunt per angelos malos, vt ita circumueniatur Rex, vt non putet pacem componi poſſe, niſi ſimul cum omnibus colligatis? eos ego rogatos velim ánne verò Pariſijs ius non dicatur, niſi omnium ibi litigantium controuerſiæ vna ſententia finiantur? at bella lites ſunt: illæ publicæ, hæ priuatæ. Quid porrò noſtri etiam ſæculi moribus frequentiùs, quàm vt æquæ inter duos Principes conditiones concipiantur, quibus illi arma poni iuſtum æquum exiſtiment, ipſi ſanè paciſcantur, pacemq́ue componant, fœderatis porrò deliberandi eaſdemq́ue amplectendi ſpatium ſtipulentur, & ſi reiecerint auxilia deinceps ab ijs, aut contra eos, qui pacti fuerint, non præſtentur? fœderum inſtrumenta, eas clauſulas habent aſſiduas. ratio etiam ſuffragatur, vt ad aras tantùm iuſtitiæ, boni ac æqui limites, fœdera ad auxilia aſtringant. Sic & inter Jmpp. Fredericum & Henricum filium, & ciuitates Jtaliæ omninò multas an. 1183. cuius eſt in libris iuris noſtri titulus *De pace conſtantiæ* pax ſimul coaluit. At verò qui conditionem impoſſibilem proponit, aut quæ eo accedit, ludificari videtur, quaſi verbis velit, quod re ipſa nolit. quoties meminit Ratiocinator Ianum fuiſſe clauſum, cùm nullum Romanis ſupereſſet bellum? ſi Ratiocinator in ſenatu fuiſſet, nulla illo arbitro tot ſæculis fœdera Romanis fuiſſent. ſi conditio, quæ à voluntate Principum pendet, pro impoſſibili habetur: *l. apud Iulianum* 40. §. *conſtat. D. de legat.* 1. quid dicemus de illa quæ tot Principes complectitur, tot rebellium contra religionem & Principes legitimos confœderationes? quin & hæreticos omnes Principes, & Turcam, ſi verba generalia attendamus: nam & cum hoc Franci fœdus habent: aduerſus quos Cruciatæ olim expeditiones tot à Pontificibus curatæ. quid ſi Rex Franciæ fœdera in 20. annos cum Suecis, alijſq́ue ad bellum Germanicum habet contracta? vel illis in occupata iniquè reſtituendis, quos Canones vt *cap.* 3. *l.* 3. vidimus, ex proprijs eliminari volunt, de hæreticis ſtabiliendis? cùm hæreſim, notoriam Principum Regumq́ue impedimentum eſſe Eccleſia decreuerit, *c. venerabilem de elect. Azor. Inſtit Moral. p.* 2. *lib.* 11. *c.* 2. *q.* 2.

At verò, quomodo ille in rebus perplexis dicebat. *Fata viam inuenient*; ita nos Deo tidere æquum eſt, qui in rebus intricatiſſimis facilem exitum præſtare poteſt. & Vicarij ſui operam interuenientricem ea felicitate donare, neque verò deſperare nos oporteret, ſi in cor admitteremus illud Zachariæ *c.* 8. *veritatem tantùm, & pacem diligite.* & *Eccleſiaſtici* 5. *proſequatur te verbum pacis; & iuſtitia*: ſi eò verè ſpectarent cogitationes noſtræ, vt pacem cum veritate, iuſtitiaq́ue promoueremus. vbi illa eſt, hæc facilè ſequitur; amicæ ſunt, germanæ ſunt, *iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Pſal* 84. Juſtitia id complectitur quod Chriſtus proponit, *Matth.* 22. *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* promoueatur cultus diuinus, vera atque orthodoxa fides, reſtituantur ſuis vſibus Catholicæ Eccleſiæ, reddita ſint quæ ſunt Dei Deo: Jmperatori autem ac Regibus reſtituantur prouinciæ, ciuitates, fidelitas, *reddita fuerint quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Regis Regi.*

Quòd ſi qui erunt à quibus ea iuſtitia reijcietur, ac veritas non diligatur, quid mirum ſi pax penes illos nolit hoſpitare, quod ſi reijcientes foueantur ab ijs, qui non ea de cauſa gladium portant, ſed Dei miniſtri ſunt; vindices in iram eis, qui malè agunt, in hoc ipſum ſeruientes: ſi in contrarium iuuant eos, qui nolunt reddere omnibus debita: *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem iuxta D. Paul. ad Rom. c.* 13. quid mirum non coaleſcere pacem ſine ſpecie vlla iuſtitiæ Deo debitæ, & Regibus? *Pax multa*, inquit Dauid, *Pſal.* 118. ſed *diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* At verò quo iure Ratiocinator eam gentem, quæ non aliud cupit, quàm iuſtitiam, quæ Deo, quæ Regi debetur, quàm diu illa negatur dicit pacem nolle? quaſi is ex ijs eſſet, qui dicere poſſunt, *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Pſal.* 119. falſi erant illi Prophetæ qui *dixerunt pax, pax; & non erat. Ierem. c.* 6. nōn illa eſt, cùm agitur de illis gentibus de quibus dixit Dominus, 1. *Eſdra c.* 9. non *quæratis pacem illorum*, non eſt pax cùm alterum quis bonis ſpoliat, domo eijcit, & pacem offert, domum & bona non offert: non eſt illa pax Dei, non eſt iuſtitiæ, non eſt ab illo cuius ea vox, *pacem meam do vobis, non quomodò mundus dat. Ioan.* 14. quod ſi talem pacem omnes intenderent, quæ cultum Dei, religionem & iuſtitiam includit, ſperare optimè iuberemur ex monito D. Pauli: *pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.* 2. *Cor. c. vlt.* Eam ſanè ſperabimus cùm Regij Conſiliarij ſalutem publicam priuatamq́ue Regis, qui proximi ad eum accedunt, præferent fœderationibus. quæ perniciem Eccleſiæ ac reipublicæ Chriſtianæ ſiue directè, ſiue indirectè, ſiue per ſe, ſiue per accidens cauſantur, aut ſecum vehunt: quando Regi perſuadebunt, vt niſi huiuſmodi fœderati pacem, quæ rationis præſcripta habet, iuſtitiamq́ue complectitur, admittere velint, quamuis ſæcularem vtilitatem ſpectare videantur, renuntiare fœderibus & iniuſtitiæ reis iam palam confeſſis, repudium mittere, (vt *Pſal.* 2. *dirumpamus vincula eorum*) exaudireque

illud

illud Chriſti, *Matth. 18. ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & proijce abs te bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* quod Hieronymus in *Comment. in Matth. l. 3.* explicat, ſi inquit, *eſt quis tibi ita coniunctus, vt manus, pes, oculus, & eſt vtilis atque ſolicitus, & acutus ad perſpiciendum, & propter diſſonantiam morum te pertrahit in gehennam, melius eſt, vt & propinquitate ipſius & emolumentis carnalibus careas, quàm dum vis lucri facere cognatos & neceſſarios, cauſas habeas ruinarum.*

## CAPUT XXII.

### *Pax Pragenſis xxx. Maij. CIↃ IↃↃ. XXXV. Vt à calumnijs vindicanda ſit, & vt manu ducat ad pacem vniuerſalem.*

VNiuerſalem hanc Jmperio dedit Ferdinandus II. atque omnibus Jmperij membris, paucis in ſpecialem cauſam ſeruatis, exteris Regibus & Principibus ſeiunctim obtulit omnem amicitiam. neque enim mores Jmperij hactenus tulerunt, vt vaſalli Jmperij & exteri Reges eodem tractatu & quaſi gradu reciperentur. vt declarauit iterum nuper Jmperator. cuius vota ſi alij tam iuuare conarentur, quàm euertere: fieri poterat vniuerſalis Europæ, nam cætera, quæ in illa ſunt, diſſidia magna ferè ex parte ex his pendent, aut à Francis ſunt profecta: nam quoad bellum quod Hiſpano atque Belgis indixêre ipſi, ſi rationi locum dare volent, facilè bello auferent: vt in alios reijcere non debeant, quod ipſi cauere poſſunt ſoli, reſumant modò hinc pacem Veruinianam, inde nuperam Ratisbonenſem; pacta, conuenta, atque iurata obſeruent. Propoſitum ſanè Ferdinandi fuit ſanctiſſimum, quod ipſemet etiam luculenter explicuit programmate de commodis & vtilitatibus pacis Pragenſis edito *Bada 8. Iunij* 1635. tametſi non quidquid optauit per eandem pacem dare potuit. quamuis etiam nec defuerint, qui piam eius intentionem non probè interpretentur: ij ſcilicet, quibus omne id diſplicet, quod Auſtriacis placet: quidquid moliuntur boni, inter quos ad primas tendit Juſtus Aſterius, qui nuper edidit Deplorationem Pacis Germanicæ, ſiue diſſertationem de pace Pragenſi, *tam infauſtè*, inquit, *quàm iniuſtè inita Praga Bohemorum* 30. *Maij* 1635. *in qua*, in eodem frontiſpicio, inquit, *artes & techna Auſtriacorum, vecordia Saxonum, pericula Proteſtantium, & æquitas belli à Francis & Suecis iure prolati euidentiſſimè oſtenditur*, ſcilicet euidentiſſimè, vt à luce lucus dictus eſt. Jtáne ergo pietas Auſtriacorum in artes & technas ab huiuſmodi animis & calamis tranſuertitur? amor Saxonis in patriam, ſecuritas Proteſtantibus oblata aduerſarijs vocabulis denigratur? belli à Francis & Suecis illati iniuſtitia æquitatis fuco depingitur? Ferdinandus ipſe, eodem programmate nihilominùs excuſat, quod non quidquid optare poſſint aliqui ea pace obtentum fuerit, eius verba ita ipſe refert Aſterius. *p. 48. Si tractatione Pragenſi bono ſtatus & religionis alicui forſan non ſatis conſultum videatur, eius rei cauſam non ſibi & ſocijs, ſed Regi Chriſtianiſſimo eſſe attribuendam: qui licet vulgò filius Eccleſiæ primogenitus audiri velit, non tamen modò non erubuerit, initio belli iſtius amicitiam hæreticorum ambire, externum Suecorum Regem ad ſuppetias euocare, cum eo ſolemne fædus ſancire, vires vtroramque coniunctas alere, ac firmare, & proprio motu, ſine vlla cauſa, contra fidem datam, prouincias Jmperij inuadere, ſed etiamnum quotidie conetur principes ſtatuſque ab Imperatore auulſos contra ipſum incitare imò quod poſtquam per victoriam Nordlingenſem plurimi partibus ſuis acceſſerunt, ipſe armata manu vrbes in poteſtatem ſuam redactas occupauerit, ex ijs præſidia Catholicorum eiecerit, hæreticorum reſtituerit, vt quantum in ſe ſit, progreſſum pacis & religionis Catholicæ in imperio prohibere tentet: adeò etiam vt Duci Saxoniæ promittere auſus fuerit, ſi à partibus ſuis ſtare vellet, ſe ipſi non modò meliores pacis conditiones procuraturum, ſed etiam manibus & pedibus allaboraturum, vt hæreſis Lutheranorum cum reliquis ſectis in regno Bohemiæ, eique vnitis prouincijs publicè ſtabiliretur.* Jgitur Jmperator, quantum æqui boníque potuit neceſſitati extorquere, vniuerſali hac pace conceſſit Jmperio. Hiſpaniarum porrò Rex nullum indixit, ſed à Francis indictum gerit bellum: per illos igitur ſolos ſtat, quò minùs pax vniuerſalis, quæ Jmperio data eſt, & ibi obtineat, & ad Europam prorogetur vniuerſam. Jd quod minùs fiat etiam laborat hic Aſterius, minimè Juſtus; prolatíque vlteriùs in contrarium à Francis & Suecis belli buccinat æquitatem. Jn Deploratione ergo ſua diſſuaſoria quinq; facit capita nullitatum, quas vocat, pacis Pragenſis. 1. ex parte Jmperatoris. 2. ex parte Saxonis. 3. ex parte Proteſtantium. 4. ex parte Suecorum. 5. ex parte Francorum. Nullitatum, inquam. at verò belli, pacis, fœderumque ius, quod ſæpiùs diximus, iuris eſt gentium: nullæ ſunt ab eo præſcriptæ nullitates; ſi modò liber adſit conſenſus eorum, qui paciſcuntur, atque in ſua ſint poteſtate, non iuris alieni. Sed ſuprà omnia malè Aſterium habet, quod *Principes*, inquit, *p. 2. exteri fuerunt excluſi.* quid ni? quid enim ad illos pertinet rei alienæ ſe immiſcere? *l. culpa. D. de reg. iur.* quod in poſſeſſionibus alienis, etiam vacuis, tentare, Juſtinianus, interpretatur prædari. *l. cum quærebatur. C. vnde vi*, quid ergo ad Principes exteros de rebus Jmperij ſciſcere, ſtatuere, paciſci? Jure igitur excluſi ſunt. Romani ſanè cum Pyrrho de pace aut fœdere agere tractare, audire noluerunt, niſi priùs Jtalia excederet, atque arma indè ſecum auferret, tum porrò ſe, ſi quid è publica re proponeret auſculturos. Optimè ergo Jmperator à pactione exteros excluſit, donec Jmperio excedant, atque arma efferant. quaſi verò exiſtimaret Aſterius Franciæ Reges cum rebellibus ſuis paciſcentes, & toties Ludouicum XIII. non ante pacem inijſſe, quàm ſocios, aut quos auxilia credidiſſent præſtitiſſe, interpellaſſent. *Non hic ex pace ſolatium, ſed bellum indicitur,*

*Fr. Zypæi oper. tom. 2.*

*citur*, inquit *p.* 2. quid in exteris, iisque qui pacem sanctam auersentur, & aduersentur? *feciales responderunt Ætolos*, inquit Liuius, *dec.* 4. *l.* 6. *vltrò sibi bellum indixisse, cùm Demetriadem sociorum vrbem per vim occupassent, Chalcidem terra marique oppugnatum issent, Regem Antiochum in Europam ad bellum populo Romano inferendum traduxissent.* quid ergo queritur Asterius de indicto bello cùm ipsi Franci bellum sibi indixerint, ciuitates, castra, prouincias Jmperij occupando? Regem Sueciæ ad bellum Jmperio inferendum euocando? Hos excludere, est pacem firmare: omnis interitus est à contrario: sui ergo conseruatio est aduersantium necessaria depulsio. neque porrò noua est eiusmodi pactio, inserta inuenitur etiam Paci Constantiæ, quæ libris iuris nostri attexitur: *tit. de pac. Constant.* §. *sententia versic. si qua verò ciuitatum ea, quæ in conuentione pacis ex parte nostra statuta sunt, non obseruauerit, cæteræ ciuitates eam ad id obseruandum bona fide compellent.* quare nec vlteriùs exteri Principes fœdere exclusi sunt: imò disertè Jmperator protestatur cum omnibus colere velle se amicitiam, qui Jmperij tranquillitatem nolint turbatam: quid iure ampliùs exigat Justus?

Jgitur paucis videamus neglectis vbique maledicentiæ phaleris, vnde accersat causas nullitatum. nam pleniùs excutere alterius est operæ, & ab instituto nostro alienum. Citat has ex parte Jmperatoris: quòd tractatio de bonis Ecclesiasticis excedat potestatem Cæsaream: quòd pax Pragensis fundata sit in transactione Passauiensi, quæ nullius apud Austriacos sit momenti: quòd ipsi Jmperatores fateantur sui iuris non esse quidquam in negotio religionis statuere: ideoque eiusmodi pactis cum hæreticis sese obligatos non esse: denique quia ipsa tractatio Pragensis Jmperatori, & Catholicis perquam sit ignominiosa. Verùm si quid in his Jmperatores aut Principes Christiani ideò minùs possunt, quia religione impediuntur, non id lædit plenitudinem potestatis. ea dicimur posse quæ iure possumus. Non minùs habent Principes Christiani in subditos ius vitæ & necis, quàm Turcæ: at hi pro lubitu, illi pro ratione iustitiæ dumtaxat vtuntur. sic itidem Principes Christiani Mahometismum, Turcismum, Atheismum præscribere subditis non possunt, vt faciunt pagani, plenitudo potestatis, nisi comitem habeat plenitudinem iustitiæ, vis est, non potestas. *forte est vinum, fortior est Rex. fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas* 3. *Esdræ* 3. Non *enim*, inquit D. Paulus, 2. *Cor.* 13. *possumus aliquid contra veritatem.* Hæc ergo impedimento est Principibus Christianis, ne transiliant terminos, quos posuit Christus, summa veritas: is Petro & Apostolis, non Regibus dixit: *ite, prædicate, pasce oues meas; quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* ab ea Veritate in Christianis Principibus, in spiritualibus defectus potestatis profluit. Jd autem ad ea, quæ opposita sunt, pertinet, vt ratum ac stabile censeatur quod Jmperator aliiue supremi Principes Christiani pacis ergo atque necessitate compulsi tolerandum decreuerint. Hoc ipsi Theologi, quos citat Asterius *p.* 8. 9. asserunt: nec ij tantùm, quos nono ille epitheto vocat Austriacos, sed & cæteri orthodoxi. nec verò ipse Pontifex, ne hinc videatur potestatis defectus proficisci, quò collimat Asterius, aliud, quàm necessitas postulat, posset permittere: quia religione atque diuino iure impediretur. si aliter censeant Francici Theologi, eos producat Asterius: ac simul rationes edat, cur Franciæ Reges edictis, quæ vocarunt Pacificationis, & nominatim *dato apud Nannetenses* 1599. aliisque prioribus, ac posterioribus etiam Ludouicus XIII. talia statuere, tolerare, decernere, eoque modo quo hic Jmperator magis, quàm hic ipse, potuerint; aut fateatur se ea ipsa Deploratione, quam Ludouico XIII. dedicat, suam illi impotentiam exprobrare. Jgitur ad obiecta ab Asterio: vno collyrio omnia medicabimur. vtique ad Principes sæculares Catholicos pacata rep. non spectare de religione sciscere, bona Ecclesiarum pro lubitu hæreticis donare, hæreticis citra iustam causam immunitatem atque impunitatem dare: cæterùm, cùm eò res reductæ sunt, vt non legibus nisi armatis sit disputandum, necessitas summa tum lex est: quod ea iubet, à lege alia exemptum est: ea statuente Tractatio olim Passauiensis, & hæc de qua agimus Pacificatio Pragensis, ex salute publica proposita est: quando Jmperatoribus satiùs visum tolerare hæresim, & bona Ecclesiæ quædam occupata omittere, quàm dum ea armis vindicantur, de republica tota periclitari, ipsamque Catholicam perdere. ex responsione Domini ad seruos, *Matth. c.* 13. *vis, imus, & colligimus ea?* (zizania) *& ait non; ne fortè colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum. sinite vtraque crescere vsque ad messem.* viden', vt ne triticum in periculum incidat, vetari ne zizania colligantur, iuberi vt tolerentur etiam crescere vsque ad messem? Equidem commodè de rebus dubijs, qui extra teli iactum sunt, philosophantur, sed qui naufragium passi vix tabulam vnam nancisci possunt, qua ad litus emergant, ex vero rectiùs æstimare possunt, quanti eiusmodi in periculo sit salus. Jta sanè regnorum arcana ignorantibus, de rebus huiusmodi disputare, est facilè: sed ex vero statuere non est nisi eorum Principum, qui vires suas & hostium norunt: quid valeant humeri, quid ferre recusent: illi soli discernere ex vero possunt, an, quid, aut quantum furori dandum, tempestatiue cedendum sit; ne tota reipublicæ religionisue nauis omninò naufragetur, quod perniciosius sit quàm hæreses non ad tempus tantum tolerare, sed etiam sinere crescere vsque ad messem. huius rei, armorumque iudicium ad Jmperatorem spectat. dummodò, si arma ponenda; si pacem ineundam statuat, bona fide præstet quantum potest seruandæ religioni, hæresi exterminandæ. nec aliud exigit Concilium Lateranense Oecumenicum *in c. excommunicamus.* §. *moneantur. X. de hæret.* adeoq; tum pacta, conuenta cum hæreticis omninò sunt seruanda. *vt diximus in Iud. l.* 4. *c.* 4. *n.* 4. *c.* 10. 11. *n.* 2. *in fin. lib.* 3. *c. vlt. n.* 39. *& c.* 16. quæ porrò aliter dicuntur, extra causam huiusmodi necessitatis accipienda sunt. qualia hic locus singulatim non permittit excutere. vnum

tantum

tantum vacat monere, quod Aſterius *p.* 12. citat bullam Pij IV. reuocatoriam omnium indultorum in præiudicium Concilij Tridentini, *datam* 13. *Kalend. Martij* 1565. & quaſi ex illa alio charactere hæc verba; *pacta, conuenta ſtatuta omnia in his in quibus decretis Concilij contrariantur, ipſo iure reuocata, caſſata, & annullata, ad ipſius Concilij terminos atque limites redacta ſunt, & eſſe cenſentur.* fidei hîc ſuæ obliuiſcitur Aſterius: nam bulla ipſa de pactis, conuentis nullam facit omninò mentionem, ſed tantùm, *priuilegia*, inquit, *exemptiones, immunitates, facultates, diſpenſationes, conſeruatoria, indulta, confeſſionalia, mare magnum, & alia gratia in his omnibus*, &c. Sed neque Concilium Tridentinum neceſſaria huiuſmodi pacta vſpiam improbauit, imò ſalui conductus dati hæreticis, vt ad Concilium venirent, Concilio inſerti, quàm religiosè ſeruandam fidem addicunt! Enimuerò edictum Jmperatoris 6. *Martij* 1629. promulgatum ſuper reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, tractatum Paſſauienſem ſtabilit, bonorumque Eccleſiaſticorum per illum omiſſorum, aliaſque ſuper his declarationes ex illo naſcentes: & tamen Vrbanus VIII. applaudente S. Conſiſtorio, edictum illud iucundum ſibi ait fuiſſe, & à Conſiſtorio plauſus datos, & optatas pro præmio victorias, & declarationibus ipſis benedixit Breui ad Jmperatorem dato 5. *Maij.* 1629. non id vtique facturus, niſi ex ijs, quas diximus, neceſſitatis circumſtantijs, Jmperatoribus de bonis Eccleſiaſticis omittendis, hæreſive toleranda liceret tranſigere: quæ adeoque pacta ſeruanda eſſent, atque ita tractatio Paſſauienſis, & nunc Pragenſis: quæ ex lege neceſſitatis eſt deſcripta. quam Aſterius *p.* 15. & Jmperatori & Catholicis vocat ignominioſam: vt ſanè foret ſi ex lubitu eſſet compoſita. quare rectiùs Gaſpar Scioppius *in Aſtro inextincto in præfat. in templo*, inquit, *pacis ictum fœdus, in ſe fœdum, pulchrum neceſsitate.* quæ ſi quid affricare Jmperatori poſſe videtur Aſterio, quid cenſet de ijs qui ingeſſere neceſſitatem? eo tractatu Scioppius Jmperatori poteſtatē vindicat ſtatuendi eo edicto de bonis Eccleſiaſticis reſtituendis, ac denique mox *ad finem Aſtri* ſubiungit exemplum d. breuis Vrbani VIII. quod, quia Aſterium in hac omninò controuerſia confundat, lubet hîc verbotenus ſubiungere, *Vrbanus Papa VIII. Chariſsime in Christo fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Frequentia prabes & Principibus exempla virtutum, & Eccleſia argumenta conſolationis, inter gaudia, quorum ferax hoc tempore nobis fuit Germania, mira quidem iucunditate animum noſtrum repleuit nuperum maieſtatis Tua edictum, quo iubentur ſectarij veterem poſſeſsionem dimittere Eccleſiaſticorum bonorum Ordini ſacerdotali, & in quo continentur aliqua declarationes (quibus benedicimus) quarum vi amouentur obſtacula; qua Catholica religionis inſtaurationem hactenus retardarunt. Hac in Conſiſtorio ſecreto à nobis relata libenter audita fuerunt, & meriti plauſus Tua pietati dati ſunt ab Apoſtolico ſenatu, cupiente tam pia liberalitatis pramia eſſe victorias. Hinc nouerit hareſis portas inferi non praualere aduerſus Eccleſiam, quam adeò feliciter propugnant legiones Angelorum, & arma Auſtriaca potentia. Quàm verò arctè Pontificis animum tibi obſtrinxeris, venerabilis Archiepiſcopus Theſſalonicenſis Nuncius noſter luculentius declarabit Maieſtati Tua, cui hanc laudum acceſsionem gratulamur, atque Apoſtolicam benedictionem amantiſsimè impartimur. Datum Roma apud S. Mariam Maiorem ſub annulo piſcatoris die 5. Maij* M. DC. XXIX. *anno Pontificatus noſtri ſexto.*

Poſt hæc gradum facit Aſterius ad ſecundam, quam prætendit, nullitatem ex parte Saxonis. quòd ipſe Proteſtantium Princeps ſuas ſuorumq; vires peſſumdet: quòd tractatio communis eius poteſtatem excedat: quòd ea ſocijs damnoſa ſit & inſidioſa: quòd ex immani ingratitudine & horrenda proditione emanet. His de rebus diſſertando in Ducem plauſtro conglomerat iniuriorum, infamiæ, perfidiæ, periurij, proditionis, &c. immemor legis diuinæ, *Principi populi non maledices*, *Exod.* 6. 22. ſed & cùm Ducem rebellionis inſimulat his etiam verbis. *p.* 18. 19. *tot Ordines ſuarum partium vnius eiuſdemq; cauſa & rebellionis complices ab amneſtia turpiter excludi paſſus eſt, & alibi paſſim*, non meminit Aſterius quarum denique rerum ſit ſocietas? vt prodere ſocios, aut deſerere cenſeri quis iure poſſit? *Si maleficij*, inquit Vlpianus, *ſocietas coita ſit, conſtat nullam eſſe ſocietatem, generaliter enim traditur rerum inhoneſtarum, nullam eſſe ſocietatem l.* 57. *D. pro ſocio, conſonat l.* 52. *in fin. l.* 53. 54. 55. 56. Non neſcit Aſterius nullam delictorum perpetrandorum, continuandorumque poſſe eſſe ſocietatem, aut vinculum: non eſſe obligatorium contra bonos mores præſtitum etiam iuramentum. quis ergo poſſit eſſe nexus continuandæ rebellionis, quem hîc velit Aſterius eſſe cum Proteſtantibus, Suecis, & Francis? Jure liquet omnem armorum ſocietatem, ſupremi Principis iniuſſu, crimen continere maieſtatis, etiam pluribus Frederici Jmp. conſtitutionibus voluminibus iuris inſertis eſſe damnatam: etiam Bullæ Aureæ Caroli IV. §. *deteſtanda* §. *quoties inſuper* §. *eis quoque* alijſque poſteriorum Jmpp. *quas alibi citauimus.* quæ eadem Bulla illius leges non ſeruantes *voce electionis, loco, & dignitate careant*, inquit §. *ſi quis autem Princeps*, eos qui Dominos ſuos inuadunt, feuda & beneficia ſua eo ipſo amittere declarat, §. *in pleriſque.* quæ Bulla ab Aſterio pluries citatur aduerſus Jmperatorem quidem perperam, quia etſi edictum, & lex ſit perpetua, ſubditos ſtringens; tamen ipſe hîc legiſlator legibus ſolutus eſt, tametſi ſemper ſucceſſor priuilegia & conſuetudines bis confirmet, ſemel vt Rex Romanorum, deindè vt Jmperator ibid. legem illam eſſe, & edictum, non contractum, ipſum proœmium, totuſq; textus declarat. Porrò etiam in contractibus iuſtis licitum eſt cuilibet rem ſuam ſeparatim agere, ſocietati renunciare, cùm lubet. §. *manet. Inſtit. de ſoc.* vt nec pactum æternæ valeat *l.* 70. *D. pro ſoc.* ſcilicet quiſque rei ſuæ moderator eſt, & arbiter. quinimò plures vnius debitoris creditores reliquorum cauſæ poſſunt præiudicare. *l.* 7. *in fin.* & 9. 10. *D. de pact.* conuenire quidem eos congruit; ſed ſi qua iuſta cauſa minus id factum fuerit, præſentes etiam abſentium cauſam trahunt. *d. l.* 10. *et* hic

coïre proceres, ritu solemni comitia haberi, per Suecos, aliosque non poterant: quod præfatur tractatus, & *sub finem* eum modum pro exemplo non futurum addicit: sed neque eum tractatum pro lege futurum: nisi postquam ab omnibus Imperij proceribus, aut maiori saltem parte ratus fuerit habitus, & verò *d. l.* 8. cùm etiam pares sunt numero creditores, eorum, qui præcellunt dignitate, habendam rationem declarat: at hîc Principem Protestantium agnoscit Asterius Ducem Saxoniæ, assensere eidem Brandenburgici, Pomerani, Megalopolitani, Lunenburgici, Lanwenburgici Principes, ac Ciuitates passim dignissimæ: vt nihil dicamus de Catholicis, de Prælatis, monasterijs, ordinibus; quibus ex nupero edicto de bonorum restitutione ius iam quæsitum erat redhibendorũ antiquorum Ecclesiæ patrimoniorum, post Passauiensem tractatum ab alijs occupatorum, qui non de lege hac queruntur iam, sed de necessitate, Sed in Catholicorum causa Asterius pisce magis est mutus: non colligit cum his, sed dispergit.

Et verò quid pro socijs stipulari debuit potuitve Saxo quàm communes, quas ipse pateretur, leges? *nec enim*, inquit Asterius *p.* 18. *ex tractatione Pragensi vel dignitas eius adaucta, vel ditia eius honestè amplificata*: rem ergo suam non egit, sed communem. *omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem & vos facite illis. Matth.* 7. quæ potest esse iniquitas si sponte quis eodem iure vtatur, quod in alterum statuit? quæ autem populi Germanici hac de re sit opinio, non tantùm ex ratihabitione mox vbique ferè secuta, sed & nuper apparuit maximè cùm post pugnam Hauelbergensem Suecia passim vexilla circumferrentur, & ex oppidis castrisque non aliud responsum daretur, quàm Pace Pragensi res suas esse compositas: ei se Imperatoriq; adhærere ingrata esse auxilia, quæ aduersus communem pacem prætenderentur.

Nunc verò quod spectat ad exclusos ab amnestia, refert tractatus laborasse admodum Ducem, vt generatim omnibus esset communis: sed & refert, quomodo non omnium causa fuerit communis: non imprimis Palatini, qui non contentus possessionibus auitis, etiam Imperatorias inuaserat: non illorum, qui iterum iterumque in gratiam recepti, tertiò etiam facti sunt perduelles. sed tamen addieit tractatus, si ceruicem inclinauerint, benignitatem Imperatoriam experturos. Rationes singulares sunt Palatini, quòd ob expensas belli partim hæreditarias ditiones oppignorauerit Imperator, partim quòd etiam Lusatiam perpetuo feudi beneficio Saxoni concesserint, partim immensum æs alienum Imperator contraxerit apud amicos principes, vt aliter atque aliter cum his atque illis fuerit negotium transigendum. Neque in fœderibus id esse insolens, docent historiæ: non iniquum; Pax Constantiæ: quæ pro iure libris feudorum subiuncta est. *tit. de pac. Const.* §. *præscriptam*. Denique gratiam facere Imperatoriæ liberalitatis est: at suæ quisque liberalitati, quem vult, modum ponit. vt diuersimodum tota illa pax Constantiæ, summa rerum est redijsse cum Imperatore in gratiam: quidquid peccatum fuerit, clementer abolitum: quidquid pœnæ contractum, remissum: quæstionem quæcumque de maiestate læsa moueri poterat, silere iussam: quidquid offensæ fuit, perpetuâ obliuione esse damnatum: denique Germanica fide addictum, quòd omnes exindè Imperator benignè, omnes Imperatorem reuerenter sint habituri: vt proindè nullis alijs viribus opus sit, quàm aduersus communis pacis hostes. vbi Asterius insigniter secum ipse pugnat, dum hic queritur Saxonem suas suorumque vires pessumdare, & mox nimiam ei ex futuro exercitu Imperiali partem attribui.

Tertiam exindè Asterius commentatur nullitatem ex parte Protestantium, quòd à Saxone incitati bellum Imperatori mouerint, quòd pace Pragensi ad nouum bellum cogantur, quòd Bohemia Austriacis fiat hæreditaria, Silesia priuilegijs minuatur; Lusatia à corpore Bohemico distrahatur, electoratus Palatino auferatur, in Bauarum transferatur; cui nullum ius sit ex antiquo: Habemus hîc iterum fatentem Asterium, quòd Protestantes Imperatori bellum intulerunt: quid porrò refert an sua sponte, an quo suasore? quæcumque vllibi gentium de maiestate sunt leges, indistinctè reos maiestatis habent, qui aduersus Principem suum arma mouerint. & quia Asterius Deplorationem suam consecrat Regi Franciæ, meminisse debebat, quid ea de re Franciæ leges censeant, vetant arma sumi iniussu regio, aut homines in vllam armorum causam cogi, aut coïre: *Ord. Car. VIII. an.* 1483. *Francis. I.* 1532. 1539. 1546. *Franc. II.* 1560. *Car.* 9. 1564. 1566. sub pœna læsæ maiestatis, Reipublicæque turbatæ. vetant omnem tractatum machinationemque contra Regem, ac remp. sub eadem pœna. *Ord. Ludouic. XII.* 1477. omnem associationem, intelligentiam, participationem, ligam offensiuam aut defensiuam cum Principibus, Potentatibus, Rebusp. Communitatibus, in aut extra regnum, directè aut indirectè per se aut per interpositas personas, armorum conscriptionem sine regio permissu, sub pœna reatus maiestatis *Ord. Henr. III. in Conuentu Blesensi*. quæ porrò illa est iustitia, quæ quod domi sacrosanctum facit, foris profanat? & porrò gloriatur Cassanus, vt alibi eum citauimus non alia re magis, quàm fiscali vindicta domanium Francicum esse adauctum: id si æquum est In Gallia, qua iustitiæ mutatione iniquum sit in Germania? Igitur Bohemi, qui bellum Imperatori mouerunt, ipso facto, ipso iure, omnibus ditionibus, feudis, priuilegijs, iuribus exciderunt, meritoque toties rebelles priuilegio electionis regiæ exuti, in ditionem hæreditariam Austriacis cessere: meritò per quæ peccauerunt per hæc eadem puniuntur: mentò priuilegium, quo tam enormiter abusi sunt; amiserunt. vt sicut superbum est socijs subdiissive nihil demeritis illud Pomperanum ad Mamertinos: *non cessabitis nobis gladio accinctis leges, & priuilegia prædicare?* ita sanè in reis maiestatis ex rigore iustitiæ æquissimum. Silesij etiam prærogatiuis minuti, quibus aduersus Regem, aduersus Rempublicam pugnauerant. quod idem in Lusatijs obtineat, vt de antiquis priuilegijs queri

non

non poſſint, quibus Bohemico corpori in perpetuum erant coniuncti. Vt omittamus neceſſitatem, quæ huiuſmodi diſtractiones ſuſtinet. *vt ampliè diximus l. 2.* quodq; non alienati ſunt ſimpliciter, ſed ſub nexu feudali, vt perpetuo Saxoniæ Dux beneficij iure in defenſionem Regni Bohemiæ ſuas vires conferre teneatur, nec minùs Luzatios ſit Rex Bohemiæ defenſurus. Electoratum porrò in alium transferri ex delicto, res nec noua eſt, nec ſine exemplo: patrum memoria, Joannes Fredericus Saxoniæ Dux vidit ipſe captiuus Auguſtæ in foro vinario à Carolo V. in Mauritium Saxonem ſibi ablatum electoratum conferri. ſiquidem in reuerſis ad fiſcum (bona autem reorum maieſtatis ipſo iure reuertuntur) iure liberum eſt Principi arbitrium. quod etiam per Bullam Auream, vt vult Aſterius, non eſt reſtrictum. & licet id verba ſonarent, vt nihil huiuſmodi proponunt, tamen directiua tantùm eſſent Jmperatoris, non obſtrictiua. quoniam Bulla Aurea, vt ſuprà docuimus, edictum atque lex eſt, non contractus; Princeps autem legibus ſolutus eſt. quod eò minùs odioſum hic eſſe debet, quòd Bauari & Palatini agnati ſint, ex eadem familia, cuius vtriuſque ſtirpi electoratus competierit, & variante magis fortuna, quàm iure, apud Palatinos maxime conſederit. quamquam etiam gratia Jmperatoria fortè modum inueniet, quo Palatino, vbi Jmperatori conciliabitur, nihil deceſſerit. cuius cauſam hic amplè perorat Aſterius, ſed nimis iam ſæpè refutatam. vt proindè etiam Aſterius deflectat ad cauſam liberorum; culpam contendat *vnius ex hæredibus feudi: ceteris non præiudicare lib. 2. de feud. tit. 78. & factum fratris fratri in feudo non nocere tit. 93. imò ſi vaſallus culpam adeò enormem commiſerit, vt & ipſi deſcendentes eius feudo priuari debeant, agnatos tamen in quarto gradu ad beneficij poſſeſſionem eſſe reuocandos. lib. 2. tit. 26.* his quidem iuris locis pro agnatis non pro liberis & deſcendentibus Palatini pugnat Aſterius, cui ab eis eo nomine gratiæ non agentur: ſed & meminiſſe debebat Aſterius regulæ communis feudalis, ita diſtinguentis, vt ſi vaſallus in dominum peccauerit, ad ipſum feudum reuertatur: ſin verò ex alijs cauſis feudum amittatur, quamuis ob crimen puta paricidij, aut proditionis aduerſus extraneum commiſſum; non ad Dominum ſed ad agnatos hoc caſu feudum pertineat. *eam tradit Gudelin. de feud. p. 5. c. 4. probatque ex lib. 1. feud. tit. 5. l. 2. l. 24. §. denique l. 37. in princ.* & Bulla aurea Caroli IV. quam Aſterius pro ſe libenter citat, *in §. quoties* in reis maieſtatis filios diſertè excludit, fiſco omnia bona defert: & §. ſequens agit de electoratibus, & magnis feudis non diuidendis, ſed primogenito ceſſuris. quod Aſterius non proba fide trahit extra caſum ſucceſſionis, periudè ac ſi bona ad fiſcum iam deuoluta eodem deberent deferri, cùm §. præcedens excludat primogenitum omneſque alios: & in deuolutis ad fiſcum iam ſit liberum Domini arbitrium. eundemque vſum eſſe Imperij in eiuſdem Joannis Fred. Saxonis poſteris alijſque pridem conſtat. quinimò dum ſuam Diſſertationem ſacrat Regi Franciæ, meminiſſe iterum debebat Aſterius legum Francicarum, quas ſuprà citauimus, vt non tantùm ipſi maieſtatis læſæ rei, ſed & filij, poſteri, agnati bonis omnibus excidant, quæ erant reorum; feudalia licet, & ex prouidentia maiorum profecta: quin & priuatis fidei commiſſorum legibus ſubiecta. *Ord. Franc. I. 1539.* cui etiam ſimilis eſt conſtitutio Sixti V. *contra bannitos.* an probat ergo Aſterius in Francis hæc, in Germanis improbat? an etiam Franciæ Regi, cui improbationem dicat, Franciæ ſuæ leges exprobrat? vt ſanè cauſæ hæ non iure aliquo defendi iam poſſint, ſed pulſandæ tantùm ſint fores Clementiæ Jmperialis.

Quod attinet porrò nunc quòd pace Pragenſi Proteſtantes cogantur ad nouum bellum, quam habet iniquitatem? vtiq; vt arma ſumant aduerſus eos, qui iam communem Jmperio pacem eſſe nolint? cui ditiones, feuda, bona poſſident ab Jmperio, ſi non vt Jmperium tueantur? beneficium datur propter officium. cur Jmperij membra eſſe velint, ſi ad corpus tutandum auxilia nolint conferre? neque ad aliud porrò bellum pace Pragenſi vocantur, quàm ſine quo nec ipſi ſalui, nec tuti eſſe poſſint.

Progreditur tandem Aſterius ad Suecorum nullitatem. quorum comperta iam militiæ politiæque crimina in bellum futurum haud probus prognoſticus Auſtriacis proximè affinxerat. Nullitatis cauſas facit, quòd Sueci ſuo nomine belligerantes, ſuo etiam iure paciſci debeant: quòd Dux Saxoniæ priuato nomine Suecis victrices diras debeat: quòd Sueci fœdera & militiam turpiter deſerere non debeant: nec ſub infida Saxonis cautione cum Auſtriacis paciſci audeant. ſed ex his præmiſſis, vt veræ forent, quo ſillogiſmorum modo aut figura aliqua concludetur nullitas? reſpondeamus tamen ad cauſas. Omiſſis hic iterum iniuriarum ampullis. Sueci ergo quòd ſuo nomine belligerauerint, ſuo etiam iure paciſci debent: quid tum porrò? an ideò Saxo alijque Jmperij Principes difficultates ſuas cum Jmperatore componere non potuerunt? at debuerunt maximè. non infrequentia veterum heroum exempla ſunt, qui vel ſimultates in tempus ſepoſuerunt, vt Rempublicam ſimul curarent (quod etiam iubet Bulla Aurea Caroli IV. §. *ſi qui verò alij*) vel etiam in perpetuum reip. donarunt: Principes ergo Jmperij, qui feuda, ditiones, beneficiaque Jmperij poſſident, dum vident Jmperio bellum inferri, non laudabiliter tantùm Jmperatori auxilia ferunt, ſed & feudali obligatione ad illa tenentur, & pœnis illorum amittendorum obſtringuntur, compoſitis aut ſepoſitis in tempus difficultatibus, & Parium Curiæ iudicio permiſſis. Jgitur Sueci, quatenus gloriantur ſe ſocijs auxiliatum veniſſe, acceſſorij ſunt litis bellicæ, non principales: principales ergo cum Jmperatore rem ſuam tranſigere potuerunt: acceſſorios autem ſequi conuenit conditionem ſuorum principalium: magis digni trahunt ad ſe minùs dignos, vt & fideiuſſor impedimento non eſt, quo minùs principalis debitor cum creditore tranſigat. Hac ergo ex qualitate, non eſt, quòd Sueci querantur: ea ſubducta, quo iure poſſunt queri, ſi Jmperij vaſalli addicant

 Jmperium

Jmperium se defensuros, aduersus bellum ab externo Rege, priuato nomine illatum? an vasalli Suecici non ita teneantur? & porrò pax Pragensis omnes omninò exteros Principes amicè complectitur, qui iuxta eam pacem amici esse volent: adeoque occupata socialium armorum prætextu, aut aliàs loca restituere: sin autè hostiliter pergant detinere; non iam ijs bellum indicit, sed quod ita ipsimet, vt diximus, sibi indixerunt, fortiter potenterque gerendum declarat. quòd si nunc Sueci, vt hostes, priuato iure, cum Jmperatore pacisci velint, dummodo alieno abstineant, & Jmperio excedant, vt de Pyrrho diximus, pacem tractare poterunt, vlterioribus cæremonijs. nam non tractatum accipere, sed tractare ipsos vult Asterius. At fœdera & militiam turpiter deserere non possunt: verùm dignior maiorque pars sociorum, bello repudium misit, sibi cæterisque æquas pacis leges pacta: cessant igitur fœdera, nam eorum, qui æquis conditionibus pacisci nolunt, vt deinceps iniusta sunt bella, ita & fœdera. sed neque *militia deseri potest nisi solutis*, inquit, *p.* 45. *stipendijs*: esto an ideò transigi non potest? si Sueci priuato nomine belligerarunt, eodem soluant stipendia.

Sed sub infida Saxonis cautione cum Austriacis Sueci pacisci non audent: cur ausi sunt fœdera cum eodem Saxone inire? sine illo bellum priuato nomine Jmperatori inferre? quod olim in Borussia aquilas Romanas in exercitu Polonorum auxiliares vidissent: tametsi iam cum Polonis induciæ essent contractæ, quæ adeoque omnes auxiliares complecterentur, traijciant in Sueciam, qua via venerunt, excedant Imperio: tum pacem tractent, ne eos vltrices aquilæ vltra mare Balticum prosequantur. neque enim quod bellum ex pace Pragensi pactum est, alias vindictæ leges complectitur, quàm vt pax vniuersalis per Jmperium obtineatur, arma externa foras propellentur. quæ hîc cautio non sufficiat? imò quæ vllatenus requiratur? adsit modò animus pacis appetens; absit sinister affectus, & maledicentia, qua tota hæc Succorum nullitas circumfluit: & diras potiùs vltrices meretur, quàm Dux Saxoniæ Suecis debeat.

Tandem peruenit Asterius ad coronidem nullitatum ex parte Francorum, quòd Rex Franciæ in Germania fidem Catholicam conseruarit: quòd Protectio Principum & Ordinum Jmperij Regi Francorum crimini dari non potest: quòd Treuirorum Elector iustè & opportunè Francorum protectionem obtinuerit: quòd Cæsar lites priuatas Hispanorum cum Francis toti Jmperio communes facere conetur: quòd Jmperatorem causa Lotharingica nihil attineat. Omittam desiderari iterum hîc syllogismi rationem: inspiciamus tantùm causas. quòd Rex Franciæ in imperio seruarit fidem Catholicam: scilicet id testatur fuga tot Episcoporum, tot millium sacerdotum, monachorumque exilia, tot sanctimonialium stupra, tot templa euersa, tot Ecclesiæ ministris viduatæ, pudet tædetque sub sole meridiano cum his vmbris pugnare. *Igitur protectio*, inquit, *Principum & Ordinum Imperij Regi Francorum crimini dari non potest*: de fœderibus & protectione suprà satis diximus *l.* 3. *c.* 13. 17. nunc quoniam Asterius ea Regi Francorum crimini posse dari negat, velim iterum illum meminisse legum Francicarum, quas mox citauimus, quibus non offensiua tantùm fœdera, sed & defensiua denunciantur crimen continere læsæ maiestatis, rebellionis, perduellionis.

Jtáne apud Francos & populos, vt ait Asterius *p.* 47. *ipsa nominis notatione libertatem spirantes*, ea iuris est iustitiæque ratio, & apud Germanos hæc crimini dari non possunt? quo iure apud liberos Francos hæc capitis, fortunarumque pœnis coercita, apud Germanos sint permissa, atque laudata? qua illa iuris regula conueniunt, quo vsu vel abusu vocabulorum discrepant, vt quod liberis Francis *rebellio*, Germanis dicatur *libertas*? non ea sanè est iustitia, quæ non est constans, non vniformis, improba est nuncupatio; vt quòd domi crimen sit, foris virtus vocetur: vt, quòd apud suos ius statuit, apud alios vti nolit: Rex ergo Francorum, si in Regno suo omnem exteram protectionem, fœderationemq; etiam defensiuam, pro crimine habet maiestatis, cur id in Imperio crimini dari non posse existimet Asterius? aduersus Christi Regulam: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Succedit tertiò Præsul Treuirensis iustè & opportunè vt vult protectus. ea de re satis diximus *suprà hoc lib. c.* 12. *& seqq.* sed cur Asterio videtur opus fuisse clientela, & protectione militari, si sola commendatione amica Præsulem poterat Rex Franciæ seruare? vt proximè ait Asterius in Jmperio fidem Catholicam seruasse, literis solis commendatitijs, vel amica postulatione?

De litibus Hispanorum cum Francis in Pace Pragensi nulla mentio, non aliud Cæsar atque Saxo egerunt, quàm vt pax Jmperio restituatur, externi eliminentur: id præstitum cùm erit, ac Jmperij, si non subditus, saltem socius Dux Lotharingiæ restitutus, cessat pactio communium armorum: non vlteriùs progreditur tenor Pacis Pragensis, vberiorem dumtaxat interpretationem Asterio peperit aduersus Hispanos animi amaritudo, quæ fel ei, bilemque nimis mouet.

Terga claudit causa Lotharingica. eam repetit ab anno 980. sed de huiusmodi antiquis titulis, per tot sæcula nunc antiquatis, satis diximus *lib.* 1. Cassanus *l.* 2. *c.* 3. *p.* 72. fatetur Lotharingiam ab an. 957. feudatariam esse Jmperij; Carolo per Othonem Jmperatorem inuestito, *depuis le quel temps*, inquit, *les Ducs de Loraine se sont aduoues des Empereurs, & leur ont rendu leurs homages.* & quoniam Asterio lubuit mentionem facere copularum clandestinarum, meminisse debebat vel ipsum Parlamentum Parisiense, postquam earum nomine Ducem, pro dictamine Genij Lotharingis infensi, damnasset, bonaque à Corona Galliæ possessa ad illam reuersa, vnita, & incorporata declarasset, desultasse in gradum partium, Regique supplicasse, vt quoad terras extra Galliam sitas, Lotharingiam vtique, armis sibi ius diceret: ineptè sanè, nisi agnouisset Lotharingiam extra sphæram nunc esse Franciæ: ineptè iterum, nisi pro principe supremo Lotharingum

ringum habuiſſet: nam alioquin vaſallum armis impetere iure non licet, niſi Dominus eius fuerit interpellatus. *Cauſa Lotharingica ad Imperatorem*, inquit Aſterius, *nihil attinet*, ſed, vt de Lotharingia non amplius diſſeremus, Dux Lotharingiæ ſocius erat, & fœderatus aduerſus Suecum, vti communem hoſtem: ea res ſcilicet Francos peſſimè habuit, cætera in huius vindictam commentati ſunt: & iam proximè Aſterius tam magnificè de Suecis diſſertauerat, quòd fœdera turpiter deſerere non poſſent, quomodo nunc ergo cauſa fœderati Ducis ab eo dici poteſt ad Jmperatorem nihil pertinere? quomodo deſerere eum poteſt honeſtè Jmperator, cùm ob cauſam quaſi deſertorum ſociorum Aſterius Saxonem vocet perfidum, periurum, proditorem? quibus ille tamen ſtipulatus fuerit pacis conditiones eaſdem, quas ſibi? Pacis, inquam, conditiones: vtpotè quæ de Religione, de bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutione, ſimilibuſque communibus negotijs agunt. nam quòd Saxoni Luſatia, prius pro impenſis oppignorata, nunc in feudum ſit conceſſa, quæ eſt inuidia? ſi Jmperatoris & Saxonis rebus ita expedire viſum fuerit, nulli ſociorum noceatur? quòd filio eius datus ſit Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, rato manente pacto communi de Religione, quis itidem inuideat? cùm maximè paternis armis aduerſus Suecum vindicandus ſit? præterquam quod & Brandenburgico; Pomeranis, Megalopolitaniſque Principibus conditiones vtiles obtinuerit, nulli nociuas, omnibus gratiam pacemque impetrarit, paucis exceptis; quorum, vt diximus, cauſa cum Saxone non eſt communis.

Ex his, quæ diximus, liquet, quàm iniquam comparationem faciat Epiſtola *Germani Illuſtris*, quamuis etiam nomine in obſcuro eſt, ad ſimilem Germanum data Lutetiæ ad Kalend. quintiles 1636. inter Pacem hanc Pragenſem, & pacem Antalcidæ; quam ait vocatam ab auctore, quòd Orator is atque internuntius inter Regem Perſarum ac Lacedemonios eam compoſuerit. pacem vocat atque à veteribus vocatam ait, & vult Pragenſi eſſe ſimillimam, in eoque tota epiſtola conſumitur: indignatur tamen Pragenſem vocari pacem, & non tranſactionem tantum inter duos, reſtrictiùs etiam Deploratione Aſterij, quæ ſaltem triumuiralem facit. igitur & pax vocari, vſu etiam vetere atque gentium iure, iniri, more etiam vetere pax poteſt inter duos; tametſi alter habuerit plures belli ſocios. *à pactione pacis nomen appellatum eſt*, inquit Vlpianus *l. 1. D. de pact.* & eſt *pactio duorum pluriumve in idem placitum conſenſus*, ita Vlpianus, an, quæ toties inter Hiſpanos ſolos Galloſque coaluit, pax non fuit?

Porrò iniquitas comparationis in eo conſiſtit, quod Lacedæmonij, alijque Græci, belli eiuſdem ſocij, liberi vndique, nec inuicem debebant quidquam, nec alteri. vnde quod Lacedæmonij, cum Rege Perſarum pacti, arma verterint in ſocios, qui pacem illam non amplecterentur, non immeritò ſocijs ſuſpectum, nec iuſtum ſatis videri poterat: quod veteri ſociorum amicitiæ nouam prætuliſſet: contra quam veteri pacis ac belli iure vſitatum docuimus *ſuprà lib. 3. c. 17.* At contrà verò Pax Pragenſis eſt inter Jmperatorem & Jmperij ſubditos, qui ditionum bonorumque cauſa Jmperij vaſalli ſunt, qui ſacramento Jmperatori tenentur Jmperijque conſeruationi ſe debent, atque fortunas omnes: quare ſublato, quod inter illos atque Jmperatorem fuit diſſidio, ſacramentum quod Jmperatori Jmperioque præſtitum fuerat, obligat vniuerſos ad Jmperij tutelam, aduerſus exteros, & nuper ſocios, vt conciliationi æquiſque conditionibus pacis ſe accommodent. vt mox docuimus *ex Pace Conſtantiæ libris iuris noſtri inſerta* ſolere pro iure vſurpari. quare & rogatum velim Jlluſtrem Germanum qui peregrinando ſcita moreſque multarum gentium didicerit, & etiamnum Lutetiæ Pariſiorum moretur, vbinam gentium repererit vaſallos, Principi ſuo conciliatos, non itidem ex vetere vinculo arma pro ſuo Principe induiſſe, tum aduerſus exteros, tum aduerſus nuper ſocios? an non Lutetiæ didicerit ita accidiſſe ſub Henrico IV. nunc his nunc illis ex liga diſſilientibus? qui etiam Ludouico XIII. conciliati ſunt ſingulatim, armáne deinceps tulerunt pro ſocijs an pro Rege? cur ita? ſacramenti ratio bonorumque eos obſtringebat. cur ergo quod Germanus iam Lutetiæ probat, Pragæ improbat? an cælo mutato animum Germanicum exuerit, an ſub clypeo Germani Francus pugnet?

Sed inquit, *Mars maior ſub Pace latet, ſub nomine pacis bellum cruentiſſimum*: ſed ea de re iam reſpondimus Aſterio: id in ſolutum accipiat Jlluſtris Germanus: qui & prognoſticum ſe facit non ex aſtrorum diſſidio aliquo, vel congreſſu; ſed ex ſuorum affectuum perturbatione: ea camarina pridem fœtet: non lubet ampliùs mouere: quòd ſi non ex paſſionibus ſed ex legibus prognoſtica iudicia ſumere voluiſſet, vt leges ex præteritis de futuris præſumunt, aſpectum illum ſolarem conſtanter debuiſſet intueri, in quo conſpicitur quòd Auſtriaci ab annis centum nihil noui conquiſierint præter legitimam inueſtituram Mediolanenſem, & ſucceſſionem Luſitanicam, de quibus ſuprà egimus: Franci autem armis etiam ſæculis duobus vltimis quàm plurima. quare actiones Auſtriacas ita interpretari oportet, vt pacificas eſſe velint omnium poſſeſſiones, cuique ſuum manere, Cæſari etiam quod Cæſaris eſt: Francos autem omni ex cauſa rem ſuam facere, pomeria ſua, philacteriaque dilatare velle; Germanicam libertatem prætendere, aſia alibi, negotium ſuum in alieno agere, ſibi dominationem quærere. vt nondum anni centum ſunt, cùm pignora accepta ſunt Germanicæ libertatis Metis, Tullum Verdunum: at pilúſne ibi vnus ſupereſt Germanicæ libertatis? ne idem alia Jmperij membra detrimentum nunc capiant, fatebimur maiorem martem ſub hac pace latere; (quamquam non latere ſed manifeſtè proponi) qui exteros cogat ex Jmperio exeſſe; quo rodere illud tandem deſinant aliquando.

Redeamus ergo ad Pacem Pragenſem: per eam res, ſi non vt vota, ſaltem quantum tempora tulerunt, conſtituuntur, quæſtio de religione ſopitur, controuerſia de bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutione in præſens extinguitur; ad pacificum

ficum examen remittitur, quod intra proximum decennium fiet amicè, &, si quid conuenire poterit, id obseruabitur: sin minùs huius fœderis pacta ad annos 40. neque post illos armis sed legibus, & iudicijs agetur: bonorum immobilium ab aduentu Sueci interuersorum vndique fiet restitutio: Cæsari honor, supremitas, obedientia, subditis omnis beneuolentia: omnium præteritorum obliuione vtrimque indicta: etiam ijs, qui pauci quidem extra communem causam peccarunt, & ab amnestia sunt exclusi, quorum syllabus Saxoni est datus, fores Cesareæ clementiæ, si eam interpellauerint, patebunt. quippè tam Austriaco Romanum est parcere subiectis, quàm debellare superbos. Restituitur pacem amplexuris tranquillitas, libertas, securitas: arma sumi in Jmperio vetantur, nisi aduersus pacem turbantes: Jmperator vt secundùm Jmperij constitutiones compescat consulitur, ligæ, vniones, fœdera tolluntur: nisi ab Jmperatore confirmata: disciplina militaris bello aduersus exteros, pacisve aduersarios gerenda, stabilietur: iudicia Aulici & Cameralis iudicij, si quid habent imperfectionis, noua instructione reformabuntur. quanti saliunt ex hac origine bonorum fontes! quantus commodorum cumulus! vt rectè dicatur pax Hebræis significare omnium bonorum copiam. potéstne vir quispiam bonus esse, qui hæc Germanis inuideat, aut interuertat? atque hæc omnia inuicem adpromittuntur fide bona, atque Germanicâ. & omnimodam nacta sunt securitatem ex felici electione Germanico-Romani Regis, qui pacis executioni beneuolam & potentem admouebit manum: & certus in Jmperium successor aduersantium, cunctantiumque consilia dispellet. Vnicum quod superest, cauillisque impetitur, aduersus pacis aduersarios bellum, ex fine suo pacificum est. *non in inferenda*, inquit Ambrosius, *sed in depellenda iniuria lex virtutis est. c. non in* 23. *q.* 3. item Augustinus, *apud veros*, inquit, *Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur.* & iterum, *quisquis vel quod potest arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo, excludit: vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest. æquitate improbat, firmitate supportat; hic est pacificus. c. quisquis* 23. *q.* 4. quam rectè hæc Augustini sententia Paci Pragensi conuenit, atque Jmperatori! sed velim Asterium legere, quod ibidem sequitur, *quomodo*, inquit, *Permenianus incorruptus poterit permanere, qui corruptis sociatur?* cum responso eiusdem Augustini: *quod sequitur in c. ita planè ibid.* & conferre cum actionibus Francorum, æstimareque an sint incorruptæ. Sed redeamus ad pacem, quam ex hac Pragensi speramus, vniuersalem. ad quam nescio, quo diuino motu, quo felicioris astri ductu tentandam, tractandam, pangendam, quod benè vertat Deus; Comitia Coloniam indicta sunt. quò iam deuenit Eminentissimus Cardinalis Ginettus Legatus à latere Pontificis, vicarij illius, quem Iano clauso, atque orbi vniuerso pace ab Augusto data, natum in cunis Bethlemicis adorarunt Reges illi magi, quorum exuuiæ Coloniæ quiescunt, ac rege Regum, qui prænunciatus erat pacificus, salutato, non redierunt Jerosolymam ad vulpem versipellem, oraculo moniti in somnis. talibus enim Rex ille pacificus non venit pacem mittere. sed gladium: eiusq; Angelici præcones vniuersalem quidem annunciant, in terra pacem hominibus; sed addunt, bonæ voluntatis. Sed quoniam Ratiocinator, Asterius, & Germanus Jllustris tam malè de proposito Austriacorum, atque Hispanorum semper, ac fine Pacis Pragensis augurantur, atque illi Magi spectandorum syderum arte pollebant, cùm hic mortalibus nebulis adhuc impedirentur, nunc autem mortalium ænigmata in speculo diuino perspicuè cognoscunt, rogabimus eos vt piæ causæ pacis, sint propitij; vt illis faueant, qui pura mente, propositoque intaminato illam desiderant; ijs porrò omnimodò aduertentur; qui seciora consilia volunt: seu, vt per aliam ipsi ab Angelo moniti viam reuersi sunt in regionem suam, sic omnes qui sinistram intentionem in pacis negotio habent, ita per bonos genios obtineant percelli, vt in viam veritatis, iustitiæ, atque pacis reuertantur: denique vt ipsi concordi inter se animo Regem pacificum stellæ ductu venerunt adoratum, Domino exercituum, Deo pacis, Deo Veritatis concordia munera obtulerunt, ita nunc Regibus Christianis concordiam, pacemque per Europam, quin & orbem Christianum, vniuersalem obtineant ab adorato olim Puero, cui nunc genua curuari vident cælestium, terrestrium, & infernorum, tremebundaque inclinari astra matutina simul & vespertina.

---

## CAPUT XXIII.

### *De manduci famis caninæ remedijs medico-politicis.*

PEregimus nunc quod Decretalis Jnnocentij III. suprà proposita inquirit postremò, & demonstrauimus Regis Franciæ nullam competere legitimam exceptionem aduersus denunciationem Regis Hispaniarum, quod peccet in ipsum. Superest ergo vt Ecclesia adiurata Veruinianæ pacis fœdera redintegranda medijs remedijsque illis vtatur quæ Reip. Christianæ expedierint maximè. & Dominum pacis obtestemur, vt inspiret benè summo Pontifici, Jmperatori, Regibus, Principibus, Legatis, dirigatque in viam pacis; dissipet gentes quæ bella volunt. *Psal.* 76. & qui loquuntur pacem cum proximo suo mala autem in cordibus eorum. *Psal.* 27. quod interim dum deuota animi intentione agimus: Reuertamur ad manducum Hiatumque Jacubi Cassani Regij Consiliarij, videamusque quæ fami illius caninæ curandæ remedia physici mediciue præscribant, vt ijs Manducus receptis, Deo ac natura benè vertente, redacta ad iustos numeri, ponderis, & mensuræ terminos valetudinis recuperandæ ratione, ab ambitiosa totius Europæ fame conualescat, Regique suo iusta, æqua, moderata suadeat.

Prima curationis omnis pars est, morbi notitia. ſciendum igitur est bulimum, phagedænam, & caninam appetentiam, cauſam habere nimium frigus externum, quod ſtomachum malè afficiat: manduci noſtri morbus cauſam accipit à frigore defectiuæ charitatis, quæ in flamma & igne S. Spiritus nutritur: de qua quotidiè Eccleſia cantat: *flammeſcat igne charitas, accendat ardor proximos*. & *in actibus Apoſt. cap.* 2. die Pentecoſtes *factus est de cælo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & apparuerunt diſpertita lingua tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum & repleti ſunt diſcipuli Spiritu Sancto*: & S. Gregorius *Homilia* 30. *in Euangel. fere*, inquit, *apparentibus linguis igneis, intus facta ſunt corda flammantia, quia dum Deum in ignis viſione ſuſceperunt, per amorem ſuauiter arſerunt*: ipſe namque Spiritus Sanctus amor est, vnde *epiſt.* 1. *Ioan. c.* 4. *Deus charitas eſt*: de ſpiritu ſuo dedit nobis. De igne ergo illo cæleſti, & calore charitatis: ea ſi refrigeretur, ſubnaſcitur bulimus ac phagedæna. *ſicut frigidam fecit*, inquit Jeremias *cap.* 6. *ciſterna aquam ſuam*, ſic Jeruſalem, *frigidam fecit malitiam ſuam*: & *Pſalm.* 147. *ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit*? ex aduerſo inter encomia mulieris fortis *Prou. c.*31. facit illud, *non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis*: in beata Jeruſalem non erit, Meum ac Tuum, inquit. D. Chryſ. in Orat. de Philog. tom. 3. *frigidum illud verbum & quidquid eſt malorum in vitam noſtram inuehens, innumeraq; gignens bella*. vti & Diuus Jacobus *in epiſt. Cathol. c.* 4. *vnde bella & lites in vobis? nónne hinc ex concupiſcentijs veſtris, qua militant in membris veſtris? concupiſcitis & non habetis. occiditis, & zelatis, & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis, & non habetis*. Concupiſcentiæ porrò cauſa eſt antitheſis charitatis. Hæc ſiquidem Deum toto corde diligit, proximum ſicut ſe ipſum, alieno abſtinet, ſuum cuique tribuit, non eſt ambitioſa, non Jmperia, non regna, non orbis fines ambit, non æmulatur, non inuidet, non cogitat malum, non alios æſtimat ad vniuerſalem tendere monarchiam, non quærit, quæ ſua ſunt, quantò minùs aliena? has charitati notas tribuit D. Paulus 1. *Cor. c.* 13. & addit, *ſi charitatem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*: nihil præter ſonnitum tinnitumque, vnde *exoritur clamorque virum, clangorq; tubarum*.

Jgitur frigus vt bulimum ita defectus charitatis ambitionem, & inſatiabilem Jmperiorum cupiditatem progignit: ſtomachum nimis illud, hic animum refrigerat & exſiccat: illò nimia cibi potuſque appetentia: ex hoc ambitio, lites, bella, dominandi cupido, infrugifer animus operum charitatiuorum, iuſtitiæque: rectè ſiquidem ille: *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis*: & Chriſtus, *qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit*. eùm ex aduerſo *fructus iuſtitia*, inquit D. Jacobus *d. ep. c.*3. *in pace ſeminatur, facientibus pacem*: & inter beatitates S. Jeruſalem, Deus *poſuit fines illius pacem; & adipe frumenti ſatiat illam. d. Pſalm.* 147. non enim eſt *diſſenſionis Deus, ſed pacis* 1. *Corinth cap.* 14.

Quoniam ergo contraria contrarijs ſunt curanda: vniuerſalis curatio bulimi conſiſtit in calefacientibus & humectantibus: ex tabulis charitatis vniuerſa lex pendet & prophetæ: calore charitatis ſi animi impleantur, omnis ægritudo pelletur: ſi quis biberit ex aqua, quam dat Chriſtus, *non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aqua ſalientis in vitam æternam. Ioan.*4. eo ſi conſiliarij potu vtantur, Regi inſtillabunt Chriſti ſermonem, Chriſti charitatem, Chriſti pacem.

Jterum alimentis boni ſucci, quæ facilè coquantur, & diſtribuantur, opus eſt: ambitio curanda eſt ita, vt poſſeſſio nulla ſit, cuius iniuſtitia ſcrupulum faciat; ne quis in conſcientia ſit vermis, qui animæ tormentum faciat, qui excedat fructus bonorum operum: vt in huiuſmodi morboſis ſæpè in ſtomacho vermis inuenitur, qui chylum depaſcitur, nutrimentum abſumit, perpetuò famelicum facit. Manduci ergo noſtri Regi conſulant, vt ſua alijs Principibus dimittat, alieno abſtineat.

Jnſuper id genus ægri ſæpè vino reficiendi ſunt: vino vtique Samaritani: quod mordet quidem, ſed pus abſtergit, præcauet putrefactionem ambitioſis ergo Principibus ſæpè vinum iuſtitiæ, & charitatis eſt porrigendum: ſæpè inculcandum: quid ex regulis iuſtitiæ non liceat, quid ex charitate debeatur: non palpandi reges ſunt, ſed veritas perpetuò, & ſi mordax, ingerenda eſt: perpetuum illorum malum deflendum eſt, quod in omnium rerum affluentia deſit, qui verum dicat, qui Samaritani vinum præbeat: inde pus, inde morbi, inde mortes æternæ Regum illorumque, qui veritatem regibus dicere tenentur, vt confeſſarij, conſiliarijque, vt medici etiam periculi mortis ægrum mouere tenentur, ab ingreſſu Eccleſiæ ipſi aliàs arcendi, vt ægri medicos animarum vocent. *c. cùm infirmitas. X. de pænit. & remiſſ.* quod & arctiùs mandauit Pius V. ſtatuens, vt ægros poſt tertiam vicem deſerant, niſi paruerint, ſi ita confeſſarij, conſiliarijque ex vero facerent, quid non de Regibus eſſet ſperandum?

Ad hæc bonis etiam odoribus, aromatibuſque ſpiritus huiuſmodi ægrorum iuuandi ſunt: bonus odor, bona fama eſt, *Chriſti*, inquit Apoſtol. 2. *Cor.* 2. *bonus odor ſumus*: ſic *Eccleſ. c.* 99. dicitur *memoria Ioſia in compoſitionem odoris facta, opus pigmentarij: in omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria*; ſpirant hæc, balſamum, mella, aromata, fragantia vnguentis optimis: quippè vt odores nares delectant, ita narratio rerum à Regibus rectè geſtarum aures animumque. pergit Eccleſiaſticus ad cauſam comparationis: *Ipſe eſt directus diuinitus in pænitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis*: reſpicitque ad vaticinium in *l.* 3. *Reg. c.*13. & impletum *l.* 4. *Reg. c.*14. vaticinium autem hoc erat; *ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente, & exclamauit contra altare in ſermone Domini, & ait: altare, altare, hac dicit Dominus: ecce filius naſcetur domui Dauid Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt: & oſſa hominum ſuper te incendet*. ecce bonus odor in tollendis abominationibus ſacerdotibus Excelſorum,

rollendis abominationibus sacerdotibus excelsorum, & pænitentia gentis: Regum ergo consiliarij illos seriò commonefaciant, vt ad morem Josiæ, bonus odor sint, abominandas hæreses, earumque seminatores extirpent, in pænitentia gentis sanam doctrinam stabiliant.

Denique iustitiæ symbolum est palma: *iustus vt palma florebit, Psalm. 91.* palma fructum reddit pari omninò cum folijs pondere, quæ nota est æquilibrij iustitiæ, incorrupta est, ac senij nescia, ponderibus resistit: vt eas tesseras hieroglyphicas iustitiæ exposuimus *in Iud. l. 1. c. 9. num. 7.* at hic dactyli, palmæ fructus, bulimo curando proficiunt: ambitiosa ergo appetentia iustitiæ medicamine est curanda, quæ neminem lædit, alieno abstinet.

Præterea bulimus vomitu curandus est, ex stomacho vt è spongia peccans humor educendus: ita oportet, si qua iniustè occupentur, iustè restituantur.

Nec minùs frigida omnia sunt vitanda istiusmodi ægris: ambitiosis autem quidquid facit ad minuendam charitatem, ignemque sancti amoris refrigerandum.

Ad extremum stomachus illis est oleo fouendus: ambitiosis autem oleo Samaritani: calefacit illud animum, & coagulat vulnera charitatis.

Monent denique Medici negligentiam curationis periculum comitari dysenteriæ, hydropes, aliorumve incurabilium malorum: ambitiosorum, nisi iniusta appetentia curetur, tendit ad mortem illam, *vbi erat æternum frigus, & gelu Zachar. c. 14.*

Quod si præscriptio Medici æger diligenter obediens valetudinem recuperauerit, cauere iam debet anxiè ab omnibus causis bulimi iam curati, ne recidiuus incurrat periculum grauius: ambitiosis porrò illud Christi seruare, *vade & iam amplius noli peccare*: perindè atque si dixisset recede à veteris moribus, & noli in veterem redire animi ægritudinem, diætam ergo curatus æger congruam deinceps seruabit: ambitiosus non alieno tantùm abstinebit, sed etiam in suo moderatè versabitur, cogitabitque seriò & prudenter an expediat etiam iustum intra terminos coërcere Jmperium. de quo deliberasse & successoribus consultationem iniunxisse constat Augustum, aliosque prudentissimos Principes. *vt tetigimus suprà l. 2. c. 14. & in Iud. l. 4. c. 19. num. 14.* constat sanè Venetos, cùm Pisanam Remp. euersum irent, Julij II. temporibus, non tantùm spe frustratos fuisse, sed in præsens periculum adductos amittendæ Regi suæ; eò conspirantibus vndique Regibus, atque Principibus, quòd Jtaliæ Jmperium affectare eos conijcerent. quid æquè Caroli V. pios aduersus Turcam conatus retardauit, quàm Francisci I. aliorumque Regum Galliæ, odia, & prædicata ab illis opinio apud Jtalos, Germanosque, quòd Monarchiam Europæam affectaret? qui etsi Jmperium fratri, nec præter auitas ditiones filio præter Mediolanum quidquam reliquisset, nec potuit tamen filius eandem calumniam euitare, tametsi paternis hæredijs præter Lusitaniam successionem consanguinea delatam, nihil adiecerit, & de suo nonnullibi amiserit.

Jtaque manduco nostro curandum precandumque est vt absit à maledictione *Psalmi 58. famem patienter vt canes*, & præscindenda est totius Europæ appetentia non tantùm, sed etiam opus est Regi suo consulat potiùs cogitare de coërcendo intra iustos terminos Jmperio: vt etiamsi probabili causa extra notos fines vindicari quidpiam possit, non sit ingerenda hominibus monarchiæ appetentiæ opinio, & regnorum in statum minuendi periculum deducendum: inculcandumque illud Ecclesiastici *c. 31. vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne, cùm manducas multum odio habearis.* & illud *D. Pauli ad Rom. 14. noli propter escam destruere opus Dei, malum est homini qui per offendiculum manducat*: vt etiam ita non liceat, quod aliàs licet, manducare.

Sed & illud seruandæ valetudinis præceptum est, vt homines ijs cibis vtantur, qui cùm cuiusque natura symbolizant, adeoque faciliùs coquantur, & in substantiam alentis vertantur, accretionemque faciant: manduco itaque nostro, & hoc obseruandum est, vt stylum mutet, abstineatque à dyssymbolis regionibus, ab illiquidis vindicationibus, à cibis vetustate corruptis, impossibilisque digestionis, carie consumptis titulis, Caroliique Magni membranis in tot frusta, stipites, lineas discissis; recentibus, liquidisque dominatuum iuribus vtatur.

---

## CAPUT XXIV.

### *Manduci cornu-copia Imperium Constantinopolitanum.*

PAulò laxiorem dissertationem requirit vltimum hoc bulimi remedium. Refert Cassanus ipse *lib. 1. c. 5. p. 262.* Carolum VIII. Franciæ Regem ab Alexandro VI. Romæ renunciatum, coronatumque Jmperatorem Constantinopolitanum: ac deindè Neapolim ingressum habitu Jmperiali, triumphalique, arma tulisse in Jtaliam generoso gloriæ desiderio, ad ineundam possessionem regnorum Siculorum, aliorumque regnorum coronas adipiscendas. Bzouius tamen *in Annal. Eccles. ad annum Christi 1495.* postulata Regis Caroli refert, atque inter cætera, vt illum Pontifex Jmperatorem Constantinopolitanum renuntiaret, acquirendoq; illi Jmperio Zelimum Baiazetis fratrem, qui Romæ in libera custodia seruabatur, comitem & auspicem belli in Turcas sibi donaret: *circa Idus Ianuar.* inquit Bzouius, *fœderis tabula conscripta, in quibus omnia præter diploma regni Neapolitani Carolo concessa*: quamquam Cassano libuerit scribere inuestituram etiam regni Neapolitani fuisse ab Alexandro datam, addit & Bzouius Legatum Ferdinandi Catholici Carolo denunciasse, non ideò percussum cum eo fœdus, vt omnium Principum in Jtalia sedes turbaret, Resque publicas euerteret, ita porrò si pergeret, Ferdinandum liberata fide suis viribus & copijs in eam partem se daturum, quam æquio-

rem

rem iudicabit: hæc dixit, *ac ſimul*, inquit Bzouius, *coram Rege & proceribus, qui in conuentu aderant, initi anteà fœderis tabulas vtriuſque Regis manu ſcriptas, & ſignis ſignatas lacerauit*. audax facinus quòd ſi Carolus vetera non turbaſſet, ſed ad Conſtantini Magni Sedem tantùm aſpiraſſet, inuidente impediente ve nemine, poterat glorioſum bellum ſuſcipere, Jmperium ampliſſimum, triumphos, ac nomen ſempiternum exſpectare. quid nunc opus manduco noſtro vetera membranarum Caroli Magni fragmenta conſectari, cibos quærere ſitu obſitos? facit Caſſanus Ludouicum XIII. hæredem Caroli VIII. cur non vocat ad cernendam hæreditatem Conſtantini Magni, ad cibum recentem, cibum ſymbolum, non controuerſi Juris, adeoque benignæ decoctionis? præterquam quod Galli gloriari etiam ſolent, non paucos ex Græcis originem olim traxiſſe, genijs ſaltem ingenijſque ſimiles eſſe, cur illam Jmperij Romani in Græcia, Aſia, Africaque amplitudinem, non ambit, non deprædicat, non eò myſterium conſilij ſui vertit? ſi toties placet à Carolo Magno, cui minor veteris Romani Jmperij ad Occidentem portio obtigit, res geſtas laudare? *imitari*, inquit ille, *non pigeat, quod celebrare delectat*. cur hæredem Ludouicum XIII. à cohæredibus Caroli Magni inquietandis non auocat, & ad exemplum Caroli Magni ad barbaras nationes Jmperio ſubiugandas non prouocat? cur non manu ducit ad Magni Conſtantini prætoria, ſceptra, Jmperia, quæ eo iure maioriq̀ue ita nuper conceſſa ſunt, quo olim Carolo Magno Jmperium Occidentis? de cuius tranſlatione tres libros ſcripſit Bellarminus, boni omnes probarunt, etiam toties Caſſanus? *præſertim lib. 2. cap. 1.* veterum Jmperatorum Conſtantinopolitanorum hæredes, ne quidem Balduini Comitis Flandriæ, ſacris quondam armis Conſtantinopolim expugnantis, petitionem illius hæreditatis inſtituent: boni ergò ſucci erit, alimenti ſymboli, accretionis immenſæ: cur manducus noſter Regi ſuo tantùm Jouis incrementum non prædicat? ex quo & fidei Orthodoxæ propagatio, & Rei Chriſtianiſſimæ extenſio ſperari poterit; tantaque pomeria, terris, vt volunt, Salicis, accreſcere, tot diademata Coronæ Franciæ vniri? & Carolus quidem VIII. propoſitum Jmperij Orientis publicè oſtentabat, adeò vt Epiro, Macedoniæque tantus terror illatus ſit, vt plures oppida deſererent, & Græci in ſpem recuperandæ libertatis exigerentur, ac tum apertè arma, equos, commeatuſque expedirent, deque recipiendis Gallis, & Turcis vno edicto trucidandis conſilia inirent: tota Ætolia & Peloponeſo Græci à Baſiazete deſcinerint, Caroloque per amicos nunciarint, nihil ſibi reliquum ad defectionem exequendam præter occaſionem deeſſe. Hæc Bzouius, *vbi ſuprà*, aliaque. vbi & illud proſequitur, Carolum proceresque indulſiſſe voluptatibus regni; omnia alia, præter expeditionem in Turcas, molitum Carolum, nec promiſſa, nec æqua præſtitiſſe: *tum cæteri Principes* inquit Bzouius, *tum Itali, tum externi aliena detrimenta, propria pericula ducere, atque inter ipſos communicare cœperunt, quàm graue eſſet eius gentis Imperium futurum, ſi diù in Italia inueteraſceret: exindè Principes, & reſp. Italiæ, & Ferdinandus aduerſus Carolum conſpirant, fœdus ineunt Carolo permoleſtum, Carolus ad finem anni, in Galliam victo quam victori ſimilior diſceſſit: Ferdinandus à Neapolitanis receptus eſt: Legati Caroli vel armis victi, vel obſeſſi, locis deditis abitum in Galliam pacti ſunt*. & licet inter fœderatos ſimultates fuerint ortæ, Carolus iterum atque iterum de reditu in Jtaliam cogitarit; tamen offenſiorum Principum, rerumque publicarum turbationes impedimento fuerunt, & paulò poſt ſecuta Caroli mors, omnem illam famem, exſpectationemque Græcorum præſcidit. quod ſi is ſuis contentus, & innoxio tranſitu per Jtaliam fuiſſet, & omiſſis Chriſtianorum Principum exagitationibus in Græciam deſcendiſſet, iam Byzantij hæredes Caroli propitio Numine imperaſſent: vbi Conſtantinus veteresque Jmperatores ad Tygrim vſque in Oriente, & à meridie vſque ad montem Atlantem iura dixerunt, & latiùs hodiè Turcarum Jmperator dominatur, extenſiores in Aſiam, Africam, Ægyptumque terminos habet, Arabiam etiam felicem petroſamque complexos. an non ſatis hîc manduco alimenti, vnde increſcat, impinguetur, dilatetur? cur ergò omne ingenium abſumunt huiuſmodi homines, vt Ludouico XIII. perſuadeant, vt cum Chriſtianis illis Principibus, liticulas de tribus capellis exerceat, immenſum illud Jmperium Carolo VIII. conceſſum hæres prætermittat atque contemnat?

Dixi quà hæres eſt Ludouicus XIII. regnorum Caroli VIII. nunc ſi manduci noſtri, ſi conſiliarij ipſius eum velint interpellare quà hæres eſt pietatis Ludouici IX. Regis ſancti, Caroli Magni, aliorumque Francicorum Regum, maiorum ſuorum, bone Deus quanta ſeries eſt exemplorum ad pietatem, religioniſque Chriſtianæ propagationem inuitantium! quanta orbis ſpatia, virtuti & gloriæ aperta ſunt, quibus ſeri lilia Francica, diademata, ſceptra, Coronæ meti, & Jmperium Francicum in immenſum extendi poſſit! non offenſo cognato ſanguine, non affinitatis, pactorúmve cum illis iure, atque citra inuidiam vllorum Principum Chriſtianorum. Primus Chriſtianorum Regum Francicorum Clodonæus poſt victoriam aduerſus Alamannos ex voto ſuſcipiendi Chriſtianiſmi acceptam, mouit in Gothos, qui pridem Galliam à Romanis pro ſedibus acceperant, edixitque belli cauſam, pertinaciam illorum in hæreſi Ariana: Theudericus filius illius Danos Gallias deuaſtantes Rege perempto reiecit, ſumma victoria potitus ad Antuerpiam, *vt diximus l. 1. c. vltim. §. Antuerpia*. Sigebertus Franciæ Rex aduerſus Hunnos in Turingiam duxit: quod bellum Clotharius II. etiam eſt proſecutus, vt omittamus bella aduerſus Wandalos, Saxones, Friſios, aliosque infideles, à maioribus geſta, Carolus Martellus aduerſus Saracenos ab Eudone in Franciam vocatos mouit, Regem Abdiramum ingentemque multitudinem trucidauit ad trecenta & octuaginta millia: & iterum ad Byrram fluuium ſupra Narbonam occiſo

occiso Rege Amorrhæo totum exercitum deleuit, Rex alter Athymus in Hispaniam refugit. Eudonem principatu, vitaque Martellus priuauit, Aquitaniam, Prouinciam, Burgundiam subiugauit: filius Pipinus aduersus Saracenos etiam Longobardos, Aquitanos, Saxones, & Barbaros, bella feliciter suscepit, & Waifarium Ducem Aquitaniæ armis coëgit res Ecclesijs quas inuaserat, restituere: quid de filio dicemus Carolo Magno, qui Regio nomini, quod pater promeruerat Romani Imperij dignitatem adiecit? Victor triumphauit de Aquitanis, Longobardis, Saxonibus, Saracenis, Brittonibus, Beneuentanis, Bauaris, Sclauis, Hunnis, Bohemis, Liuionibus, Danis, Nortmannis, Mauris? Caroli in Jmperio successores, multa etiam cum infidelibus bella gesserunt, & Carolus Caluus Franciæ Rex aduersus Nortmannos, Carolus Simplex per tutores præsertim aduersus eosdem, atque Saracenos tantis animis atque periculis, vt etiam Regni dignitatem fidei Christianæ seruandæ posthaberent. *Anno* 885. ait Sigebertus, *Carolo Francorum Rege mortuo, Nortmanni Franciam repetunt, dicentes se cum Rege Francorum tantùm, non cum Francis pacem iniisse: itaque Franci necessitate compulsi, Carolum Jmperatorem in auxilium aduocantes Franciam ei subijciunt.* quanta pietas, vt regni supremitate, quàm religionis integritate, potiùs carerent! vbi per transennam licet interpellare Cassanum, quid si Germania Jmperiumque ita Coronæ Franciæ fuisset subiectum, quàm altum exclamaret? sed valedicamus nunc istis, ad sacra redeamus. Odo igitur Simplicis tutor etiam aduersus Nortmannos magna bella gessit, cùm maxima procerum Galliæ pars, Balduino Flandriæ Comite ac Fulcone Rhenensi Archiepiscopo reclamante, eum regnare iusserunt: & post paulò anno scilicet 891. Arnulphus Jmperator Nortmannos ad Louanium ita cecidit, vt duo Reges & centum circiter millia occumberent, ac vix vnus superesset, qui ad classem nuntium ferret, vnus ex nostris non desideraretur. Louanienses annuam adhuc memoriam Dominica prima Septembris celebrant. inter hæc & domesticas turbas egit Carolus Simplex vsque ad annum 916. quo cum Jmperatore Henrico fœdere inito Lotharingiæ Regnum ei reddidit: eo fortè iustius, quòd eo veluti præmio clientelam, de qua mox diximus totius Franciæ redemerit. fœdus alij referunt ad annum 923. cùm paulò antè Henricus votiua victoria Hungaros Franciam Germaniamque depopulantes apud Meresburch ad internecionem pœnè deleuisset: qui deindè Sclauos ac Dalmatas subactos vectigales fecit, Reges Normannorum ad Christianismum armis, pace, monitis coëgit, multa deinceps fuerunt Francicis Regibus pro Religione bella: multis illustrius, quòd S. Ludouicus cum ingenti exercitu ad recuperandam Jerosolymorum possessionem profectus mare traiecerit, Saracenos primùm fugarit, sed exercitu à peste nimis imminuto victus ipse captusque est, lytro ingenti redemptus, quinquennio in Oriente moratus multis Christianorum vrbibus suo sumptu refectis, matre mortua in Galliam reuersus est, ac rebus domi compositis iterum mare traiecit bellum Saracenis illaturus, & iam in conspectu hostis exercitum instruens peste tactus, vitam pro fide Christi profudit, qui illum ad superos triumphaturum duxit. Multa sunt alia Francis domestica exteraque exempla sacræ huiusmodi militiæ: & quia Cassanus etiam Brabantiam nostram ambit, perlegere illum velim. Molani *Militiam sacram Ducum Brabantiæ*, vbi continua Principum nostrorum serie eorum labores in debellandis infidelibus, hæreticisque enarrat: vbi Leo Brabanticus quærit, *quæ regio in terris nostri non plena laboris?* sed inter cæteros eminet Godefridus ille Bullonius Lotharingiæ Dux, & Marchio Antuerpiensis, cui vt Machabæo dictum videtur 2. *Machab. c.* 15. *accipe sanctum gladium, munus à Deo in quo deijcies aduersarios populi mei*: deiecit sanè, nam expeditionis initio Nicæa expugnata est, & altero mox prælio cæsa numerat Tyrius ducenta millia barbarorum, Wilhelmus Malmesburiensis trecenta supra sexaginta, exindè obtenta Antiochia, & in illa mox obsessum à trecentis Turcarum millibus, preces, viros, & Deus erumpentem iterum victorem fecerunt fuso hoste: demùm Hierosolyma omnium merces laborum, vi capta est, nec supererant iam illi nisi equitum quinque millia, peditum quindecim. hosti erant equitum millia centum, peditum quadringenta: extra mænia concurritur, cæsa Turcarum vltra centum millia tradit Vspergensis, plures hausit vicinum mare. absumpta narrantur quadringenta millia. Balduinus mortuo fratri successit, alijque deinceps Christiani Principes multis victorijs gloriosi, donec domesticis dissidijs Res Christiana in Oriente est euersa. non defuit Godefrido alijsque vicinus metus, non deërant Principes æmuli & à propinquo terror? sed prævaluit Deus, fides, & Crux, in cuius verba Godefridus iurauerat: & sub Principatum illius dedit Deus magna terrarum spatia. quòd si Principibus eadem Religio, & pietas tam altè sederet, idem Deus eadem largiri potest: & verò *si regnorum*, inquit Scribanius, *in Origin. Antuerpiensi cap.* 2. *tanta de vicino libido trahit, satis sub Ottomannis Imperiorum est, quod omnium restinguat sitim, expleat famem.* Jllud porrò obliuisci numquam possum, Godefridum Bullonium primitias belli sacri Antuerpiæ colligentem nobilitate omnique milite ditionis in verba sacra iurante, non redituros sese nisi victores, exemplum reliqua Belgica imitante, Collegio Canonicorum instituto, decimisque patrimonialibus ab eo dotato, qui domi orarent, cùm foris miles pugnaret, etiam castrum Bullonium, vnde titulus illi & agnomen, vendidisse Episcopo Leodiensi, vt pretio in sumptus belli vteretur, sed retribuit Deus maiora nomina, titulos, decora, famæ, æternitatem, Jmperia, & triumphos æternos. huiusmodi exemplis stimulari animi Regum deberent: sed adducuntur hodiè multi consiliarij *in stultum finem, & indices in stuporem. Job cap.* 12. de quibus illud Ecclesiastici *cap.* 37. *à consiliario serua animam tuam.* quorum adeò Principibus eligendorum, à quibus

à quibus ex fide conſuli, ſecundùm Religionem rectè ſuaderi poſſit ſumma cura eſſe deberet: iuxta aliud monitum Eccleſ. *cap. 6. multi pacifici ſiat tibi, & conſiliarius tibi vnus ſit de mille.* Vtinam Ludouico XIII. aduerſus malos conſiliarios ſatis cautum foret! vtinam vetere Religione, moribus, inſtitutoque maiorum recta, iuſta, ſancta ſuaderent! obtingatque promiſſum Jſaiæ *cap. 1. reſtituam, iudices tuos, vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus!* Vtinam obtingat toti Galliæ quod addit Jſaias *poſt hæc vocaberis ciuitas Iuſti, vrbs fidelis.* Vtinam ea vota toti Rei Chriſtianæ eueniant! qui impedimento ſunt, horreſcant ad minas Jſaiæ *c. 10. Væ qui ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt*; Væ illis qui ſpecioſos bellorum prætextus concinnant, qui ſcribentes de Regnis & Jmperijs iniuſtitiam ſcribunt, qui Regum auribus furioſa Bellonæ venena inſufflant, calorem conſanguineæ charitatis extinguunt, frigus aquilonaris inuidiæ aſpirant: vnde bulimus inſatiabilis, & incircumſcripta appetentia: ſed potiùs inſuſurrent illud *Eſdræ l. 1. c. 8. Non inquiretis habere pacem cum alienigenis omni tempore, vt inualeſcentes manducetis optima terræ, & hæreditatem diſtribuatis filijs veſtris vſque in æuum.* Hæc mandere ſatis Manducos noſtros velim, & Regibus ſuis exponere, quanta cum pietate optima terræ manducari, & ſecurè liberis hæredibus ampla quæri poſſit, ſi non inquirant habere pacẽ cum alienigenis, ſi Conſtantini Magni hæreditatem boni ſucci ſummo iure competentem vindicent, conſanguineis Chriſtianorum bellis abſtineant: aliena minimè controuertant, propria benignis animis proſequantur, & nuncupatim Ludouico XIII. quod ſi charitatem Deo proximoque exhibens zelum ſuum accendat aduerſus inimicos Crucis Chriſti, eos profligauerit, terreni cæleſtiſque Regni amplitudinem, famam, honorem, nomenque æternum promittant, verbis etiam ſacris hæc agenti edicant, *in memoria æterna erit IVSTVS.*

## CAPUT POSTHUMUM.

### *Super Vindicijs Gallicis.*

Operi iam ſub prælum miſſo caput hoc agnatum eſt ex Vindicijs Gallicis; ſiquidem prodière illæ hîc nuper aduerſus Alexandri Patricij Armacani Martem Gallicum. ſed ſciet aliquando illarum auctor Armacani Cineres loqui poſſe, Vindiciaſque, quæ more ſtyloque maiorum interlocutorum tantum iudicium ſpectant, ſuprema cauſæ definitione omninò euertendas. Jd quod dum pleno illos apparatu executuros exſpectamus, viſum eſt nonnihil præludere, velitando circa ea quæ ex Vindicijs incurrere videntur, in quædam ex his, quæ commentando feciale edictum Sereniſſimi Ferdinandi Cardinalis Jnfantis ſuprà diximus *lib. 3.* nam quæ ad Hiatum Caſſani, Arroy, ſimiliúmve pertinent, Caroli Magni ex aſſe repetendam hæreditatem, id eſt Europam omnem, regalium actionum æternitatem, magneticam Coronæ Franciæ virtutem, qua ſibi copulet vniatque æternum omnes ditiones, quas quocumque vmquam Iure Principes, qui Regnum iſtud adepti ſunt, aliquando poſſederint, quod priori libro examinauimus, & obſoleta pridem vindicandorum aliorum dominatuum munimenta, ac nominatim in ditiones Belgicas, quas ad calcem eiuſdem libri aſſeruimus; deniq; fœderum contemptum, quem ſecundo libro profligauimus; ipſe Vindiciarum Auctor, ne per tranſennam quidem comprobare voluit. Legem etiam Salicam verecundius tetigit *c.16.* vbi agnoſcit non literis eam conſignatam, ſed moribus olim receptam contendit, quod pridem nos admiſimus eatenùs, vt propriorem fœminam maſculis remotior à corona excludat. Porrò quæ de vnctione Regum Chriſtianiſſimorum, de Ampulla Rhemenſi, à quo vnctio inceperit, de ſtrumarum curatione, de titulis, prærogatiuis, meritiſque Regum Galliæ, quæq; à *c. 2.* vſque ad 18. declamat, aliaque id genus, nihil ad rem nunc noſtram facientia lubens prætereo; quippè quæ ad belli iuſtitiam nihil conferant, vt *l. 2. c. 2.* demonſtrauimus de fœderibus etiam innoxijs cum infidelibus, quò vergere velit quæ dicit *c. 20. 21. 22. 27.* ea tantùm hic quaſi per indicem, ſaltúmve, & vt canis è Nilo rangam quæ ipſam belli Auſtriaco-Gallo-Belgici iuſtitiam ſpectant. quàm *cap. 1.* proponit fœdera etiam priori fidei aduerſa: Religioni reique publicæ hoſtiliter inimica, de quibus 23. 24. 25. 32. alijſque eò pertinentibus diſſertat, breuiter delibabo.

Igitur Vindex noſter poſtquam in Præfatione plena conuiciorum plauſtra in Armacanum, Hiſpanoſque conuexit, vt maledicentiæ ſuæ litaret, in *d. c. 1.* eaſdem pariteſque contumelias congerit, vt inde iuſtam etiam ſtruat belli cauſam à Rege Chriſtianiſſimo inferendi. vtique Hiſpanos inſtar fluminis eſſe perrupcis aggeribus vicinam omnem continentem occupantis? inſtar ignis, obuia quæque deuorantis? inſtar Æolorum, qui omnem ipſi tempeſtatem commouerint. Jllis certatim eapropter obuiam iuſtis communibuſque armis eſſe eundum. Accuſatio, inquit Cicero *pro Cælio crimen deſiderat, rem vt definiat, nomine vt notet, argumento probet, teſte confirmet.* Hæc eadem Ratiocinator Regius in medium proiecit, ab omnibuſque vſurpantur, qui Hiſpanis maledicunt: ſed quo argumento probant? quo teſte confirmant? Ratiocinatori amplè reſpondimus *l. 3. c. 7.* oſtendimuſque Hiſpanos, Auſtriacóſve à morte Ferdinandi Catholici nihil armis quæſitum habere, ſed legitima ſucceſſione, aut inueſtitura: Francos ex aduerſo intra idem ſæculum, & quæ paulò antecedunt, plures omninò ditiones armis ſuas feciſſe: etiam hæreditarias, non Auſtriacorum tantùm, ſed & aliorum, atque Anglorum imprimis; etiam illas, quas horum maiores in Gallijs poſſederint, ante ipſam Angliam, ita vt vitium ſuis agnatum Ratiocinator Vindexque conentur alijs affricare, vernaculumque crimen alienum facere, Hiſpanis imponere. ipſæ igitur vtrorumque poſſeſſiones diuerſimodè quæſitæ argumenta ſunt, teſteſque vtris calumnia

*Fr. Zypæi oper. tom. 2.*

calumnia falsum crimen imponat; veris res ipsa atque veritas suffragetur, & Franci à cæde Caroli Audacis hactenus Burgundiam nullo iure detinent. *vt demonstrauimus sup. l. 1. c. fin. §. Burgund.* ab eo ergò tempore, quo iura Domus Burgundicæ in familiam Hispanicam transierunt, Franci semper Hispanis belli causam dederunt. nec obijciat Vindex fœdere conuentum aliquando ne armis repeteretur Burgundia, sed lege, Arbitrorumque iudicio: quoniam eodem fœdere, alijsque, quamuis ab Hispanis bella cepissent, quod secus res ipsa historiæue testantur, præteritorum omnium est præscripta obliuio: vt nihil adduci posset, nisi quod post Pacem Veruinianam accidit, & de quo satis est dictum *sup. l. 3. c. 2.* & Vindex agnoscit *c. 24. 25.* fœdera cum Batauis, Suecisque, subsidiaque iam olim, & nuper missa collaudans, Jtaliæ dein Germaniæque Principes citat Vindex, aliosque fœderatos, opem implorantes, etiam Præsulem Treuirensem: sed de his omnibus Ratiocinatori Regio abundè respondimus *l. 3. c. 8. 9. 10.* crambem illam recoxit Vindex, nec aliud piper dedit, eoque plus satis ei factum sit. dicere hic libet id tantùm non iustam esse opem fœderatis latam, si eorum causa sit iniqua: iniusta esse subsidia, quæ crimini præstantur. Treuiros etiam nondum captos fuisse, cùm Franci bellum ex pacto cum Batauis susceperant, Belgium diuiserant, hostilia exercuerant, Præsulem liberè ac dignè habitum fuisse, Treuiros tam Jmperatori summo iure, quàm Duci Luxemburgi, qui nunc idem Rex Hispan. iure Protectionis per stratagema hosti eripere, atque asserere in libertatem quomodocumque licuisse. *vt diximus satis etiam lib. 3. c. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.* quomodo autem non Hispani sed Franci in Belgio quietem hospitari prohibuerint, & mox à Pace Veruiniana Batauos potentiùs iuuerint, diximus *sup. lib. 3. c. 2.* in Germania autem quis nescit Palatinum aliena inuadendo omnia turbasse? quòd Jmperator sua defenderit, Hisp. Rex socialibus armis iuuerit, ideóne Æoli tempestates illas mouisse dici possunt? ad hoc incendium accessere conspirantes vndique alij turbines, quibus depellendis, socijs defendendis Hisp. Rex arma sua commodauit; nihil ipse primus illis in bellis captitauit. Gentium exindè arbitrum Vindex Regem suum facit, vbi Paulus *1. Corinth. 5. quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* quid ad Regem, quod non ad ipsius Regnum pertinet? quid si Hispani suum Regem Gentium arbitrum dixerint, an non æquo iure? quid si Germani Jmperatorem? an non leges illum mundi Dominum vocant? an non Ecclesia Catholica Deum rogat, vt illi subditas faciat omnes barbaras nationes? & verò si ad belli iustitiam sufficiat pro socijs illud suscipi, vbinam extra ditiones suas bella gesserunt Hispani, nisi pro Jmperatore, Regibus, Principibus, populisve fœderatis?

Post hæc consarcinat Vindex in bellum communem sociorum vtilitatem, & naturæ suffragium, quæ partium proportionem excedi vetat: an fuit vllus tyrannus, regniue inuasor, Turca, aut Scytha, qui in bello vtilitatem suam, suorumque non spectarit? iustúmne ergò quodcumque bellum gesserit? porrò natura sibi partium moderationem sumpsit, non ipsis partibus iudicium tribuit. Vndè infelix seditio partium aduersus ventrem apud Æsopum, si cui ergò Deus, aut natura præ altero felices nuptias, plurium hæreditates, regna ac principatus detulit, qua lege permisit Deus aut natura, vt huic à se tributa accretio ferro minuatur? *diximus in Iudice l. 4. c. 7. & suprà l. 3. c. 7.*

Hispana, inquit, potentia in eminens & alijs Jmperijs timendum perducta est fastigium. vtrique felicibus matrimonijs, & hæreditatibus iure delatis, at hunc metum pro belli causâ nullo iure admissum demonstrauimus. *ibidem*, *Mali*, inquit, *semina antequam adolescant, & in perniciem vertantur. stirpitus elidenda sunt.* At malum meditari hanc potentiam pridem negatum est. sua defendere Deus & natura permisit, cùm dedit. certum ac in procinctu esse malum oportere, tamquam percussuri eleuatam manum, antequam præoccupare liceat, satis *diximus l. 3. c. 7. & seqq.* nec vllam quibusvis Regibus esse periculosiorem doctrinam, quàm si admittant metum impendentis mali sufficere ad rebellionem, vel arma extranea mouenda, aut in caput ipsorum principum attentandum. *sup. l. 3. c. 9.* quod si Franci hæc tam credant quàm prætexunt, cur magnitudinem infidi Turcæ non potiùs metuunt, quàm fœderibus colunt? cur eo ad commune incendium non proclamant? quid si fabula de ipsis narretur, non putent esse quòd sibi alij metuant, quod Regem suum Arbitrum nunc Gentium faciunt, quod adeò nuperis sæculis increuerit occupata omni per Gallias Anglorum vetusta hæreditate, Normannia, Aquitania, Pictauia, Burgundia, Andegauia, Guienna, deindè Prouincia, Meti, Verduno, Tullo, Britannia, Lotharingia, Alsatia, alijsque, quæ in Germania, Jtaliaque ex nuperis bellis detentat: præter eos quos Franci ambiunt blandimentis, vt alios armis: vt Leodienses procantur per tot nunc annos, per tantas turbationes, atque miriades aureorum, sub specie oblatæ protectionis, quam vertere dein possint in dominatum: sed sapiunt illi exemplo Metensium, Tullensium, Verdunensium docti quod præter verisimilitudinem argumenti de præterita ad futurum, Cassanus alijque ambitione immensa totam Europam scriptis libris suam facere conentur; & cùm huiusmodi præludijs integras etiam prouincias vidimus occupari.

Contendit igitur Vindex iure Hispanis bellum à Rege Christianissimo indictum, pro sociorum libertate, pro capitis salute, pro Jmperij incolumitate: idoneas has esse honestasque belli suscipiendi causas, pias, iustas, necessarias. quippè fortitudinem quæ vel bello tuetur patriam, vel defendit infirmos, plenam iustitiæ esse, eumque qui non repellit iniuriam à socio tam esse in vitio quam illum qui facit *D. Ambros. de off. c. 56.* bella iusta esse, quæ vlciscuntur iniurias; aut quæ iniquitas aduersæ partis ingerit. *D. Augustinus de Ciuit. Dei*, bellum actum esse vltricis illius iustitiæ, cuius causâ Reges gladium portant. Perbelle, sed audin' vndique vltricem iustitiam,

iniurias,

iniurias, iniquitatem? aduersus hæc sui sociorumque iustam esse defensionem? quid si ergo socij non iniuriam passi sint sed fecerint? quid si iniquitas illorum bellum ingesserit? quid si Dominum ipsi aggressi fuerint, thronum eius inuaserint, feuda occuparint, clientelam, fidelitatem, homagiúmve ipsi præstare recusarint? quid si obaudire, Jmperij scita, pacemque publicam seruare noluerint, Remp. turbarint, Ecclesias Orthodoxas prostrauerint, in bona inuolarint, clerum eiecerint, edicta, pacta, conuenta contempserint, manifestè rebellarint, hostilia fecerint? inter damnatas ab eodem Augustino belli causas *c. quid culpatur.* 23. q. 1. refertur feritas rebellandi, porrò hæc, quæ mox diximus, ad rebellionem pertinent, ac quidquid contra honorem Principis, fidelitatemque committitur, atque Jmperij prosperitatem. *Tit. Constit. Fred. qui sint rebelles.* Et verò qui conferet cum his origines bellorum nuperis annis in Europa ortorum, in omnibus inueniet feritatem rebellandi quamuis alio passim schemate palliatam. proh! quam perperam atque præposterè hanc iniuriæ licentiam, feritatemque rebellandi, sociorum libertatem Vindex nuncupauit! quo porrò fido aut fine dum *c.* 1. *ad fin.* citat verba D. Augustini omisit feritatem rebellandi? ánne suo ipse pugione foderetur? consciua veræ causæ, huic ergò rebellandi feritati socia arma præstare, cùm sit crimini, non iustitiæ opem ferre, quàm iniustæ fraudi speciem iuris imposuit.

Securitas porrò Capitis, certitudinem quam diximus, imminentis periculi respicit non quacumque imaginatiua apprehensione contenta est, vt diximus alioquin probandi erunt Turcarum mores, qui ad Jmperium prouecti omnes mox fratres interficiunt, ne quid habeant, quòd ab ipsis metuant. Regni incolumitas eandem instantis periculi exigit certitudinem. alioquin omnes vicini Principes tollendi erunt, ne qui obesse, ne qui nocere possint: etiam impares. nam & consilio tam bella geruntur non tantùm, quàm viribus: sed & sine bello industria valet. A cane non magno sæpè tenetur aper. atqui à Pace Veruiniana nihil Hispani aduersus Gallos machinati sunt, donec coacti defenderunt se magis quàm moliti sunt quidpiam. vt in fecialibus edictis dicitur, & prosecuti sumus *l.* 2. *c.* 11. *l.* 3. *c.* 6. ijsdemque edictis & id à Serenissimo Cardinali Jufante declaratum est, propositum ei Regíve non esse, ve vindicandis iniurijs (proh quantis tota Germania vastata, Belgica concussa!) bellum gereretur, sed iniunam faciendi licentia, adimeretur Illis, qui iuxta Regem proximi incendium quaqua versus protulerunt.

Quod si ergò hæ causæ veræ non sint, audiat Vindex Tacitum *l.* 20. *libertas*, inquit, *& speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum seruitium, & dominationem sibi concupiuit, vt non eadem ista vocabula vsurparet.*

Jndignatur deindè Vindex Armacano, quòd à gladio cinctis Victoriæ rationem exposcat, stricto ferro legem dari velit, cùm de belli causis meritis constat, *inter ipsa peccatis*, inquit, *consentiunt, soluuntur legibus crimina.* Jtáne verò? sed apud homines exleges, diuina, humana, naturæ gentiumque iura tidentes. nam vt sacrorum codicum mentionem non faciamus viris gladio cinctis, scripti non sunt in Pandectis, & Codice tituli de re Militari, & omnino multi qui sequuntur in Condice penè ad *fin. l.* 12. ferè ex iure gentibus vsurpato. *tetigimus quadam in Notitia iuris Belgici tit. de Re Militari, & tit. de Re Militar. marit.* an verò nec recipit illud *Deut.* 16. *quod iustum est, iustè persequeris?* vt non causa tantùm iusti belli exigatur, sed & iustè geri illud sit necessum. eoque nomine multis modis peccari demonstrauimus *in Indice l.* 4. *c.* 8. 9. 10. 11. 15. 16. 17. 18. 19. An non ei videtur parcendum supplicibus, innoxijs pueris, fœminis, agricolis, inermibus, peregrinis? quibus tamen iura parcunt. *c.* 2. *X. de treug. ex conc. œcumenico Lateranensi. Gentil. lib.* 2. *de iur. belli ad fin.* nihil temperandum circa captorum interfectionem, vastationem, res captas, ipsos captos, aliaque? vbi temperat etiam Grotius *l.* 3. *de iur. belli c.* 11. *& seqq. Quis*, inquit, *Ducum ferocientibus militum animis moderabitur?* an non fuêre Duces, qui à sacris, templis, ministris, stupris, & cùm iam secura est victoria, à cæde etiam abstinendum edixerunt? non obtemperauêre semper milites, fateor, nō semper quibus disciplina militaris ignota est; sed non obiurgauit Armacanus tantùm milites, sed magis ipsos Duces, Principésve qui iusserunt, aut cùm possent impedire, noluerunt.

At in bello iusto insontes sontibus permixti iustè perimuntur: ita quidem si sine periculo victoriæ secerni nequeant: sin autem possint; sceleratissimum est parricidium.

*Haud nocens est*, inquit, *quicumque non sponte nocens est*, qui in ipsis fœderum sanctionibus stipulatione plusquam Aquiliana cauit ne quid detrimenti caperet Religio. Prius illud pronunciatur satísne videtur orthodoxum? eo siquidem vel Pontium absolueris à cæde Christi. quippè quam non sponte, sed inuitus à Judæis coactus fecit. at nullum crimen metus tollit, ne quidem in virum constantissimum cadens: sed sola cui resisti nequit vis maior, seu maius malum. *Layman Theolog. Mor. l.* 1. *t.* 2. *c.* 6. *num.* 4. *post plures quos citat.* stipulatio porrò à stipulis dicitur, verborumque obligatio est. an verò stipulæ & verba Franciæ sufficere possint & dici nolim à nostris eiusmodi pactionem dicis causa fœderibus insertam esse? si enim rem præstari velint, cur ex stipulatu non agunt? cur etiam cùm Breda postremò occupata est, Ecclesias omnes ab hæreticis occupari, clerum eijci, hæresim inferri contra pacta huiusmodi, si non tantùm verba sint, patiuntur? cur subsidia non subtrahunt? cur vires & pecuniam augent iniquissimo debitori ampliùs iterum, iterumque, atque perpetuò credunt consultissimi cautissimique Aquilij?

Transeamus ad fœdera, eorum argumento probabitur, testibus illorum tabulis confirmabitur verior quæ fuerit accusatio. Ritè concepta sua esse à Christianissimo Rege contendit Vindex *c.* 19. Aperiantur tabulæ, & primum fœdus, cui vel in speciem seruandæ religioni inserta fuerit aliqua cautio, deprehendetur esse illud cum Ba-

tauis, quod initum est 8. *Martij* 1635. priora ergo illa defensione destituuntur. Cùm Vindex præscripsit *d. c.* 19. ritè concepta fœdera, apprehendebam formulam, cautionémve pro orthodoxa Religione, parem potioremque Aquiliana stipulatione, quàm *c.* 1. adeò tractauerat, sed dum textum perlegi, deprehendi eò tendere, vt vtilia defendendis inuicem regionibus prædicet, & permissa iure naturæ, veteris atque nouæ legis. vtilia an semper sint omnibus; non est huius dissertationis: sed illud demum, quamcumque vtilitatem, quæ abducit à Christi charitate, præscindendam esse: vt manum, pedem, oculum. *Matth. c.* 18. Innoxia etiam fœdera, per quæ consistere tutò nobis liceat sub aut iuxta infideles, cum iisdem commercari, non reijcimus: nec armorum illa, per quæ Ecclesiæ Dei, instæue causæ nihil proueniat incommodi. *vt diximus in Indice l.* 4. *c.* 11. *& sup.* l. 3. *c.* 3. Post huiusmodi thema de infidelibus indignatur Armacano, quòd criminis esse censeat socia cum hæreticis conferre consilia, certis legibus mutua promittere auxilia: quod cùm id Rex tutelæ atque securitatis causa fecerit, iura fidesque valent. sanè infidelium amicitiam communionemque non admodum probari à Christo ex ijs *apud Matth. c.*18. comparatiuis verbis constat, quæ de fratre correpto; Ecclesiæ denunciato, nec illi obedienti fecit, *si Ecclesiam*, inquit, *nō audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* hæreticorum communionem omninò prohibet Joannes *ep.* 2. *si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: qui enim dicit ei aue: communicat operibus eius malignis.* Ecclesia Christi in Concilio Magno Lateranensi. *c. excommunicamus. §. moueantur X. de heret.* Spiritu sancto dictante non permisit mutua paciscendo cum hæreticis auxilia: sed sub censuris & priuatione Dominij iussit Dominos temporales è suis ditionibus exterminare hæreticos bona fide, pro viribus: exterminationi obstaculum, aut impedimentum opponi vetuit. plures alij sunt sacri Ecclesiæ Canones alibi citati; & Bulla Cœnæ; & tamen audet Vindex dicere non esse legem sub Euangelio, quæ fœdera mutuorū auxiliorum cum hæreticis vetet. si Ecclesiam non audierit, non videbitur esse deploratæ valetudinis? De fœdere Francisci I. quòd cum Turcis inierit, constaret si tabulæ producerentur; agnoscit Vindex *c.*23. communé famam esse auxilia Turcica stipulatum esse; arma Solimanica in Europam prouocasse; ita enim omnes historiæ Annalesque testantur. nec huiusmodi Orbis iudicium euertere literæ Francisci I. de seipso aliter testantis, scriptæ ad Germaniæ Principes, aliosq; ad declinandam, quam contraxerat, apud eos inuidiam. nec irascatur Vindex si Regum literæ, & Legati plenam vndiq; fidem non obtineant. nec ars illa tam arcana est, libris etiam scriptis vulgata est: vt potissimum Legati officium censeatur, aliud dicere, aliud sentire; aliter verba concinnari, aliter rem se habere. De hodiernis legationibus testatur *Legatus chimericus* quam mille vnus Protheus induat figuras. tabulas quidem illorum temporum Mercurij Bisantini satis vulgarunt: sed vacillet illorum fides: vel nec mihi constat de fide tabularum fœderis Henrici II. cum Turca, quarum mentio est *sup. l.*3. *c.*31. quas Vindex omninò non tangit. sane effectus ad causam graue argumentum videtur, dum omnes historiæ consentiunt Nicæam communibus Turcæ, Francique viribus oppugnatam esse. breuiter rem enarrat Haræus in *Belgij vniti Principis sub Carolo V. ad annum* 1543. etiam aliter quàm ipse Vindex. quare visum est illius verba adscribere, *nec contentus*, inquit, *Rex Franciscus tam diuersis locis eodem tempore tum hoc tum superiori anno Cæsarem bello lacessisse, insuper à Solymanno Turcarum tyranno per Legatum Polynum instam classem, qua duce Hariadeno Barbarossa Cæsarem quoque oppugnaret, impetrauit, vtque huius anni vere educeretur effecit: habebat Barbarossa centum quinquaginta actuarias diuersi generis naues, prætervectusque Messana fretum Rhegium cum arce occupat, incenditque ciuibus in seruitutem abductis. hinc Ostiam Tiberinam prænauigans, ac Hetruria Liguriaque oram lambens, in Massilia portum classem infert, exspectans cui loco Rex Franciscus vim inferri velit, tandem Nicæam Prouincia ciuitatem Sabaudo parentum expugnare iubetur, admonet Barbarossa classem, exponit militem, producit tormenta, mittit & suam classem Rex Franciscus. quæ viginti duarum erat triremium, octodecim onerariarum vehens octo millia peditum, cum ingenti commeatus copia. huic classi præerat Franciscus Borbonius Anghiani Dominus viginti annorum adolescens, pædagogum habens Verginium Vrsinum. Nicæam bis frustrà à Turcis ac Francis oppugnatam, ante tertiam oppugnationem, ciuibus libertatem ac fortunas incolumes promittens Anghianus in deditionem accepit præsidiarijs cum Præfecto in arcem concedentibus. quam cùm aliquamdiù frustrà oppugnassent, aduentu Vastij, qui cum iustis copijs in itinere erat, Turca, Francique territi, reductis ad naues tormentis, impedimentisq́, direpta incensaque contra datam fidem Nicæa, ciuiumque parte in seruitutem abstracta, cum classe, re infecta discessêre. Anghiano Massiliam, Barbarossa in portum oppidi Tollenij, consentiente Rege, ibi hiemare contendente, vnde paulò post viginti quinque triremes ad Hispaniæ oram euastandam emisit.* Hi, inquam, effectus, alijque id genus, qui indubitati sunt; & solem testem habent, orbemque vniuersum, dubitare me non permittunt, quin Franciscus I. ampliùs, quàm commerciorum libertatem, pactus sit.

Transit Vindex ad fœdus cum Hollandis, neque iam ritu prisco illud negat: sed Henricum IV. subsidijs in re angusta ei missis obligatum fuisse ad mutuas vices, ne gratus animus, & beneficium, duæ res sanctissimæ, corrumpantur. pares vices redditæ pridem erant, beneficio accepto etiam maiores. &, vt non forent, gratus animus, & beneficium porriguntur ad aras tantùm, ad subsidia non obligant in bellum iniustum. Denique, quod caput rei est, Henricus IV. fœdere Veruiniano spopondit se aduersus illud nihil vnquam facturum, renunciauit fœderibus, legis, intelligentijs contrarijs: ideoque semper ille negare subsidia à se mitti solitus erat, & pecuniam secretis cambijs traijcere. exinde succenset Vindex Armacano hodierna fœdera accusanti,

accusanti, cùm Rex Christianissimus veterem amicitiam maiorum suorum dexteris firmatam, & fidem seruet. sed cur Batauis? quorum fœderi per Veruinianam pacem renuntiatum erat, & non Regi Catholico cui firmiter addicta cum diris imprecationibus? Demus parem adhuc esse fidei vtrisque promissæ causam, cur potiùs causæ rebellium simul & hæreticorum, quàm Regis indubitati, & catholici, præstatur à Rege Christianissimo?

At ipse Rex rebellionem non fouit, aut vt libertatem armis vindicarent Batauis consilium dedit: esto, num rebellio in sui ortus principio desijt crimen esse: vt post paulò licita fiant subsidia? At crudelitas Albani Batauos in arma præcipitauit: an ergò credit Vindex, si quem in Francia Rex prouinciæ præsidem statuerit, fastu, truculentia, concussionibus insignem, vt non semel accidit, iustè subditos in Regem arma sumere? id hic vt probat, domi improbat, velim meminisset Vindex eorum quæ dixerat *c.* 14. à Christianissimis gesta aduersus hæreticos, tot conculcatas impiorum ceruices, tot comminutos cerastas, tot hæreticorum turmas, tum armis tum edictis concisas, tot prælia commissa, tot cæsa hominum millia, hæreticorum perfidiam vbique vindicibus armis actam, subactam, obrutam, iactatam, Galliam denique plures ab hostibus orthodoxæ fidei triumphos numerare, quàm Reges: cur paria meditanti, lentiori sanè dextera, quàm mox laudarat, Albano succenset? si infelicior ad finem fuit dextera, non tamen iniustior, & Gallia quidem tunc pluries auxilia ab Albano recepit, si nō & dederit: eam sam Albani tunc probauit. vt & Pius V. Sanctus ille maximiq; iudicij Pontifex: qui strenuè pugnanti gladium deauratum, galerumque pretiosum, solemni ritu consecratum, defensæ fidei insignia, misit. sed mirum non est Vindicem cum Albano non conuenire, qui ab Ecclesiæ iudicio dissentit, dum sacram Inquisitionem tot sacris illius Canonibus, tot œcumenicis Concilijs probatam, damnat: *quia fictiones*, inquit, *inducit: & fides suadenda est, inquit, non imperanda, oratione quidem non ferro: docendo, non iubendo: monendo non minando.* & verò cur, & ante Albani aduentum rebellatum est, eoq; reuocato omnique extero milite, neque sub Requesentio, homine natura suauissimo, neque sub Ioanne Austriaco, Regis fratre, ad genium Belgicum facto, ad mentem rediere? cur Pacificationem Gandauensem, quam & Austriacus probarat, & ceteræ prouinciæ seruarunt, promissamque per legatos suos fidem contempserunt? quando & asperitas pœnarum aduersus hæreticos mitigata, rigorque remissus erat: vt in Gallia laudat *d. c.* 14. & patriorum priuilegiorum facta erat instauratio, adiectaque præteritorum amnestia. vt meritò Henricus III. vt gloriatur Vindex, Batauos auxilia postulantes, honorificis quamnis conditionibus reiecerit: imprudenter eius frater Alenconius infeliciterque acceptarit, illarumque mox pertæsus, & liberum Imperium ferro occupare conatus, ferro eiectus sit. Addit Vindex Henricum IV. non alia de causa voluisse Batauos demereri, quàm vt belli pericula à suis arceret;

at hoc discedit à fide Veruinianæ pacis, & causis, quas Vindex initio proposuerat. Pergit ad Ludouicum XIII. quem dicit cum illis, non vt rebellibus, sed tamquam liberis societatem & amicitiam, non tam redintegrasse, quàm continuasse: cur enim pro perduellibus haberet, quos alij Principes pro liberis agnoscunt, quibuscum ipsi Hispani paciscuntur tamquam cum liberis, & in quos nullum ius prætendant? indignaturq; illam voculam *tamquam* dici similitudinis esse, non veritatis. Quod ad alios Principes attinet, Maximilianus Cæsar conatus est tumultus Belgicos sedare, sed nec ipsi tunc libertatem illam postulabant. nec conditiones quas ipse proposuit acceptare voluerunt. Matthias causæ nonnihil fauit fraudulenter propositæ, dum nomine regio omnia adhuc tractabantur; doloque in Belgium euocatus, cùm iniquam deprehendit, deseruit. Quòd alij Principes Legatos Batauorū admittant, quid è re mutat, si ipsi causam illam nolint agitare, aut auxilia fortè aliquando opportuna inde sperent? Hispanos autem & tabulas induciarum quod attinet, satis *diximus in Indice l.* 4. *c.* 21. *n.* 6. *& sup. lib.* 3. *c.* 5. nec est quod Vindex fraudes in voculis quæri dicat, quod eæ in natiua suæ naturaliq; significatione accipiantur. *Tamquam*, inquit Spiegel. *in lexico pro quasi similitudinis magis est quam veritatis. vide quæ de hac dictione notantur in l. si pater. §. qui duos de adopt. & in Auth. omnes obedians iudicibus. §. qui verò. Idem in lexico, quasi propriè*, inquit, *significat improprietatem. Glossa in lege si cum dotem §. fin. solut. matr. & quasi tale non esse tale l. Marcels* 11. *de verb. sig. l. si maritus §. leges Iulia de adult. interdum tamen & similitudinem notat, ac etiam interdum veritatem & proprietatem, vide Gloss. in l. si quis cum à fidei commissario de condit. indeb.* eadem dici possunt, de voce quasi, vti, veluti, sicut, sicuti, &c. Post hæc Vindex inuertit verba tabularum, & vt arcano mentis sensu voluerint scribere Archiduces, se non scrutari, scripsisse tamen: Dominij ius nullum in fœderatas prouincias prætendere, easque tamquam liberas agnoscere: at erroneum id est, sed his verbis scripserunt; *traicter auec eulx* (les estats) *comme libres; & sur lesquels ils ne pretendent rien.* quare illa coniuncta *& sur lesquels ils ne pretendent rien*, simul reguntur à vocula *tamquam*, id est tamquam cum liberis, & tamquam in quos nihil prætendant. Porrò leges iubent voces accipi in natiua significatione, nisi quid aliter cogat *l. non aliter* 69. *de legat.* 3. quale nihil hic allegat Vindex. cauillus est ergo queri de iure. & porrò *intelligentia dictorum assumenda est ex causis dicendi c.* 6. *X. de verb. sig.* causa porrò huius declarationis est, vt ansa malignandi auferretur, qua quidem negant Principum cum subditis contractus esse ratos; vt obligatio ciuilis contrahi nequit inter dominum & seruum. *vt diximus d. c.* 21. sed neque arcanus hic est intellectus, sed cùm ipsi Batauj dispositiuam declarationem seu concessionem libertatis postularent, & Rex negaret, interruptus est tractatus induciarum; Legati discesserunt Haga: Orationem habuit Legatus Iannius, vt à certamine vocum abstinerent, eoque rursus conuentum est Antwerpiæ: ibique tandem indu-

ciæ pactæ sub ea vocula *tamquam*, sensuque illius genuino. vt & *docuimus d. c. 21.* hæc ipsa in Baudij, Hatæi, aliorum historias abierunt, & adhuc Vindex hæc dici velit secreta, sensusque arcanos?

*Batauis non vt hæreticis*, inquit Vindex, *& à fidei dogmate abhorrentibus, sed vt amicis & vicinis & confœderatis auxilia submittimus*, sed de hoc egimus *in Indice l. 4. c. 11. & c. 4. & sup. l. 3. c. 3.* absit, vt quis imaginetur à Francis fauorem tribui hæreticis quà hæreticis: quippè qui fauet & defendit hæreticos, quà tales, hæreticis est damnabilior *c. qui aliorum 24. q. 3.* nec ille fauor multorum Canonum damnatione opus habebat, sed plures lati sunt, vt indistinctè, bonaque fide, atque pro viribus non tantùm fauor abesset, sed principes vetarentur eos pati in suis ditionibus consistere *c. adolendam §. statuimus X. de hæret.* sed & exterminare tenerentur *c. excommunicamus. §. moneantur X. eodem.* atque hoc vocat Lucius III. *in d. c. ad abolendam* adiuuare Ecclesiam. eodemque sensu œcumenicum concilum *in d. §. moneantur*, id præstandum iniungit Principibus, comparatiuè *sicut*, inquit, *reputari cupiunt & haberi fideles.* qui hæc conueniunt, cum amicitia Vindicis cum hæreticis? Jlli Canones non distinguunt hæreticos exterminandos dumtaxat quà tales, retinendos quà amicos, & confœderatos. velim sanè Vindex speculetur, qui stare possit cum physica exterminatione huiusmodi distinctio. sanè in huiusmodi subtilitate legum Romanarum disciplina censuit cognato latronis receptatori qua cognato minuendam pœnam non auferendam, *l. 2. D. de Receptator. In hoc*, inquit, *Christianæ reip. salus agitur.* id si verum; errasse verum est œcumenicum concilium in materia seruandæ fidei, & morum. *In hoc*, inquit, *publici status quæritur incolumitas*: diximus paulò antè potiùs stabilitsi rebellandi feritatem.

*Nec vllus est*, inquit, *adeò rerum ignarus, qui nesciat bellum Hollandicum ex sola violatione protritæ libertatis exarsisse, de qua si conuenissent Hispani, nullam religionis curam erant habituri.* Jam etiam mox respondimus omnia per Pacificationem Gandauensem fuisse composita, priuilegia instaurata, sicubi per ignorantiam præfectorum forent læsa, mansisse tamen Batauis feritatem rebellandi; Hispaniarum autem Regi semper zelum orthodoxæ Religionis curandæ. qua de re si vel Stradam hominem Jtalum legeret Vindex, centum locis luculenta testimonia inueniret. lubet vnum adscribere *ex l. 4. intereà*, inquit, *Belgij Gubernatrix ad stabiliendam religionem, cuius inclinatio multis locis audiebatur, animum ac vires intendit. Nam Rex eam imprimis curam per Armenterium imperauerat, alijsque subindè, atque alijs literis idem vrgebat. & sanè non id à Philippo in speciem curari ostendebant literæ (quæ apud me suprà centenas) eiusdem manu aut arbitrarijs notis exaratæ ad Margaretam.*

*Sed neque fœdera*, inquit Vindex, *quæ nobis sunt cum Hollandis, rei Christianæ quidquam obstiterunt*, Jtáne Vindici non officere videtur, quòd Francicis auxilijs tot captæ sint ciuitates, vndè Catholica Religio, & clerus sit eiectus, hæresis inuecta?

*At impetrauit Henricus IV. vt in pagis Hollandicæ ditionis in Brabantia nihil fierat, quò minùs Dei cultus non interrupta religionis auctoritate permaneret*: Jd ita simpliciter non est verum; sed dum induciæ pangerentur Episcopus Antuerpiensis Præsidi Jannino Legato Franciæ, nisi id saltem fieret, exprobrauit, sæcularia tantùm esse curata, causam Dei esse desertam. vt id fortuitò tantum fuerit impetratum. vnde nec vlla in tabulis induciarum illius mentio.

Addit Vindex multos in Hollandia degere Catholicos: satiùs autem esse hæreticis prodesse propter catholicos, quàm Catholicis deesse propter hæreticos: verùm quid auxilia Gallica Catholicis Batauis profuerunt? vt violentiori iugo hæreticorum premerentur domi, & foris alias vrbes expugnari viderent, in eandemq; redigi hæreseos seruitutem?

Arguit ad extremum Vindex, à Regibus Hispaniæ quandoque oblata hæreticis subsidia. eius rei si fides fieret, si tabulæ producerentur, cautiones insertæ, circumstantiæue innoxiæ responsum fortè adferrent; non designat autem Vindex vrbeculam, aut pagum vnum vnde incognitis huiusmodi auxilijs profligata sit Catholica Religio, aut hæresis inducta. neque porrò bella in Gallijs nuper gesta initio, medio, aut fine religionis fuêre, vt Belgica, quippè *d. c. 14.* tradidit Vindex iam pridem in Gallijs omissam religionis quæstionem. vt etiam expugnatio Rupellensis pluries declarata fuerit non religionis causa, sed politicæ subiectionis, & secundùm edicta pacificatoria fuisse suscepta. vt quamuis fides, vt diximus, fieret huiusmodi auxiliorum; hæreticis oblata fuissent, non quà hæreticis, sed quà vicinis illa postulantibus: quod Vindici toties alibi sufficit: sed & quod nos exegimus, eo loco, & tempore, quo iam seruari nequeant, ob infectam multitudinem, & præualidum iam malum, sacri canones, hæreticorum exterminium pro viribus tantùm exigentes: atque etiam in Gallijs edicta & fides hæreticis data quæstionem religionis exclusserint, quam fidem seruandam, & vires expendendas etiam *diximus in Indice l. 4. c. 11. num. 2. & sup. l. 3. c. 22.* denique edictum feciale Ferdinandi Cardinalis Jnfantis rectè ait, post tot fœderum infractiones mirandum non fore, si aliquando ea moderatio seruata non fuisset, quæ à non offensis principibus exspectari posset. *qua de re egimus sup. l. 3. c. 12.*

Fœdus Germano-Franco-Suecicum, Vindex defendit ex Germanorum Francorumque germanitate, tam vetusta quàm sunt Cassani tituli, quos à Carolo Magno, & veteribus Franconibus deducit. quasi fraterno quodam iure auxilia ab eis peti, præstarique debeant. & verum quidem est olim Germanos transito Rheno, Mosaque proxima Galliam occupasse, iam ante Julium Cæsarem, & per annos circiter quadringentos Francos cum Romanis luctatos, tandem his pulsis Jmperium etiam Galliarum obtinuisse. sed immixtos multitudini deuictorum longè abiuisse ab animo, genio, atque idiomate Germanorum. &, vt id negligamus; fraternitatem iam deuenisse ad gradum millesimum: de iure consanguinita-

tem

tem gradu decimo terminari. ac denique, si consanguinitas æstimanda est, præualere proximam. vt Abraham vernaculos suos armauit pro filio fratris sui Loth, ideoque Galliarum Regem duplici affinitate functum Regi Hispaniarum (dum ille huius, hic illius sororem habet vxorem) huic subsidia, non eius hostibus, millesimo germanitatis gradu remotis, præstare debere. aut si rectè ille, *amicus Socrates, amicus Plato, at magis amica veritas*: hîc dicendum; bellantes amici, at magis belli iustitia.

Alteram allegat causam Vindex, quòd sæpè aliàs aliqui Principes Jmperij rebelles, à Regibus Galliæ postularunt, impetraruntque auxilia: ita nunc Germanici quidam Reguli petierunt: honorarij arbitri personam Rex induit, Ducem Engolismensem conciliandæ paci in Germaniam destinauit, Palatinum monuit, & pax Vlmæ iam penè exaluerat, eandemque discussit Comes Ognatensis: ne eam Cæsar curæ Regis Christianissimi deberet: *quid ergo*, inquit, *peccauit si postquam Hispanorum astus spem omnem pacis elisêrunt, fœderatis principibus, quibus etiam Veruiniensi pace consultum est, subuenerit, atque pecunia Suecos iuuerit?* Jtáne verò quod indignissimas iniquissimasque quasdam conditiones acceptare nollet Cæsar, Hispaniarum Legatus dissuaderet, ideóne arbiter transire ad partem alteram iure potuit? non perduellem tantùm, sed & aliena sceptra inuadentem. iam enim tunc causa tantùm agebatur Palatini, armis Bohemiam inuadentis, quam Rex iam antè damnauerat, illumque monuerat, nè fortunæ spectaculum se præberet: *cùm nemo*, inquit Vindex, *nisi ad casum aliena conscenderet fastigia: sic denique affectati Regni ambitum auersatus est, vt Regio eum titulo cohonestare numquam valuerit*, & hisce ne ambitiosis etiam Pace Veruiniana consultum credit Vindex; his auxilia præstanda, ideò quòd Cæsar indignissimas iniquissimasque, iterum dico, conditiones quasdam noluerit admittere? cùm in Gallia Cassanus Reges auxisse, maximè Rem Regiam glorietur, ex rebellium pœnis. *vt diximus suprà l. 3. c. 7.* cùm hîc Cæsar non tantùm compendia fiscalia non affectaret, sed tantùm Jmperij dignitatem tuendam conferet. At hæc Palatini negotia suo marte processerant, & iam quasi confecta erant, quando Comitiorum Mulhusiorum querelis compulsus Jmp. edictum promulgauit 6. *Martij* 1629. vt sola in imperio religio Catholica, & Confessio Augustana iuxta tractatum Passauiensem publicè exerceretur, exclusis alijs sectis, atque dogmatibus: deindè vt beneficia quæcumque & bona, quæ tempore eiusdem tractatus Catholici possidebant, vnde pòst iniustè exturbati essent, restituerentur: tum porrò illi, quorum alter sanguis hic erat factus, qui pridem harum opum succo vixerant, qui in his spolijs rem suam fundauerant, conspirare & turbare omnia cœperunt; incautos etiam alios in fœdus trahere aduersus Cæsarem, specie libertatis offensæ per fastum Legati Cæsaris. qui quamuis exindè auctoratus fuerit, causæque aliæ à Cæsare sublatæ, adeò vt Bauarus à fœdere recesserit: perstitere tamen alij protestantes Principes, atque Suecus; fœderatisq; vt conuentum erat, Franci subuenerunt; milite, pecuniaque Suecum iuuerunt. manet ergò bellum istud ex edicto motum, vt contendit Armacanus l. 2. c. 12. religionis fuisse dum illam cum clero, & bonis restitutum cupit Cæsar in pristinum statum. & loca, vbi fuerat tempore tractatus Passauiensis; aduersantur Principes quidam protestantes, iuuant Franci, atque Sueci. Et quid ni liceat dicere non facturos fuisse Francos, si, vt Jmperator, ita Rex Christianissimus quosdam ministros exauctorasset: quos arguit edictum feciale Ferdinandi Cardinalis Jnfantis. quod sup. *l.* 3. commentati sumus. quos depingit Matthæus Morgues Dominus de Sancto Germano grandi volumine, *De diuerses pieces pour la defense de la Reyne Mere.*

Neque verò aduersus edictum faciunt literæ, quas citat Vindex, quasi excerptas ex Cancellaria Hispanica; quarum verba sunt; *armorum nostrorum finis non est propagatio religionis, stat cuiq; sua religio inuiolata, &c.* quippe ipse titulus interceptarum non genuinæ fidei eas esse arguit, sed partum suppostitium. deinde, si earum fides constaret, inspicienda tempora forent, & quis loquatur, qua auctoritate, quam fidem mereatur aduersus edictum Cæsareum. denique tametsi genuinæ essent, ac post edictum scriptæ, ijsdemque quæ citat verbis; tamen commodum ex edicto sensum reciperent, vtique arma suscepta non esse, vt sola in Jmperio Religio Catholica exerceretur, sed ita vt compatiatur Confessionem Augustanam: quæ toleranda sit per tractatum Passauiensem: non verò is sensus admittendus est, quo permittenda sit quæuis in Jmperio hæresis, atque secta, Arianismus, Mahometismus, Paganismus, Atheismus, & insta omnium ratio est, quod Jmperator ex iuramento, *de quo in Clement. Romani de iureiur.* religionem orthodoxam defendere teneatur: cæteras profligare, bona fide, & secundùm vires, ab ea porrò dispositione generali per tractatum Passauiensem sola sit excepta Confessio Augustana: cæteræ nullius edicti, aut tractatus beneficium habeant, quo aduersus Cæsareum iuramentum, Canones, & leges se tueantur: adeoque omnis locutio restringenda sit ad materiam capacē. & porrò quàm gloriosè Ludouicus Justus Rupellas expugnauit, Religionem Catholicam, clerum, & bona ibidem restituit, post tot lustrorum tenebras, neque tamen libertatem Gallicam, quam ipsum nomen spirare ait Vindex, neque tot edicta Galliæ pacificatoria offendit; & cur idem Cæsari in Imperio agenti mutatis nominibus circa rem eandem violentia ac iniustitia obiectatur? cur oppressa libertas dicitur? cur Gallicis armis iuuari debet? & si Rupellenses adiuti fuissent, potuissétne Gallis satisfieri allegatione libertatis offensæ, atque luuandæ?

Addit denique Vindex in fœdere Monacensi electoratus Palatini spem factam fuisse Bauaro, etiam antequàm Fredericus Elector Bohemiam ingressus esset. huius rei fides sit penes Vindicem; sed demus rem ita se habere, putátne Vindex exspectandum Cæsari fuisse ne quid meditaretur, ne quid molitetur, donec Palatinus Bohemiam

esset

esset ingressus, donec metropolim arcemque regni occupasset? Jam sciebat pridem rebelles Bohemos sceptrum obtulisse non Duci Saxoniæ tantùm, atque Bauariæ, sed & Gabori Transiluaniæ; ab illorumque fidelitate, huius modestia fuisse reiectos: aspernatos illos fuisse aliena, quæ per iniuriam offerebantur: accessisse exindè Palatinum ab eius ambitione Regnum acceptatum, vires vndique contractas, ad illud occupandum: & immaturum adhuc credat Vindex si Jmperator defensionem mediteur? fideles Jmperij principes interpellet? spe etiam præmiorum inuitet? qui toties Gallos laudat tot vndique fœdera contrahentes, quo destineatur Cæsar, & Hispaniarum Rex? ne quam Galliæ vim inferre possint: quam læsa imaginatiua speculatur.

Transit denique Vindex ad thesim vniuersalem, vt cum infidelibus licitum sit fœdus percutere, Scriptorum testimonijs, & veteribus exemplis, & *c.* 28. Hispanorum & Austriacorum, nostræ etiam ætatis affirmat: sed semper Vindex omittit, quod testes semper inculcant, vt fœdera sint innoxia: ne quod per illa damnum capiat religio, aut Respublica. sub qua cautione & nos illa recipienda credimus *in Indice l.* 4. *c.*10. *& sup. l.*3. *c.*7. Jdque Austriaci Hispanique curare solent reipsa, non tantùm verborum stipulis, quòd minus id faciant Franci queruntur omnes.

Veram enim sedulamque Hispanis Religionis curam esse, quam nullam contendit Vindex *cap.* 19. res vtroque terrarum orbe, atque omnibus sæculis gestæ euincunt. de quibus differere malignitatemque obiectorum *d. c.*29. refutare longum nimis, atque alienum esset ab hoc instituto; abiretq; in prolixas historias. quare neque vocat dicere de vrbium excidijs, militúmve insolentia, *de quibus. cap.* 26. vbi etiam à sæculo obsoleta Vindex congerit, etiam Romæ expugnationem à Burbonio factam, iniussu Cæsaris: qui illam non tantùm improbauit, sed & pulla veste sinceroque animo diù luxit. Thenæ autem nostræ non tantùm militum insolentiam, sed & Ducum imperium, quoad incendia templorum, aliasque crudelitates deflent. & verò neque recriminationes, quamuis veræ forent, iustum Francis fœdus facerent, quòd iustitia innocentiaq; non tueretur. eademque quam mox dixi ratio differtare non permittit de afflictione Ecclesiæ, quàm semper indirectè passa sit, & sæpiùs ab ijs, qui in Gallia præfuerunt; vt *l.* 2. *cap.* 23. ait Armacanus, negat Vindex *cap.* 30. facit, vt abeundum non sit in vtriusque historias, dum præsens controuersia est tantùm, an quod nunc geritur bellum, pro Religione geratur? & cùm sole clariùs sit damnum quod capit Religio, an damnum facientibus liceat auxiliari? & porrò si quis alicubi næuus appareret, Proculi nobis suffragium nunciaret, non tam spectandum esse, quid Romæ aliàs factum sit, quàm quid fieri debeat. *l.* 12. *D. de off. Præsid.*

Quoniam porrò nemo dubitat, quin Rex Christianissimus animo sit alieno ab omni Ecclesiæ iniuria, & tamen illa fiat per ea fœdera quæ complectitur, consequenter per Francica auxilia Ecclesia lædi dicitur, quoniam qui causam amplectitur videtur in causa effectum semper, aut plerumque simul sequi natum, complecti. nam, vt philosophi dicunt, quidquid est causa causæ, est etiam causa causati: qui causa est fœderum, causa est etiam omnium eorum, quæ ex fœderibus causantur. Jndirectam huiusmodi voluntatem excusat Vindex *cap.* 31. Armacanus *l.* 2. *c.* 13. 14. 15. 16. latissimè arguit, nec cum eo satis confert pedem Vindex, aut dignum aliquid satis reponit: eique rei immorari alienum est à nostro instituto. satis esse vult Vindex quo iustum sit bellum rectæ voluntatis conscientia illud suscipi, non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geri, vt mali coërceantur, & boni subleuentur, ex sententia D. Augustini, & hoc posito quòd voluntas sit bona, nullum belli euentum eam posse efficere malam: cùm bonitas voluntatis ex solo pendeat obiecto, ex doctrina D. Thomæ; si quid in bello gerendo præter votum acciderit, non voluntatis crimen esse, sed necessitatis: cuius amarissimæ sint leges. At verò quod hîc est bellicum fœdus contrahentium obiectum? qui mali coërcentur, qui boni subleuantur? an non fœdera, vt contrahuntur; bella, vt ex fœdere geruntur, scio quædam accidere præter votum in bellis etiam iustissimè susceptis, & diligentissimè curatis, ne vel Religio aut Respublica capiat detrimentum, sed fœdera quæ apertè malum promittunt, qua voluntate bona iniri, aut seruari possunt, aut desit oportet voluntas promissa explendi; aut, si adsit, iniqua sit: perindè atque ad ipsum quod promittitur. quid fœdere Germano-Franco-Suecico promissum fuit? verba sunt, fœdus iniri pro defensione omnium amicorum, qui oppressi sunt, pro securitate commercij maritimi, & vt restituantur in status suos omnes Principes atque Ordines Jmperij, quemadmodum ante bellum Germanicum fuerant, sic denique vt omnia restituantur in eundem locum, quem ante tumultus Germanicos habuerunt. at; vt *diximus*, edicto *anni* 1629. multæ Ecclesiæ, clerus, & bona religioni Catholicæ fuêre restituta, iam antè Palatinus aliena sceptra ambiens iure repulsus, alijque rebellionis socij: si id iure factum est, si edictum *ann.* 1629. iustum est; bellum contra susceptum iniustum est, iniustè fœdera aduersus illud promittunt auxilia, vt iure restitutæ Ecclesiæ, Clerus, & bona, iterum hæresi tradantur, hæretici in iniquam Ecclesiarum bonorumque possessioné restituantur, rebelles aduersus iustam Domini vindicationem foueantur, stabilianturque. iustum esse edictum 1629. suo suffragio probauit Rex, cùm apud Rupellenses aliosque in regno suo idem ipse, *vt diximus*, gloriosissimè fecerit. quid enim si Regi magnæ Britanniæ prurirent manus ad bella, & fœdera, & protectionis causam Rupellensium resumeret, ad fœdus inuitaret omnes suæ religionis, aliosque Principes, & Respub. quo omnia per Galliam restituerentur in eum statum, quo fuerunt tempore mortis Henrici IV. quidquid exindè per tumultus Gallicos esset inuersum reponeretur in locum pristinum, an non iniqua hæc in Gallis viderentur? quid ni in Germania? Porrò Gallo-Batauica fœdera quod attinet; priora

priora quidem bello ex causa rebellionis ad depellendum Dominum & Fidem suscepto auxilia promittebant: exinde 8. Mart. 1635. ea lex fœderi scripta fuit, vt iunctis viribus Belgicæ ditiones Regi Catholico parentes, omnique iure debitæ, *vt docuimus l. 1. c. vlt.* occuparentur, occupatæ diuiderentur inter Regem Christianissimum & Batauos: iuxta lineas per prouincias in tabulis fœderis ductas: cùm id infeliciter cessit, vt diuisis exercitibus quisque quantum posset occuparet, an ea voluntas ex hoc obiecto practico bona Vindici videtur, atque innocens? nihil hic cupiditatis, nihil aliorum, quæ damnat Augustinus iisdem verbis, quæ ipse Vindex citat? studióne pacis hæc fœdera iniri, bella geri? quod requirit Augustinus. & quod itidem exigit Augustinus, vt mali coërceantur; an Catholici, Hispani, Austriaci? boni subleuentur; an hæretici, rebellesque?

Ad extremum resumit Vindex quod Armacanus *l. 2. c. 16.* amplè soluerat, nec aduersus solutionem reponit etiam quidpiam, *nec ex Theologorum sententia*, inquit, *ea tenemur omittere quæ nobis communique bono non minimum prosunt, ob damnum quod per accidens alijs infertur.* sed obiectio huiusmodi reuoluitur ad suum principium: vtique damnum hoc non esse per accidens, nec rarò sequi, imò non tantùm plerumque: sed ipsas fœderum, quas mox diximus, conditiones per se iniquas esse, quæ disertè exprimuntur, & in quæ auxilia spondentur: per se iniustas esse, & damnum Religionis expressè continere. non satis esse quòd vtilia socijs videantur fœdera, si religioni & reipublicæ Christianæ sint noxia porrò theorema procedere nequit in illicitis per se: in licitis etiam suas habet restrictiones. de quibus nihil hîc opus est verba facere.

Nunc quod ad milites attinet, Armacanus *l. 2. cap. 11.* docuit in perniciem animarum suarum illos mitti in bellum huiusmodi, neque regum doctorumque conscientiæ tutò acquiescere posset quòd iniquitas horum bellorum minimum sit perspicuæ veritatis. quando oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. cui non obest, sed imò adstipulatur sententia quam Vindex citat ex Augustino: *vir iustus*, inquit, *si fortè sub Rege etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod illi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel, vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* vides Augustinum damnare bellantem, cùm certum est bellum, quod iubetur, contra Dei præceptum esse? quod hîc certum esse docet Armacanus. excusat tantùm Augustinus, cùm certum non est, propter ordinem seruiendi. adeoque etiam *in Indice docuimus l. 4. c. 9.* miles vt iustè bellet, necessarium esse, vt bellum iustum sit, aut iustum esse inculpatè credat, si principi suo militet: sin extero; notoria sit belli iustitia, quippè nec tum ordo seruiendi, nec præsumptio, quam de principe suo, qui bellum decreuit, habere potest, in extero locum habet: & arcanorum ignoratio, quæ in principe suo scrutari non licet, non itidem obtinet in extero: cui antequam quis spontaneam operam addicat, inquirere debet an actio, in quam addicit, iusta sit. Et quidem loquitur Augustinus eo tempore, quo delectus militem inuitum, & ordo seruitutis in militiam trahebat. quæ ratio etiam hodiè excusat vasallos atque clientes sacramento obstrictos: sed qui voluntariæ militiæ nomen dederint, stipendiariæq;, quæ hodiè frequentatur maximè; excusationem Augustini non habet ab ordine seruiendi. tametsi defensio patriæ minùs anxia sit, quàm offensio ditionis alienæ, vt omittamus præsumptionem minorem semper cedere maiori: adeoque eam, quam habere quis potest de belli Regis sui iustitia cedere huic; religionem Catholicam, & clerum, ex deuictis locis eliminari, hæresim introduci contra præceptum Dei esse: quod vt cessare, aut dubium reddi possit, gigantæa opus sit causa, quæ montes Atlantesque in cælum iaciat, quibus cælestium notitia obscuretur: non verò sufficiunt athomi istiusmodi Pigmæorum, quibus lux illa diuina, quàm natura in cordibus nostris accendit, obumbretur, & conscientiarum remorsus omnimodò tranquillertur.

Quantò securiùs sine regiæ aut militaris conscientiæ discrimine hæc arma verterentur in gentes, quæ Deum non nouerunt, & in regna quæ nomen eius non inuocarunt! quantò, vt diximus, maiori præmio his Sedes Constantini, & Imperium peteretur! quantò gloriosius S. Ludouici, aliorumq; piorum Principum in Oriente vestigia legerentur? Hæc meditabitur Rex Christianissimus, & molietur aliquando, vt spero, Deo dante: eodemque conatus prosperante, accinetur; *Benedictio Domini super caput* IVSTI.

FINIS.



INDEX

# INDEX RERUM

## MEMORABILIUM,

### Quæ in hiatu Jacobi Cassani tractantur.

A.



B.



Bene-

L | de

G.



H.



I.



 Septem-

L.



M.

N.



O.



P.



Q.



R.

S.



T.



V.



de

FINIS.

